






V
B
J
C
3
V
ATLASY


Biblioteka Jagiellońska
1002970897

GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ VOLVMEN QVARTVM,

QVO

LIBER IX, X,

EVROPÆ

CONTINENTVR.




AMSTELÆDAMI,

Labore & Sumptibus


IOANNIS BLAEV,

MDCLXII.













BELGICA REGIA,

QVÆ EST

EUROPÆ


LIBER NONVS.















H. L.
C. A. C.

B E L G I C A.

Nominis ratio.



Elgica, quam describendam assumsimus, Inferiorum regionum vocabulo fere innotuit, vulgo *Nederlant*, ab humili nempe atque plano earum ad Oceanum situ. vocatur quoque synecdochicè, per universam fermè Europam, Flandria ea portio quæ Hispaniarum Regis agnoscit dominium; Hollandia, regiones eæ quæ armis libertatem sibi asserere; idque ob earum Provinciarum potentiam atque splendorem, & cum exteris præ cæteris majus commercium, non aliter quam tot illæ terræ, quas hodie Galliarum Reges in amplissimo illo regno suo possident, à nobilissima sui parte, Francia passim vocantur. Dicitur quoque Germania, sive Allemannia Inferior: sed extra Veterum tamen limitationem: qui præter Frisiam, & alia quædam paucula, omnes hasce Provincias comprehendebant sub nomine Galliæ. Verum recentioribus ita visum est, & nostro sæculo Inferiori Allemanniæ censeri obtinuit, eo quod neque lingua, neque legibus institutis ve bona istorum pars à cæteris Allemannis admodum differat.

Nomen.

Porrò prætermissa regionum istarum forma, quæ cum adeo sit exorbitans, fieri nequit, ut ullis verbis idonea aliqua similitudo ipsis applicetur, progrediemur ad describendum earum situm & limites: referemusque nos hac in parte ad Geographicam in ipsa statim operis hujus fronte collocatam delineationem. qua mediante, non istarum modo Provinciarum, sed & Belgicæ totius forma, una cum terminis suis atque confiniis, in compendio spectanda proponitur: adeo quidem, ut ex hac ipsa tabula, cum sequentibus statim verbis nostris conjuncta, scopum & institutum nostrum quivis intellecturus sit.

Situs.

Ad septemtrionem proprie est Hollandia atque Frisia, utraque Oceano terminata. Ad meridiem Luxemburgensis Ducatus est, Lotharingiæ confinalis: tum & Hannonia, quam Campania Picardiaque terminant. Ab ortu est Geldria, flumini Rheno conjuncta; & Brabantia Mosæ contermina. Ab occasu, Flandria, mari Oceano, eaque Arthesiæ parte quæ Picardiam respicit, clausa. Continetur verò totus hic tractus sesqui circiter climate, à medio nempe septimo, quod per Borysthenem dicitur, usque ad octavum, Ptolemæo fere inhabitabile creditum, recentioribus vero per montes Riphæos dictum, pænè completum. Longitudinem habet graduum septem & semis, ab gradu nimirum $22\frac{1}{2}$ usque ad 30. Latitudinem graduum quinque, ab initio 50 usque ad 54 exactum. Quod intervallum, computatâ pro climate semihorâ, horæ ferè dodrantis differentiam efficit, idque in artificiali dumtaxat die, qui pro climatis sui ratione vel augescere solet, vel minui: minime autem, licet quidam id tradant, in naturali. Is enim à polo ad polum ubique sibi æqualis est, & 24 horas complectitur.

Situs opportunitas.

Atque hic quidem situs, siquis rectè perpendat, majori præcipuarum Europæ terrarum parti, sanè peropportunus est. Nam ad septemtrionem quod spectat, non nisi quinque vel sex dierum itinere distat ab Dania, quicum plurima Belgis intercedunt commercia. Ad meridiem Franciæ Lotharingiæque perpetuo nexu adhæret. Ad ortum terminatur Germania. Ad occasum vicinam habet Britanniam, in quam paucarum horarum spatio trajicitur. Eadem ferè de Hibernia ratio. Norvegiæ insuper, Sueciæ, aliisque ad Septemtrionem Oceano adjacentibus terris, mediante navigatione, situs hic commodissimus: siquidem bidui intervallo ex Hollandia solvens navis, recto cursu, & valido vento in Norvegiam appulit. Hispaniæ quoque & Lusitaniæ non minus est opportunus. Olyssippone namque decem, & eo minus, dierum itinere in has oras trajiciunt: ex Hispania vero sex, octo, decem, duodecim, quindecimve dierum iter est, pro portuum, unde solvitur, qui plures, & varie sparsi sunt, ratione.

Ambitus.

Ambitus Belgicæ, computatis & comprehensis omnibus huc spectantibus, nostro quidem calculo, quinctam Italiæ partem nonnihil excedit, estque mille plus minus milliarium Italicorum, vel (si ita quis malit) trecentarum & quadraginta leucarum Belgicæ. Continentur hoc terræ tractu septemdecim illæ paulò post recensendæ Provinciæ. In quibus ducenta & octo numerantur oppida muris cincta: tum centum & quinquaginta circiter loca, quæ ob egregias suas qualitates habentur pro oppidis, & iisdem cum illis gaudent immunitatibus: & sexies mille trecenti, & quod excurrit pagi, turribus & campanis insignes, præter ignobiliores aliquot viculos. Sunt præterea infinitæ tum Principis, tum aliorum quoque Toparcharum atque nobilium dynastiæ, civilem pariter & criminalem administrantes justitiam. Denique plurimæ sunt arces, valideque adversus hostiles insultus munita ditionis hujusce propugnacula. Quorum suus cuique, Regio vel Ordinum Fœderatorum nomine, prout in ditione alterutrius sita sunt, peculiaris est Gubernator, & præsidiarius miles.

Aër.

Aër ipsius terræ, licet crassior & humidior, est tamen (ut & Cæsar testatur) & salubris simul, & digestioni admodum proprius, ac generandis cujuscunque generis rebus vel in primis idoneus. Quin videtur is, omnium sane judicio, sive id accrescenti indies habitationum & incolarum numero, aëra varie purgantium, sive remotiori alicui caussæ adscribendum sit, videtur inquam, benignior multo atque clementior factus, quam superioribus temporibus esse consueverit. Adeo quidem, ut nisi indigenæ in victu essent immoderatiores, ac morbis correpti curam sui negligerent, futuri sint multum longævi; & pro eo quod pauci hodie ad senectutem pertingant, pauci contra acerbo fato extinguerentur. Cujus



NOVUS XVII
INFERIORIS GERMANIÆ
PROVINCIARUM TYPUS
de integro multis in locis emendatus à
Guliel. Blaeu.
Cautum est privilegio illustrissimorum D.D. Ordinum fœderatarum provinciarum, ne quis intra sexennij spacium hunc inf. Germ. typum ullâ ratione exsculpat aut effingat, ut liquet ex literis de hoc privilegio concessis
BRITANNICUS OCEANUS
OCEANUS GERMANICUS
De Noord Zee
GALLIÆ PARS
ZUYDER ZEE
TEXEL
VLIELANDT
DER SCHELLING
AMELANDT
ORIENTALIS FRISIÆ PARS
Ghedruckt t'Amsterdam, by Willem Blaeu op't Water inde vergulde Zonnewyser.
Milliaria Germanica communia Ghemene Duytsche mylen
Milliaria Belgica sive Horæ itineris Neerlandsche mylen ofte uren gaens
Milliaria Gallica mediocria Middelbare Walsche mylen

rei exemplum Brabantiæ nobis Campania ſuppetit, ubi agro naturâ ſterili, parcè viventes ac laboribus ſeſe defatigantes agricolæ, diutiſſime vivunt.

Iucunda hîc valde & peramœna eſt æſtas. Quia, ut reliquas ejus qualitates omittam, calores non nimis intenſi, nec muſcæ culiceſve naribus multum infeſtæ. Excipio Zelandiam, ubi ingens earum copia. Rara hic ſentimus tonitrua, rara fulgura, fulmina vero longe rariſſima. Sed nec terræ motus hic nimis noti, quod humiditas cœli, & ſoli aquis vicini humilitas id videlicet non permittant.

Longior fere ac ventoſior hiems eſt, & Borea, Hyperboreâ, Euro, vel & Vulturno ſpirantibus, frigidiſſima: flantibus vero quatuor hiſce oppoſitis ventis, qui (notante & Cæſare) totum pæne anni dodrantem regnum hic poſſident, frigus in pluviam ferè convertitur.

Solum. Solum ubique eſt planum, & in quo paucos admodum videas colles: Montes vero etiam pauciores: niſi quod in Ducatu Luxemburgenſi, Provincia Namurenſi, & Hannoniæ aliqua parte, ſatis crebri occurrunt, ut & in tractu Leodicenſi. Eſt præterea ſolum multis in partibus ſabuloſum, ut in Flandria Flamingante, quam vocant, & Brabantiæ pluribus locis. Vniverſim tamen (ſed pro regionis cujuſque ingenio, parcius, largius) laudabile ſimul atque fœcundum eſt, imo tritici aliarumque ſegetum alibi feraciſſimum, ut in Flandria Gallicana, Artheſia, Hannonia, Zelandia, & Leodicenſi Epiſcopatu. Quin & Geldria fruges ubertim gignit. Incipiunt plærique ſementem facere medio menſe Septembri, quo videlicet prius emergat granum, quam ſuperveniant grandes illic & denſiſſimi imbres, aut nonnunquam & gelu, quod præmature hic incipit, tarde admodum deſinit. Serunt tamen & Martio menſe non exiguam tritici quantitatem. Secale, cujus magnam hic metunt copiam, eodem ferè cum tritico tempore, vel paullo ante ſolo committitur: avena eodem Martio, hordeum vero Aprili jam inclinante. Expectantes nimirum & hîc, dum tranſeant imbres, & à gelu non ſit periculum, nec propterea tamen timentes, ututˌ tarde hæc ſeminent, ne inſano aliquo æſtu vel adurantur, vel evaneſcant. *Fruges.* Triticum, ſecale, avenam, zeam, atque hordeum & piſa, ac vicias profert tellus abunde: ſaginam, milium, panicum, quod ea decutiat atque perdat ventorum vis, ſerere vix operæ pretium ducunt; eſt in Belgio quoddam ſeminii genus, quod *boekweyt* ipſi indigetant, ejuſdem fere cum ſagina coloris & magnitudinis, ſed forma triangulari, & ſagina præſtantius. Colligitur hoc ubertim in uſum jumentorum & gallinarum. Sed exigente neceſſitate fiunt ex eo cum panis, tum & cervisia. Eſt enim ejus farina tam præſtans & candida, ut cum aliorum frumentorum farina ea ſæpe commiſceatur. Maturatur vero hic ſegetum omnium fructus, pro cœli ratione, aliquanto quam in Italia tardius, idque ſola caloris inopia. Nec tamen Italiæ præterea quidquam cedit, tritici quidem adſpectu; quin alicubi etiam ſuperat. Neque vero prætermittendum eſt, terram hanc leviorem eſſe & molliorem: ideoque equis fere arari, non bobus.: niſi quod in Brabantiæ tamen Campania bobus quoque arari ſolemne eſt. Quos, cum annis aliquot uſi ſunt, ſaginare, ac deinde mactare ſolent, & veſci.

Fructus arborei. Gignit inſuper tellus varia arboreorum fructuum genera, pyra præſertim, mala, pruna, ceraſa, mora, perſica tam præcocia, quam ſerotina, juglandes, avellanas, meſpila, ac nonnullibi & caſtaneas. Amygdala, ficus, & ſimiles fructus hîc ægre proveniunt, calore nimirum nec ipſis, nec oleis quoque, aut Medicis, citreis, Punicis malis, aliiſve nobilioribus fructibus ſatis propitio. Qui ex Hiſpania tamen & Luſitania, beneficio maris ac navigationis, adfatim Belgis omni propemodum tempore ſuppetunt. Inveniuntur præterea ſatis multæ in oppidis paſſim & pagis varii generis vites. In agris vero, ob eumdem caloris defectum, pauciſſimæ. Circa Lovanium tamen, & Namurum, in agro Luxemburgenſi & Leodicenſi hic illic occurrunt, & quidem ſatis feraces, adeo ut & vinum aliquod reddant, licet exile & ſubauſterum, ob uvam non ſatis percoctam. *Arbores.* Arbores ad materiem, puta quercus, robora, fagos, fraxinos, cerros, platanos, populos, aliaſque complures, paſſim hic invenire eſt, & quidem eximie altas craſſaſque, ac tam ad ædificandum, quam ad comburendum idoneas. Paucæ ſunt lauri, pini & abietes, pauciores cupreſſi, niſi in hortis ornatus cauſa culti. Sed harum vice maxima eſt cujuſdam arborum generis copia, quas vernacule *linden*, Latini tilias dicunt, forma & fronde ulmis adſimiles, niſi quod hæ altiores, & citius creſcunt, adeo quidem ut ſedecim vel octodecim annorum ſpatio in eam excreſcant craſſitudinem, quantam vir cingulo ſuo ægre circumdet. Gignunt eædem & floſculos quoſdam candidos, & ſuaviſſimum odorem ſpirantes, abſque alio prorſus fructu: Lignum fabris non aſpernabile: ex quo & carbones fiunt pulveri tormentario conficiendo idonei, & ſalignis longe præſtantiores. Habet vero hæc arbor inter lignum & exteriorem corticem lanitii quoddam genus, cannabi non abſimile, unde reſtes fiunt & funes. Sed enim ejus frondes, utcumque molles ac teneræ, nulli omnino animalium gratæ. Naſcitur quoque in Arduennenſi præſertim ſaltu, arborum, quas Latini taxos, Galli *If* nuncupant, ingens numerus: quæ & inter Namurum Hujumque ſatis frequentes. Similis plane eſt hæc arbor abieti, vel potius ex abietum genere. Fiunt ex ea potiſſimum haſtæ; & arcus non minus pulchri, quam boni; & conficitur ex ejus ſucco præſentaneum illud toxicum, quo Rex Cativulcus, omnibus precibus deteſtatus Ambiorigem & ejus conſilia, deſperabundus ſe interemit, teſte in Commentariis Iulio Cæſare.

Eſt hîc & peculiare quoddam arboris genus, quod alibi haud facile quis reperiat; indigenæ *Abeelen* vocant, & videtur populi albæ ſpecies. Has copioſe gignit Brabantia, ſuntque magni in ea, & nominatim Bruxellis, ad varia utenſilia uſus.

Crocum, cujus quidem haberi debeat ratio, aut aromata cætera regiones iſtæ non gignunt. Sed neque medicinales quas vocant herbæ, aut earum radices ea hic pollent vi ac facultate, qua ſub temperato magis cœlo. Quocirca, ſiquando

iis utendum est, pro qualitatis suæ ratione, majori sumendæ sunt quantitate. Nec ad varia tamen medicamenta variæ desunt plantæ venenosæ, & in tertio quoque ac quarto gradu calidæ frigidæve, cujusmodi sunt lycocton, vulgo cucullа monachi, flammula pratensis, solanum lethale, cicuta, & quædam aliæ. Leguntur hic itaque & legi possent aliæ quoque innumeræ herbarum medicinalium, tum calefacientium, tum refrigerantium atque laxantium species: velut quotidiana eorum qui huic studio dediti sunt docet experientia.

Olera & Hortorum deliciæ.

Olera verò atque herbæ, quarum in acetariis, aliisve mensarum deliciis usus est: tum & varii generis bulbi atque radices, pulchriores hîc sunt, & fortassis etiam meliores, quam in aliis Provinciis: sunt & cucurbitæ, cucumeres, cardui altiles, asparagi & id genus hortensia; omnigenæ insuper rosæ, ac flores, pulchritudine simul & virtute præstantes. Sunt quoque suo nonnunquam tempore & pepones, (sive melones dicendi sunt,) mediocriter boni.

Animalia venenosa.

Nulla hîc, saltem in frigidioribus terræ partibus, animalia venenosa. Nullæ viperæ, aspides, aliave serpentium genera. Non lacertas, non stelliones, non scorpios, aut id genus bestiolas hîc invenire est: nisi si æstus forte & calores præter modum ferventes, ac plus solito diuturni: tunc enim casu nonnunquam fit, ut aliquid tale compareat; at inefficax tamen ut plurimum atque innoxium. In Hollandia vero, Zelandia, aliisque ubi ustilis ille cespes effoditur partibus, & in vastioribus illis sylvis, colubri quoddam genus invenitur, aspidi non absimile, *adderen* ipsi nuncupant, venenosum admodum & malignum. Bufones præterea, & lacertæ quædam aquaticæ, veneno imbutæ, non desunt. Quemadmodum nec hirudines. Ad pharmacorum vero confectionem & consimiles usus, adfatim huc venenorum exoticorum importatur: adeo quidem ut & theriaca, & mithridaticum, Orientis exemplo, hîc confici soleant.

Agri, prata, pascua.

Agri & prata in majori regionum istarum parte prospectu valde amœno sunt, propter densas & in quincuncem digestas arbores, & earum undique renidentes fructus: tum & pulcherrima, ac animalium gregibus refertissima pascua pinguissima.

Domesticum pecus.

Domestici atque cibarii pecoris omnia, bubalis tantum exceptis, genera regiones abunde suppeditant. Boves in Frisia nominatim, & in Hollandia vasto sunt corpore. Et inveniuntur, qui communem modum in tantum excedunt, ut plus mille sexcentas terræ ipsius libras, quarum singulæ constant sedecim unciis, id est, bis mille, & quod excedit Italicas, singuli sæpe pendant. Quinimo donatus fuit Mechliniæ Comiti Hoogstratano Frisius bos, ea magnitudine obesitateque, ut bis mille quingentas viginti & octo Brabanticas libras penderet. Cujus propterea, tanquam inusitatæ cujusdam rei, imago, in ipsa Comitis ejus Palatii porta, ad vivum depicta est, addito donationis anno ac die. Verveces passim hîc magni, & tum horum, tum illorum etiam carnes ea præstantia, ut (excepta, quod boves attinet, Anglia, ubi fortasse perfectiores sunt) sibi, & antiquorum scriptorum testimonio, & palatorum hodiernorum gustu, non habeant pares. Vituli quoque, hœdi & agni satis hic sunt laudabiles. Sunt vero omnia isthæc pecorum genera ea fœcunditate, ut in Hollandia maxime, Frisia, & parte aliqua Flandriæ, oves uno interdum partu ternos edant, imo quaternos fœtus: vaccæ, binos frequenter vitulos. Reddentes adhæc tantam optimi casei, ac melioris etiam butyri copiam, in Hollandia nominatim, ut vix videatur credibile. Constat namque, unicam aliquam vaccam æstate in singulos dies reddere octonos, vel & denos interdum lactis cantharos, sive ut ipsi loquuntur *mengelen*, quorum singuli quidem quartario, sive lagena Florentina, capaciores sunt. Adeo ut non ipsi modo Provinciæ, licet infinitam pæne lactariorum vim consumenti, abunde prospectum sit: sed magna quoque pecuniæ vis colligatur ex iis quæ in alias oras hinc exportantur. Casei autem ovilli rarus hic usus est, caprini etiam rarior: superante nimirum utrumque, & bonitate simul & utilitate, vaccino.

Caseus & butyrum.

Equi.

Gignunt hæ regiones, & speciatim Hollandia, Frisia, Geldria, Flandria, numerum magnum equorum, vastitate simul & pulchritudine corporis, ac strenuitate præstantium, tum ad usus quoscunque & præcipue bellicos, perquam idoneos: & sunt tamen ut plurimum, exceptis magna ex parte Flandricis, cum tota corporis mole, tum capite maxime graves, ac duriores tractatu, & brevioris vitæ.

Lanæ.

Lanæ hic crassiores, nec Hispanicis Anglicanisve bonitate ullatenus comparandæ. In caussa est præter aëris crassitudinem, nimia pascuorum humiditas atque luxuries. Vnde fit, ut crassiores, longiores & asperiores sint pecudum villi.

Non generatur hic ullus sal, neque alumen, aut sulphur, præterquam in agro Leodicensi. Sed nec alicujus momenti fodinæ sunt, nisi ferri, plumbi, & cupri. Sed quod hac in parte à Natura negatum est, hoc largiter supplet incolarum industria. Quorum virtus & vigilantia ita continuatim atque ubertim aliunde sibi de talibus prospicit, ut nulla plane cum harum quas dixi, tum nec aliarum rerum penuria, quin potius ea passim sit abundantia, ut variæ quoque exoticæ regiones isthinc eas quotidie ferè petitum accedant.

Rubia, linum, Canabis.

Rubiam, sive ut alii vocant garanzam tinctorum, tractus iste producit, ea quidem luxurie, ut non ipsis solum indigenis, sed & bonæ Europæ parti abunde sufficiat. Optimum insuper, sed paucissimum generat glastum. Lini & cannabis maximam abundantiam.

Fluvii.

Irrigatur hic tractus pulcherrimis simul & amplissimis fluviis. Quorum quinque præcipui, & veluti regii, in Oceanum influunt: Rhenus videlicet, Mosa, Scaldis, Agino, atque Amasius. Sunt deinde & varii, velut minorum gentium fluvii. Quorum præcipuos quosque ordine postea descripturi sumus. Nunc ad quinque priores.

Rhenus.

Rhenus, omnium non Germaniæ tantum, sed totius fere Europæ fluviorum, post Danubium, maximus, profluit gemino fonte ex altissimo il-

lo monte, quem Ptolemæus atque alii veteres Adulam vocant, neoterici vero *den Vogelbergh*, licet proprie magis dicatur Mons Sancti Gothardi, ab ædicula quadam, sive sacello, in eo exstructo, & honori ejus Sancti dicato. Hinc gemino illo alveo ad orientem Solem contendens, quarta supra Curiam, urbem Episcopali dignitate insignem, leuca coadunatur, atque hic unico alveo unicoque vocabulo contentus, statim fit navigabilis. Inde vero jam integer & superbus, ad sinistram deflectens, in arcum sese contorquet, & veluti semilunam. Atque hoc modo inter altissimos montes per amplissimam quandam vallem versus Septemtrionem descendens, in vastum illum Constantiensem, & hinc rursus in Cellensem lacum effunditur. Vnde convertens se ad Occasum, Rhenofeldiam invenit, & servato cursu Basilæam perlabitur. Hinc ad Septemtrionem rursus convertitur, & lustrato Brisaco cursum illum prosequitur, usque dum Argentinam, teli dumtaxat jactu dissitam, detegat. Vnde multos terrarum tractus, multa oppida prætervectus, variisque tum majoribus tum minoribus Galliæ Germaniæque amnibus in alveum suum receptis, jam augustior atque superbior, Spiram, Wormatiam, & Moguntiam pervenit; indeque ad Occasum deflectens, Bingium præterlabitur. Vnde ad Caurum conversus, relictis à tergo Confluentia, Bonna, Colonia, Lobecum Geldriæ locum allabitur. Et hactenus quidem unico alveo contentus, nec in plures ramos divisus est. Embricam prætervectus velut in duos amnes dividitur. Alter, servato Rheni vocabulo, Arnhemium rectà contendit. Inde Vadam, Rhenam, & Batavodurum; ubi verso cognomento Leccam accolæ dicunt, à Teutonica voce *Leken*, quod interpreteris perfluere, quod initio scilicet velut rivulus fuerit è Rheno derivatus, temporis autem successu mutatus in justum flumen, ipso genitore suo fere exhausto, quando is anno Christi 1360, aquarum superne defluentium alluvie, & Oceani eas repellentis violentia, coactus est ad hunc Leccam confugere, & Culemburgum, Vianam, Schoonhoviam præterlapsus, per Merwam in Mosam sese effundere. Adeo quidem ut, cum usque ad tempora Hungeri, undecimi Vltrajectensium post D. Willibrordum Episcopi, Rhenus Vltrajecto transire solitus, ea qua diximus tempestate cursum suum mutasset, Vltrajectini, quò commodius ipsis adveherentur secundo Rheno è superioribus partibus necessaria, rivum coacti sint ex ipso Lecca deducere. Atque hinc prima Isalæ, (non illius majoris, & quem supra memoravimus) sed alterius, cognomento Hollandicæ, unde Iselsteinio nomen, origo. Rheno deinceps Montfortium, Veteraquinum, & Goudam urbes præterfluente, & in Mosam iterum irruente. Licet autem Rhenus Vltrajecti desierit fluere, superest tamen inibi alveus ejus vetus, prisco huc usque vocabulo nobilis. Quo ipso & Leidam usque pertingit. Qua per varias fossas rigata, Cattovicum se confert, ubi ostium ejus quondam fuisse existimant, quod arenis obstructum sit.

Mosa. Mosa profluit ex monte Vogeso, quem Vademontium hodie nuncupant, juxta Montigniacum Regis, Gallice *Montigny le Roy*, in finibus Lingonum, non longe ab duorum nobilium fluminum Araris atque Matronæ fontibus: & arrepto versus Septemtrionem cursu, prætervehitur Fanum Sancti Theobaldi, ubi incipit fieri navigiorum patiens. Transit inde Virdunum; & hinc ad Caurum conversus, Musonio pervenit Magetorriam, vulgo Masieres. Vnde rursus ad Septemtrionem deflectens, lustrat Carolomontium, Bovinas, Dinantum, Namurum, ubi recepto Sabi, jam major, atque superbior, ad Aquilonem convertitur, & Hujum ingressus, Leodicum & Trajectum, quod Mosæ vocant, perfluit. Atque hoc modo Brabantiam à Geldria Cliviaque discernens, Stochemium, Masacum, Ruræmundam, & hinc Venloam se confert. Vbi ad Septemtrionem conversus, servatoque ad tres leucas hoc cursu, rursus ad Caurum se flectit, & Cuquio, Gravia, Ravesteinio, Mega lustratis, ad Herverdiam Vahali se miscet: nec amisso propterea nomine, rursus ab illo disjungitur, & separatim uterque pervenit Lovesteinium. Vbi facta Insula Bommelerwerda, denuo conjunguntur, Worcomiumque & Gorichemium prætervecti, Merwæ cognomentum adsciscunt, ac vasto quodam & amplo sinu feruntur Dordracum. Vbi rursus facta Insula Iselmunda, Mosa nomen amissum recipit. Quo ipso ampullans & furibundus, in Oceanum influit, ut orbitam suam atque dulcedinem magno intervallo conservet.

Scaldis. Nascitur Scaldis in Picardia, tractu Veromanduorum, juxta *Beaurevoir*, in vicinia Castelletti, ex monte, unde similiter profluunt fluvii Somona & Sabis. Estque dignum hoc sane consideratu, quod amplioris istis fluvii perpetuo fere (ut in Rheni Mosæque descriptione jam dictum est) nascantur conjunctim, & propinquis inter se fontibus: cum tamen, secundum sui naturam, videantur potius alii ab aliis quam longissime dispergendi. Scaldis itaque statim à fonte ad Caurum properans, Cameracum invisit. Et hinc ad Aquilonem conversus, Valentianas præfluit, ubi incipit fieri navigabilis. Petit inde Condatum, & servato eodem cursu, receptoque fluvio Scarpa, alluit Fanum Sancti Amandi. Vnde ad Septemtrionem deflectens, Tornacum perlabitur. Hinc Aldenardam, & hinc rursus Gandavum, ubi recepto Livia simul & Lisa fluviis, ad Aquilonem deflectens, Teneræmundam ingreditur, & recepto hic Tenera, sinistro cornu prætervehitur Rupelmundam, auctus è regione ejus municipii fluvio Rupela. Vnde elatior jam magisque magnanimus, dextro cornu Antverpiam leviter tangit, quam à capite usque ad calcem, quàm longe ad ejus oram extenditur, forinsecus lambit rigatque. Tandem directo ad Caurum cursu, dextra quidem Brabantiam, læva vero Flandriam prætervectus, Saftingiam usque, Flandriæ municipium, quatuor leucis Antverpia dissitum, permanet indivisus. Atque hic mutato consilio, in duos amnes dividitur. Quorum alter convertitur ad Occasum, & servato ad duodecim leucas cursu, mutatoque per viam suo in Hontam vocabulo, inter Flan-

Flandriæ Slusam, & Walachriam Zelandiæ Insulam, in Oceanum effunditur. Alter ad Septemtrionem deflectit, & Bergozomium eminus prærerlapsus, Zomam ibi torrentem recipit, qui ab ea quidem parte claudit Zelandiæ terminos. Atque hîc iterum in duo veluti finditur cornua: alterum, cui *Vossemeyr* nomen est, continentem radens, Tolam Zelandiæ prætervehitur, & una hinc circiter leuca in Merwam sese exonerat: eodem ut paret cursu, quo juxta Cæsaris commentarios, atque ejus ipsius sæculo, Scaldis in Mosam influxit. Alterum cornu Zelandiæ insulas variis veluti brachiis interstinguit, & qua permanet violentius, in duas potissimum partes dividit, Orientalem scilicet, vulgo *Beooster Scheld*, & Occidentalem, *Bewester Scheld*, accolis nuncupatas. Inter quas, ad Oceanum ille contendens, cursum suum consummat, amisso inter Scaldiam atque Walachriam nomine. Subit autem hoc ipso Scaldi, cujus anfractuosus valde meatus est, Gandavum usque, id est, ad triginta & amplius ab ostio ejus leucas, maris ipsius accessus. Vnde fit, ut ob Mosæ vicinitatem subeant unà cum eo nonnunquam & acipenseres, multi salmones, troctæ salmonatæ, prægrandes murænæ, rhombi, congri, alosæ, cuculi, aranei, passeres, soleæ non vulgares, mulli excellentissimi, locustæ ad miraculum bonæ, sardæ, aliaque complura præstantium piscium genera: qui inde ab ipso mari, tum ut suavius saginentur, tum ut ova sua commodius ponant, ad has aquas se conferunt; aquas iis sane quam conducibiles: adeo quidem ut tribus illis partim vernis, partim æstivis mensibus, præter pisces illos majores, tanta quoque capiatur pisciculorum minutissimorum, & vix natorum adhuc abundantia, ut magnæ quotidie populi multitudini sustentandæ sufficiat. Rem mehercule admirandam, & tantum non incredibilem. Ingrediuntur eodem flumine plurimi, & quidem valde eximii canes marini, tum & prægrandes simul & optimi tursiones. Quæ duo piscium genera non sunt ex oviparis, sed catulos suos pariunt vivos, & omnibus membris perfectos. Canes quidem in terra, ubi tantisper eos lactant, dum fiant grandiusculi, id est, Plinio quidem auctore, usque ad duodecimum diem. Sunt vero hi canes pilosi, ac horribili quadam voce, & calenti sanguine præditi, prorsus ut terrestres, non autem aquaticæ bestiæ.

Agino, Aa. Agino, vulgo *Aa*, vel *Ha*, nascitur prope Terrouanam, in finibus Morinorum, & arrepto in Caurum cursu, prætervehitur Fanum Sancti Audomari, unde Gravelingam porro contendit, ubi, non procul ab eo loco, in quo magnum illud inter Gallos ac Burgundos, anno Christi commissum est prælium, in Oceanum influit.

Amasius, Eems. Amasius, vulgo *de Eems*, nascitur in Westphalia, circa pagum, cui nomen est Viedeburgum, & in Caurum statim contendens, præterlabitur Varendorpium. Hinc Monasterio urbi factus vicinior, Greviam, Rhenam, Elbergam, & Lingam, leucæ triente ab ripa sua distantem, Meppam, Hessopium, Haram, Langium, Berselium, Scarpenbergam, Reidam, Bachbantium, Metelinum, aliaque loca prætervectus, Iemercum tandem allabitur, locum acceptâ ab Comite Ludovico Nassovio, anno 1568 clade insignem. Vnde ad Occasum conversus, magnum ex se efficit lacum, ad cujus dexteram situm est oppidum Embda, supra quod immenso ore in Oceanum Septemtrionalem effunditur.

Regiis, & velut majorum gentium tractus nostri fluviis hucusque descriptis, ad Isalam tandem, qui & ipse pæne est inter regios, cæterosque deinde minores fluvios, ordine progressurus sum.

Isala. Nascitur ergo Isala in Westphalia & confiniis Cliviæ, juxta Rasfeldiam. Et ad Caurum inde contendens, prætervehitur Vlstam, Werdam, Hanoltum, Burgum, Deutecomium, Keppelam: unde Duisburgum porro allabitur. Vbi nobilem illam Drusi fossam, cujus supra meminimus recipit. Quæ quidem utriusque conjunctio in caussa est, ut inde ab fonte hucusque celebretur veteris Isalæ cognomento. Dehinc vero tot novis Rheni aquis jam auctior, ac veluti renovatus, Isalæ novi nomine passim innotuit. Quo ipso ad Septemtrionem conversus, Bronchorstium primùm; hinc Zutphaniam prætervehitur, ubi recepto in alveum suum Berchela, Daventriam porro, Hattemium, denique Campas allabitur. atque hic magno se ore effundit in lacum Flevi, vulgo *de Zuyderzee*, qui ingens Oceani Septemtrionalis, inter Geldriam, Hollandiam, Frisiam, sinus est, decem & amplius leucas latus, quo, omnes quotquot sunt naves, Amstelredamo, aliisque Hollandiæ locis, varios versus Europæ tractus solventes, in Oceanum ipsum exeunt.

Mosella. Mosella nascitur juxta flumen Rolandum, inter montes Vogesum & Novi Castri, Basilæa haud procul. Atque hinc arrepto ad Caurum cursu, Lotharingiam pæne mediam scindit, Remiremontio primum ingressus. Ciattam deinde, & Tullum urbem prætervectus, ad Aquilonem deflectit, ac Musonium præterlapsus, Metim petit, inde autem intrans in terram Lucemburgensem, Theonvillam inibi lustrat. Mox servato cursu, Siricum, Treviros, Bernocastrum, Trabacum, & Coanum appellit. Tandem vero jam amplus ac violentior, ad Confluentiam, cui oppido inde nomen est, quod illic confluant ista duo flumina, Rheno se miscet.

Lisa. Lisa nascitur in Arthesia, ad Lisburgum pagum, cui nomen suum impertit, haud procul ab Terouana. Et Ariam oppidum prætervectus, Armenterium, Viroviacum, Menemium alluit. Hinc Cortracum fere medium scindit, & Deinsam præterlapsus, Gandavum decurrit, ubi in Scaldim effunditur, vario & ipse laudabilium piscium genere nobilis.

Sabis. Sabis nascitur in Hannonia, ad Novionum pagum, & ad Aquilonem decurrens, Landrecium, Sassenium, & Barlemontium lustrat. Hinc Maubugium perfluens, servato quem instituerat cursu, Merviam & Cassellam pervenit. Tandem vero Namurum interfluens, in ejus exitu se in Mosam exonerat, variis etiam ipse & laudatis piscibus scatens.

Dilia. Dilia nascitur in Brabantia, ad pagum sibi cognominem, & in Septemtrionem decurrens, Wavriam pervenit, ac tertia inde leuca Lovanium. Vnde servato ad totidem leucas cursu, flumen

flumen Demeram recipit. Mox ad occasum conversus, pluribus velut ramis Mechliniam perfluit, & prima hinc leuca, invento ad Rumpstum nobilem pagum, Netha, uterque, nescio sane quo fato aut casu, nomen suum Rupelæ cognomento, ob loci forte illius nobilitatem simul & antiquitatem, permutat. Qui ipse Rupela jam aquis auctior, duas modo vel circiter leucas progressus, è regione Rupelmundæ, cui arci nomen suum impertit, in Scaldim effunditur.

Rupela.

Sinna. Sinna, secundum nonnullos, nomen sortitus est à Senonibus, Angliæ olim populis, quo tempore Galliam divexaturi, hàc videlicet transierunt. Magis tamen rationi videtur consonum, si dicamus, Sinnam sumsisse nomen à Sogniaco, vulgo Sogni, Hannoniæ oppido, juxta quod ipse nascitur, & arrepto ad Boream cursu, Hallas præterfluit, unde Bruxellam delatus, eamque varie pervagatus, Vilvordiam properat, altera illinc leuca dissitam. Mox ad Caurum deflectens, ad dextram relinquit Mechliniam, & paululum supra eam urbem in Diliam influit.

Desa. Desa nascitur prope oppidulum Peram, in terra Leodicensi, & ad septemtrionem conversus, Eindoviam perfluit. Hinc servato eodem cursu, Buscumducis ingreditur, & altera ab hoc leuca in Mosam effunditur.

Demera. Demera nascitur prope Tungros, in eadem Leodicensi terra, & ad occasum arrepto cursu, Bilsam ingreditur. Mox tertia inde leuca Hasselam perfluit, & quarta illinc leuca Diesthemium. Vnde Sichemum porro & Aerschotum pervagatus, Diliæ sese commiscet.

Nitha. Nitha nascitur prope Rhetium pagum, & ad Africum statim decurrens, Herentalium perfluit. Vnde servato cursu, in toparchia Grobbendoncana, Adam torrentem in alveum suum recipit. Hinc Liram progressus, Duffliam properat. Inde rursus Walhemium. Tandem ad Rumpstum pagum in Diliam influit, qui Rupelæ illic cognomentum, ut jam dixi, adsciscit.

Rura. Rura, vel secundum Trithemium, Rora, nomen ducit ab Rorico, Clodovæi Galliæ Regis filio, casu in eo submerso. Nascitur autem prope Bulingiam, pagum terræ Iuliacensis, & ad Caurum deflectens, Duram, inde urbem ipsam Iuliacum prætervectus, Ruremundæ, cui & nomen suum impertit, in Mosam aquas suas exonerat.

Berchela. Berchela nascitur in Westphalia, non procul Coesfeldia, & Statlonium, Vredam, Lochemium præterlapsus, in exitu urbis Zutphaniæ, Isalæ sese commiscet.

Nirsius. Nirsius nascitur circa Fanum Sancti Antonii in terra Iuliacensi, & ad Caurum fluens, Wachtendoncam allabitur: Hinc Geldriam oppidum, & mox Goccham se confert. Tandem paulum supra Genapum in Mosam effunditur.

Vidrus. Vidrus, Belgice nominatur *de Vecht*, idque, scribente Trithemio, ab quodam Vechtano, qui Odemari Francorum Regis temporibus, casu in eo submersus est. Erat autem is ipse Vechtanus in flagranti admodum apud Regem gratia, è Druidum numero, ac propheta simul & sacerdos, ob multijugem, qua præditus erat scientiam, & variarum linguarum cognitionem clarissimus. Vidrus autem nascitur in Westphalia, & interfluit Comitatum Benthemiensem; Hardembergam, Ommam, inde vero Hasselium alluens. Tandem ad Gelmundam in lacum Flevi aquas suas exonerat.

Scarpa. Scarpa duplicem habet in Arthesia fontem; quorum major ex monte Sancti Eligii, alter ex loco illi finitimo profluit. Quibus mox concurrentibus, Atrebatum jam integer pervenit. Hinc ad Boream versus Duacum, mox Laleinium & Marcenas interfluit. Vnde Hennonium porro decurrens, in exitu ipso Mortaniæ, Scaldi se miscet.

Tenera. Tenera nascitur in terra Hannonia, haud procul Condato, & ad Boream defluens, Athum, Leslenam, Gerardomontium, Ninoviam, & Alostum interfluit. Mox Teneramundam, cui nomen impertit, delatus, in exitu ejus Scaldi se miscet.

Haina. Haina perexiguus quidem est amnis, at Hanoniæ tamen Comitatui nomen olim dedisse creditur, mutuatus id ipse ab vetusto illo juxta quem nascitur pago, videlicet Hainujerio, sic dicto ab Hunnis, qui in his partibus quondam castrametati sunt. Profluit autem Haina aliquamlonge versus occasum. Mox juxta Condatum in Scaldim effunditur.

Chirsus. Chirsus nascitur in Lotharingia prope Longionum, & mox terram Lucemburgensem ingressus, prætervehitur Marivillam, Mommedium, Castrochaventium, Fertæam, Ivosium, unde prima circiter leuca in Mosam effunditur.

Atque hæc quidem sunt præcipua Inferiores hasce Provincias perlabentia flumina. Quæ cum aliis aliquot rivis, fluentis, atque torrentibus, brevitatis ergo à nobis omissis, præter innumeros fere quos suppeditant pisces; præter amœnitatem, tutelam, & securitatem, quam tractui ipsi conciliant; inæstimabilem quoque mercibus ultro citroque pervehendis commoditatem & utilitatem præbent. Efficiunt præter hæc regionum ipsarum indigenæ, horum ipsorum fluminum adminiculo, in quæ alias terræ aquas, variis manu cavatis fossis, in unum veluti corpus redactas, perducunt; efficiunt, inquam, magna profecto industria, commodis passim & opportunis locis, ac ad multas etiam leucas producunt complures, eosque perpulchros & navigabiles alveos, sive canales; qualis præsertim est Bruxellensis ille longe pulcherrimus, tum Gandensis quoque & Middelburgensis; adeo quidem ut omnes fere urbes & oppida, tum & alia alicujus momenti loca, biremibus minimúm navibus possint adiri, ac merces eò commode subvehi.

Paucos habet hic tractus aquarum vivarum fontes, præterquam in locis montosis. Lacubus vero, stagnis atque paludibus passim abundat. Quæ & ipsa terram egregie muniunt, & immensam piscium varii generis copiam accolis suis suppeditant.

Sylvæ. Arduennam testatur Cæsar ævo suo fuisse maximam totius Galliæ sylvam, cœpisseque ab ripis Rheni, & ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum, ab una quidem parte ad confinia

finia

finia Nerviorum, ab altera vero ad initium Rhemorum pertinuisse, millibusque amplius quingentis in longitudinem patuisse. Nostra ætate maximus etiamnum Galliæ saltus est. Sed exculta paulatim tellure, multum imminuit. Quin & præter hoc detrimentum, illa ipsa quæ superest pars haud usquequaque cohæret, sed frequentius interrumpitur, atque hic illic aratro subigitur, mutato subinde & cognomento. Continuatur autem, qua longissime, inde ab Theonvilla usque ad urbem Leodicensem, quod quidem triginta plus minus leucarum iter est. In cujus meditullio situm est Fanum Sancti Huberti, oppidum, juxta Gemmam; est autem hic saltus maximis passim altissimisque variorum generum arboribus densus: Quæ non minus amœnum eum & fructuosum, quam celebrem & admirabilem reddunt.

Mormautium sylva. Mormautium, amplissima simul & amœnissima Comitatus Hannoniæ sylva, initium capit circa Quercetum, vulgo *Quesnoy*, & in Austrum, ad multas leucas, Veromanduos versus procurrit, oppida, pagos, villas complexa, rivis quoque & fontibus limpidissimis passim irrigua. Plurimi conficiuntur in hac sylva carbones, unde creditur à nonnullis veteris Carbonariæ pars, quam alii tamen magis orientalem, ac inter Mosam & Sabim fluvios fuisse contendunt, & amœnum illud Harchiæ nemus ejus esse reliquias, in quo cognominis ille cum arce pagus, Comitum Barlemontii sedes.

Sylva D. Amandi. Amœnissima Divi Amandi sylva, in eadem quoque Hannonia sita, audit vulgo & sylva Raimensis, ob summam videlicet cum eo saltu viciniam. Initium autem capit in Flandriæ Gallicanæ confiniis, ad nobilem illum pagum Divo & sylvæ cognominem. Vnde porro ad orientem, magno admodum spatio, Valentianas usque procurrit, arboribus passim densa. Est autem saltus Raimensis in ditione Toparchæ Ameriensis, qui hac ipsa de caussa est Magnus Venator Hannoniæ, dignitate nimirum Saltui ipsi annexa.

Sylva Fagniacensis. Est in eodem Hannoniæ Comitatu & Fagniacensis sylva, quæ initium capit prope Avennas, & lato ambitu, usque ad Magetobriam, vulgo Masieres, Galliæ oppidum, id est, sedecim ipsas leucas in longitudinem patet, olim multo etiam major.

Sylva Sogniacensis. Soniensis, vel ut alii scribunt, Sogniacensis sylva, sita est in Ducatu Brabantiæ, bombardæ circiter jactu ab urbe Bruxella. Procurrit vero trium leucarum spatio versus meridiem usque ad Brenniam allodialem quam vocant, & Brennocastrum. Saltus revera ingens, & perinsignis, ac plus septem leucas, id est, octies mille jugera, quorum singula quadringentas decempedas, sive ut vulgo loquuntur virgas, hæ vero vicenos pedes, continent, ambitu suo complexus. Cæduntur quotannis hujus sylvæ, solemni quodam regionis more, centena jugera. Quæ ad quinquagena florenorum, id est, vicena quina aureorum nostratium millia Principi reddunt. Atque ita fit, ut octogesimo quoque anno, tota quam late patet sylva, & recisa sit, & altissimis rursus crassissimisque arboribus restituta, ac veluti renovata. Varios insuper iste saltus ingenti suo circuitu complectitur pagos, tum & arcem, quam trium fontium vocant, & abbatias cœnobiaque compluria; rem non laudabilem minus quam admirandam.

Meerdalia sylva. Meerdalia urbi Lovaniensi vicina, magnus & pulcherrimus saltus est, nec amœnitate minus, quam ferarum frequentia, & insigni, quod venationem quidem concernit, immunitate celebris.

Zaventerloa sylva. Zaventerloæ, inter Lovanium, Bruxellam & Vilvordiam sitæ, nomen est ab Zaventria, pago sylvæ amœnæ propinquo.

Grootenhoutium sylva. Grootenhoutium in eadem Brabantia situm est, paullum infra Turnhoutum. Nascitur autem hic Ada torrens, qui in Nitham fluvium influit. Saltus ipse permagnus est, & venationibus olim reginæ Mariæ, Caroli V sororis, cui oppidum ipsum Turnhoutum ad vitam à fratre concessum, plurimum frequentatus.

Marlania sylva. Marlania, agri Namurensis sylva, initium capit ab ipsa urbis Namuri arce, & Hypafricum versus magna altitudine Philippovillam, longitudine vero usque ad Mosæ ripam procurrit, superbo sane & amœno valde adspectu.

Niepa sylva. Niepa, Flandriæ saltus longe præcipuus, haud procul Arthesiæ finibus, flumini Lisæ propinquus est, Casleto & Bella pari duarum leucarum intervallo, licet viis diversis, abjunctus. Sylva ingens, amœna, antiqua, & in qua arx situ valida.

Nonna sylva. Nonna ejusdem Flandriæ sylva, Ipris vicina, ingenti magnitudine in septemtriones extenditur, multos pagos & abbatias complexa.

Poodsbergia sylva. Poodsbergia inter Flandriæ Hannoniæque confinia, circa Gerardomontium & Lessinam sita, magnus & orbiculari pæne figura saltus est.

Buscum-Guilielmi sylva. Buscum-Guilielmi Arthesiæ prope Rentejum sylva est, in qua semi-prælium illud inter Imperatorem & Galliæ Regem, anno Christi 1554 commissum est.

Echterwaldia sylva. Echterwaldia, pulchra simul & peramœna Geldriæ ad Arnhemium sylva, boream versus procurrit.

Septem Saltus in Frisia. *Seven Wolden* in Frisia & confiniis Transisalanæ, septem ingentes saltus sunt, haud magnis inter se intervallis abjuncti, unde & uni è tribus Frisiæ Statibus, sive Ordinibus nomen est. Ambiunt autem singuli satis magnum terræ circuitum, & quamplurimos continent pagos, adspectu sane quam delectabili.

Ferarum varia genera. Scatent vero hæ omnes hactenus nobis enumeratæ sylvæ variorum in usum venationis generum feris, quales nimirum cervi, damæ, capreoli, apri, lepores, cuniculi, taxi: quin & glires quoque, & erinacei. Neque desunt propterea lupi, vulpes, mustelæ. Sed è contra adsunt & canes, grandes illi quidem ac praeferoces, & cum noxiis illis feris pellendis, tum & in reliquos venatorum usus perutiles, sed quorum optimi tamen ex Anglia Belgis suppetunt. Est autem & peculiare quoddam hic canum sagacium genus, quos Itali nominant *segugos*, ea *Canes.* indole & virtute, ut operæ pretium sit breviter eos attingere: maxime cum & Silius Italicus, insignis jam inde ab Neronis ævo Poëta,

eorum, & quidem cum laude, libro de Punico bello decimo, faciat mentionem. Duæ ergo sunt canum istorum species: alii enim mediocres, seu media quadam magnitudine, alii quidem minores, sed iidem & pulchriores, ac auribus fere ad terram demissis. Vtrique autem eo ingenio & sagacitate, ut statim atque conspexerint, vel odorati sint feram, sive saucia ea sit, sive intacta, tanta & aviditate simul & obstinatione, per saltus, sepes, valles, montes, & quoscumque alios transitus, ejus persequantur vestigia, ut non ante conquiescant, quam & feram invenerint, & venatori suo ostenderint. Quocirca magnis etiam pretiis exteri eos canes licitantur, quos in alias oras hinc avehant. Sed non videntur illi vel educari, vel genus suum, ea qua hîc quidem indole, peregre propagare posse. Versus Poëtæ, quos dixi, eccisti:

Vt canis occultos agitat cum Belgicus apros,
Erroresque feræ solers per devia mersâ
Nare legit, tacitoque premens vestigia rostro,
Lustrat inaccessos venantum indagine saltus,
Nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem,
Deprendit spissis arcana cubilia dumis.

Est & aliud quoddam peculiare canum aquaticorum genus. Ac principio quidem aviarii illi ab Hispania canes, quos Belgæ *Spiljoenen*, Itali *Barbettos* dicunt, in magno hic & laudabili satis usu. Postea vero novum, ut dixi, inventum est apud Batavos canum genus, quod priorum illorum laudi multum detraxit. Sunt enim isti aliquanto quam illi majores, validi, acres, ore patulo, villis contractis, eaque dexteritate simul & acritate anatem, sive aliam quamlibet prædam insectantes, ut vel illico eam prehendant, vel usque adeo defatigent, dum illa cursu defessa feritati caninæ ultro se dedat. Et ex hoc etiam genere plurimi canes in exteras passim provincias avehuntur. Habet etiam hic tractus paucculas aliquot martes, seu mustelas sylvestres; plurimas lutras, & maximam mustelarum, quas à tetro quem reddunt odore nonnemo putorios vocat, frequentiam. Hæ à pulcherrimis suis pellibus admodum hodie nobiles, & per Europam distribui solitæ. Vrsi quidem & histrices natura hic nulli, sed adducuntur abunde ex septemtrionali orbis plaga. Petuntur & ab ipsa interdum Africa, & trans mare huc advehuntur leones, tigres, lynces, pantheræ, pardi, Elephantes aliæque id genus raræ atque feroces belluæ.

Altilia. Abundat passim hic tractus perdicibus, phasianis, turturibus, coturnicibus, turdis & merulis. In summa omnes hic fere invenias avicularum plus quam mediocrium species; nominatim vero alaudas, quarum ingens profecto est numerus, quæque bonitate simul & suavitate, Anglicanis fortasse, Polydoro Virgilio usque adeo decantatis, non cedant. Pavones, cycni, ardeæ, ciconiæ, anseres, plurium generum anates, gallinæ Africanæ, Indicæ, Cimbricæ, magnitudine simul & bonitate laudabiles, in magna hic copia; sicut & columbarum, tam ferarum, quam domesticarum, varia genera. Gallinagines plurimæ, & quidem insigniter bonæ. Tanta insuper toto tractu, & præsertim in Batavis, avium aquaticarum copia, tam variæ species, ut præter animi voluptatem qua & spectatores nonnumquam; aucupes autem semper afficiunt, magno etiam publice, ob pretii vilitatem, bono atque emolumento sint. Neque desunt hic variorum generum aves rapaces, quarum potior pars in his ipsis regionibus nascitur, cujusmodi senæ, ex Plinii quidem sententia, aquilarum species, accipitres, nisi, falcones tum Alani, tum peregrini, æsalones, buteones, & fringillarii.

Belgarum indoles. Indigenæ forma ut plurimum sunt venusta. Corpus iis quadratum, ac justo temperamento aptaque compositione decorum: & inter alias quidem membrorum proportiones, pulchra valde tam viris, quam fœminis crura. Statura in universum, sunt justa; quam multi tamen excedunt, in Hollandia nominatim & Frisia, ubi corpore fere prægrandi, & supra modum procero. Et est tamen communis opinio, non Cæsaris tantum & aliorum quorumdam scriptorum auctoritate, sed & variis quoque ossium passim è sepulchretis erutorum reliquiis nixa, fuisse Belgas & ejus ipsius Cæsaris sæculo, & diu etiam post, ac ad tempora minimum Caroli Magni, longe proceriores. Quam staturæ mutationem multi adscribunt consuetudini atque commercio exterorum hic assidue versatorum, & etiamnunc versantium, quibus ea nimirum humilior. Ego tamen existimo magis idipsum procedere ex qualitate victus, & contractiore hoc ævo moderatioreque vivendi ratione ac disciplina, quam ex alia ulla caussa. Satis explicat suam super hac ipsa re sententiam, initio statim quarti commentariorum, Iulius Cæsar, cujus hæc quidem sunt verba: *Quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ, quod à pueris nullo officio, aut disciplinæ assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciunt, & vires alit, & immani corporum magnitudine homines efficit.* Sunt vero iidem Belgæ, asserente & Cæsare, admodum dediti religionibus, ac inter primos Galliæ & Germaniæ populos, qui salutari Christianorum fidei dederint nomen, faciente Divo Materno Ticinensi, primo Tungrorum Episcopo, jam inde ab anno Christi centesimo primo.

Anno Christi 531 Arthesii ab D. Vedasto, Abbatiæ Atrebatensis patrono, ad Christum conversi sunt. Anno 545 Nervii, quos Tornacenses nunc dicimus, Divorum Platonis & Chrysolii studio, Christo initiati sunt. anno 633 Morini fidem susceperunt, instituti ab D. Amando Tungrorum Episcopo. anno 690 Divus Willibrordus Batavis, Frisiis, & finitimis nationibus, missis porro in alias oras sodalibus, Christum annuntiavit. Anno 714 ii qui Scaldim accolunt, Christianam fidem amplexi sunt.

In bello tam maritimo, quam terrestri, sive id equitatu gerendum, seu peditatu, populi isti & feroces & fortes, præsertim ubi ducem aliquem nacti acrem & strenuum, quales vix umquam iis desunt. Ita ut hactenus quidem fidem adstruant Cæsaris de ipsorum fortitudine testimonio, qui primo commentariorum, ubi de singulis Galliæ populis in genere sermo est, his utitur verbis: *Horum omnium fortissimi sunt Belgæ.* & libro secundo: *Solosque Belgas esse, qui patrum no-*

strorum

strorum memoria, omni Gallia vexata, Teutones Cimbrosque intra fines suos ingredi prohibuissent. Ac virtutem sane & fortitudinem suam nulli non numquamnon probant. Quod cum alias semper, tum nuper adeo in ultimis istis usque ad annum 1648 bellis, ex tot ab hostibus reportatis eorum victoriis, liquido constitit. Accedit summa rerum maritimarum præsertim in Hollandis & Zelandis præ cæteris totius orbis nationibus peritia; qua fit, ut navibus suis, quarum infinitus pæne est numerus, omnes fere mundi plagas adeant atque perlustrent. Quin usque adeo maris ac periculorum ejus securi sunt, ut non toto modò, quam longus est, anno assidue navigent, sed nec ulla tempestate possint adduci, ut ante itineris instituti finem, alium quemvis portum appellant, strenue prorsus & impavide cum omnibus ventis & procellis colluctantes. Vnde cum nullum plane remittant tempus, citius multo & expeditius, quam aliæ nationes, itinera sua perficiunt. Anno 1088 cum nullæ adhuc naves Zonda, Daniæ freto, in Oceanum septemtrionalem exiissent, Batavi omnium primi fretum illud emensi sunt. Iidem anno Christi 1594, & aliquot insecutis, nullum non moverunt lapidem, quo per extremos Aquilonis recessus, breviorem sibi & commodiorem pararent viam ad remotissimos illos Cathajæ, Chinæ, & Iaponiæ populos: sed felici parum successu, etsi ad 77 tamen altitudinis grad. progressi, ac fretum illud, quod *Waygats* vulgo appellant, emensi, ad Obim usque fluvium enavigassent; quemadmodum in nostra Hiparctica, sive Regionum sub Polo arctico sitarum descriptione fuse monstravimus. Iam de navigationibus eorumdem in Indiam orientalem, non est quod à nobis hic disseratur, extantibus publice scriptis ipsorum libris, ad quos, evitando prolixitatis fastidio, lectorem remittimus.

Belgarum indoles.

Eruditorum, & in omni disciplinarum scientiarumque genere versatissimorum hominum ingens hic numerus. Vnde & olim fuere, & hodie sunt complures, iique celebres valde scriptores. Quin majori gentis parti nota Grammaticæ rudimenta, & vel ipsi etiam rustici legendi scribendique periti sunt. Præterea familiares plerisque linguæ istæ vulgares. Inveniuntur enim complures, qui ultra linguam suam vernaculam, etiamsi domo nusquam discesserint, & exoticas quasdam egregie calleant, Gallicam nempe, quæ natura ipsis perquam familiaris, Germanicam, Anglicam, Italicam, Hispanicam, aliasque remotiores etiam linguas. Sermo eorum vernaculus, exceptis aliquot partibus, ubi gallicissant, germanissantve, exteris fere dicitur Flandricus, Latinis Teutonicus. Lingua mehercules dives, & vocabulis copiosa, animique conceptis exprimendis aptissima, sed perceptu multum difficili, pronuntiatu etiam magis. Habetur autem multis de caussis, & ob monumenta quædam ex vetustate residua, pro re prorsus indubitata, hodiernam hanc Belgicæ linguam, eamdem esse, cum ea, qua utebantur ævo Iulii Cæsaris, qui initio statim commentariorum, ubi docet Galliam omnem divisam in partes tres, super hac ipsa re, his utitur verbis: *Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt.* Quare sicut jam tum Belgæ lingua à cæteris Gallis diversi, ita videntur hucusque veterem illam retinuisse. Cum enim à consuetudine & commercio Romanorum longissime isti abessent, non potuit scilicet ita facile sermo eorum corrumpi: quod palam videmus accidisse finitimis aliarum terrarum, Galliæ nempe, Hispaniæ & Italiæ priscis linguis, quæ reipsa ab sermone Latino degenerarunt, à quo procul dubio longe olim fuerunt diversæ. De origine vero Belgarum testatur Cæsar, *plerosque esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus transductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosque qui ea loca incolerent, expulisse.*

Lingua.

Affirmant nonnulli, inter quos I. Marchantius, linguæ Teutonicæ magnam esse affinitatem cum Græca. Quod cum aliis argumentis, tum ex eo potissimum probant, quod complura sint utriusque linguæ vocabula, non voce tantum & significatione; sed pronuntiatu quoque inter sese simillima. Qualia nominatim, γράφειν, Belgo-teutonibus *graven*; γρυφεῖν, *grypen*; κλώθειν, *klooten*, *klossen*; ἴβηρ, *yver*; στιβεῖν, *styven*; στενεῖν *stenen*; θρηνεῖν, *tranen*; θὴρ, *dier*; λίσπα φθογγὴ, *lispe-tonge*; καλαφάτης, *kalafater*; κρήββατον, *krebbe*; στρόφος, *strop*; λαμπρὸς, *lampers*; φῆλος, *fiel*; κοῖλος, *kuyl*; φρίζειν, *vreesen*; πύργος, *burg*; ὁλκὰς, *hulck*; μάνη Dorice, *mane*; θυγάτηρ, *dochter*; & alia plurima, quæ longum sit recensere. Vnde Ovidio sane adstruitur fides, canenti uspiam, *Græcaque cum Getico mixta loquela sono est*; & Gothos innuenti, seu Danos & Suecos, Teutonibus solo simul & sermone vicinos, licet dialectis inter se differant; adeoque Suecorum hodie linguam inferiores hi Teutones difficulter intelligant, ob duriorem ejus & pinguiorem pronuntiationem: originem vero linguæ Teutonicæ, & variarum ejus dialectorum, Ioannes Goropius Becanus ad veterem illam Cimbrorum refert, verone an falso, penes lectorem esto judicium. Sed utcumque sit, latissime sane patet ejusdem usus, & quidem inde ab Gravelingia, Flandriæ oppido, ad extremam usque Livoniam: qui immensus profecto terrarum tractus est.

Mercatura, & artes mechanicæ.

Sunt præterea Belgæ, præcipue autem Hollandi, strenui mercatores, adeoque omnis generis mercimoniorum intelligentissimi. Quin negotiatione potissimum, & officiis tota pænè Provincia nititur. Vnde & peritissimi sunt artium mechanicarum opifices. Quod apparet in primis ex tam variis egregiorum pannorum generibus, tapetibus nempe, vel ad miraculum pulchris, sajis, ossettis, semi-ossettis, linteis, fustaneis, aliisque varii generis simul & pretii mercibus. Quæ non in omnem solum Europam, sed & Africæ multas partes, adeoque in ipsas usque tam Orientales quam Occidentales Indias, hinc exportantur. Laboriosi etiam sunt, diligentes, ingeniosi, ac omnium adeo disciplinarum capaces, imitantes confestim & exprimentes, puta quibus nihil docilius, quidquid usquam conspiciunt. Quod observavit quoque & memoriæ prodidit Cæsar, & apparet quotidie ex tam multis artibus peregrinis, in has oras invectis, ubi ad Orientis exemplar varia hodie texuntur sericorum pannorum genera. Cæsaris è libro septimo commentariorum verba eccista: *Est*

summæ

summæ genus solertiæ, atque ad omnia imitanda & efficienda quæ à quoque tradantur aptissimum. Sed & multarum insuper magni momenti rerum inventores, & in primis peculiari quadam venustate felicitateque prædíti, in excogitandis statim & inveniendis omnigenis instrumentis, ad expedienda majori facilitate compendioque negotia, & cum alios quosvis, tum & culinarios usus, non ingeniosis minus, quam commodis. Ita ut exteri, non sine admiratione, crebro hinc sumant exemplar. Atque hinc adeo fit, ut isti opera sua ea dexteritate, facilitate, ordineque disponant, ut & parvuli, ac quadriennes modo aut quinquennes eorum filioli, victum illico sibi incipiant quærere. Invenio eos, omnium Transalpinorum primos, non linteos modò, sed & laneos quoque varii generis pannos, exorsos contexere. Quam ipsam artem una cum ratione tingendi in Angliam porro invexerint. Constat quidem, Anglos usque ad annum Christianum 1404, & aliquanto etiam post, classibus suis, lanâ maximam partem onustis, in has oras commeasse, indidemque sibi, quod nec ipsi quidem eunt inficias, de lana tunc prospexisse.

Typographia. Adscribitur quoque, ceu peculiari cuidam honori, huic eidem Belgiæ, multarum memorabilium rerum inventio, & in primis Typographiæ, sive artis illius præclaræ libros formulis excudendi, Harlemi primum repertæ. Inventio sane tam divina, ut nisi majoribus nostris ea defuisset, neque temporis diuturni injuria, neque inscitia barbarorum hominum, nos innumerabili librorum, aliorumque venerandorum in omni disciplinarum genere monumentorum numero, fuerit umquam privatura. Tribuitur quoque Belgiæ cum artis ipsius Musices instauratio, tum variorum musicalium organorum inventio. Currus insuper illi militares, Latinis esseda nuncupati, quorum crebra apud Cæsarem mentio, à Belgis inventi sunt. Canente in Georgicis & Virgilio:

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

Et alicubi Lucano,

Et docilis rector monstrati Belga covini.

Belgia insuper, & in ea Brugæ, olei coloribus admiscendi rationem omnium primæ pictoribus commonstrarunt: rem sane præclaram, & tabulis tantum non in æternum conservandis inventam. Vitro præterea quo pacto colores imprimantur & incoquantur, aliaque eodem pertinentia, & sanequam admiranda, Belgarum inventum est. Et hinc splendida illa cum in ædibus sacris, tum & profanis ædificiis ornamenta. Inventrix est eadem Belgia & aulæorum, sive tapetes dicendi sunt, tam pulchrorum, tamque varie picturatorum: tum subsericorum quoque, quos *saeyen*, *osſetten* & *half osſetten* vulgo appellant pannorum, item amphimallorum, & ne ad minutiora descendamus, varii generis atque usus telarum. Quod vero familiam ducit, maximeque notatu dignum est, iidem Belgæ (ut qui frequentius multo quam cæteræ omnes nationes maria pervagantur) ea principes imposuere ventis vocabula, quæ, omnibus totius fere Europæ nationibus, hodieque iisdem plane vocibus atque terminationibus usurpantur. Quod vel ex ipsis vocabulis, propria meraque Belgarum lingua compositis, abunde probatur, quæ, ut omnibus satis nota, enumerare supersedebimus. Nec tamen nauticæ pixidis inventionem (licet nonnullis id astruentibus) Belgis adscripserim. Quoniam hujus rei, non admodum sane antiquæ, nec Romanis veteribus cognitæ, certus tamen inventor non exstat. Tradit quidem nonnulla super hoc instrumento doctus ille atque industrius scriptor Frater Leander Albertus Bononiensis: Qui hoc ipsum inventum, & primum adeo magnetis in dirigendis navigationibus usum, Amalpho adscribit, nobilissimo regni Neapolitani ad mare inferum oppido, idque, quantum equidem possum conjicere, nec enim ipse satis se explicat, à quingentis, vel & paucioribus annis retro. Vtut sit, ipsum inventum, ob insignem ex eo ad totum genus humanum redundantem utilitatem simul & commoditatem, triumphali sane corona dignum est. Equidem facile patiar Belgas nostros haberi horologiorum illorum, quæ transalpina ab Italis vocantur, inventores: cum, præter alias rationes ab ipsis adferri solitas, magno & plane verisimili argumento sit, quod egregii sint eorum ad quamcunque formam fabricandorum artifices, quodque frequentior in hac una Provincia eorum usus sit, quam in reliquo omni orbe. Vnde & hinc in omnes passim oras horologia illa exportantur. Sunt deinde hi Belgæ veri Musicæ artis antistites, est enim illa iis adeo naturalis & velut congenita, ut & viri simul & fœminæ, summa non solùm festivitate, sed & harmonia, ad numeros naturaliter canant. Cui ingenitæ facultati addita postmodum arte, ea, ceu videmus indies & audimus, tum vivæ, quod dicunt, vocis, tum musicæ instrumentalis edunt specimina, eum concentum, ut in omnibus Christianorum Principum aulis merito foveantur & magni fiant. *Musica.*

Belgarum Indoles. Ingenium Belgis sedatum, & in omni sorte tranquillum. Fortuna cæterisque rebus mundanis utuntur prudenter & pro re nata, nec facile perturbantur. Quod ipsum vel ex eorum sermonibus, atque adeo vultu & capite facile colligas, vix enim nisi extrema senecta canescunt. Quod siqui in iis atræ bili magis obnoxii, & ut sic dixerim, Saturnini, dolori plus satis indulgent, ii videlicet, quod ferendo sint impares, mox vincuntur & contabescunt. Viri in universum non nimis ambitiosi. Ita ut multos videas, qui postquam industriam suam aliquot annos probarunt, ac vel publico aliquo munere, vel mercaturâ, vel alia denique honesta ratione sufficienter auxerunt rem, cognatis & propinquis dent locum, laboribus corpus & animum laxent, ac in otium sese, laudabili prorsus exemplo, recipiant, facultatum aliquam partem ædificationi, cui impense dediti, partem rursus agrorum aliorumque proventuum emtioni impendentes. Sunt iidem natura frigidiores, & valde in re Venerea temperati. adulteria vero etiam detestantur. sed nec iracundiæ quidem, nec superbiæ nimis proclives. neque facile dominatur iis invidia. unde in familiari vita conversatione que civiles, tractabiles, aperti, officiosi,

ciosi, in primis autem faceti, etsi nimis interdum licenter. At ex altera parte, homines sunt per naturam lucri admodum cupidi, & ad quæstum attenti, tum & avidi novitatum. Mulieres, præter insignem formæ præstantiam, qua communiter excellunt, compositissimis quoque sunt moribus, & nativa quadam venustate gratiaque decoræ: quod fit, quia inde à pueritia, recepto quodam & usitato patriæ more, libere statim & familiariter cum quibusvis versantur, unde & in sermone, & in cæteris vitæ commerciis, liberæ, promtæ, audaces: sed in tanta tamen libertate, sive quis malit licentia, honesti atque decori admodum observantes: ita ut non ad urbana tantum negotia, etiam nemine comitante, solemniter prodeant, sed oppidatim quoque per ipsam terram, nullo aut perexiguo comitatu, peregrinentur, nec in linguas tamen idcirco incurrant, vel calumniis sint obnoxiæ. Sunt etiam continentes, & oppidò quam industriæ, non familiarem dumtaxat rem, cujus viri fere exortes sunt & securi, studiose curantes; sed emptionibus quoque & venditionibus, aliisque virorum propriis actionibus sese miscentes, ac non manum minus, quam linguam interponentes: & quidem ea dexteritate & promtitudine, ut in multis terræ Provinciis, Hollandia nominatim atque Zelandia, aliqui, omnium fere rerum suarum curam uxoribus sæpè relinquant. Domesticus & solemnis familiarum in Belgia victus parcus admodum & frugalis. Potus fere cervisia, ex aqua semel atque iterum cocta, tum farre, hordeo, tritico, & lupo salictario, apta quadam & peculiari mixtura, confecta. Cui potui siquis assuevit, is & suavem experitur & salutarem: quin optimam aliquando eam coquunt, & saluberrimam. Creber etiam usus lactis. Pane ut plurimum victitant secalicio. Saliunt inde quotannis, pro familiæ quidem & facultatum modo, unum aut alterum bovem, tum & totidem sues: hinc caseo, butyro, altilibus, piscibus sale conditis, & arboreis fructibus penaria sua tam largiter instruunt, ut magnam anni partem indidem victitent, ac non nisi perraro quidquam à macellariis præstinent. Excedunt tamen nonnumquam hanc parcimoniam, & solemnioribus aliquot festis; qualia Divi ipsis cognominis, Dionysia, & siqua præterea sese offert occasio, magnifice convivantur, & adhibitis sibi cognatis atque amicis, genio liberaliter simul & hilariter indulgent. Sunt enim, ut dixi, ad hilaritatem propensi, adeo quidem, ut nihil vereantur interdum viginti quinque, vel & triginta milliarium iter suscipere, quo certis quibusdam festivitatibus, & præsertim solemnioribus illis supplicationibus, quas ipsi *Kerckmissen*, Græci ἐγκαίνια vocant, per oppida passim & pagos annuatim haberi solitis, tum cognatorum & amicorum nuptiis, aliisque id genus festis intersint. Vestitu utuntur decoro, commodo, eleganti, concinno. Domos habent adeo bene compositas, & nulla non supellectile tam luculenter instructas, ut nihil ultra desideres. Estque jucundum sane spectatu videre, præsertim apud Hollandos, tantam in ædibus εὐλαξίαν, tantum nitorem, tantam denique utensilium omnium copiam, quantam nullibi terrarum reperias. In nata-litiis & initiationibus liberorum, tum in nuptiis quoque & parentalibus Belgæ admodum sumtuosi. In omnibus denique festis & actionibus publicis ad magnificentiam fere inclinant atque splendorem. Solent vero tam Principes, quam privati, quod & aliis fere nationibus Transalpinis in more positum, solent, inquam, in filiis primogenitis renovare parentium suorum, etsi ii adhuc superstites, imo & integra satis ætate sint, nomina. Est autem & hoc in Belgis laudabile, quod ex facili scilicet affinitatem contrahant cum diversarum terræ ipsius Provinciarum hominibus: idque prout offerunt sese occasiones, quæ variæ sæpe & multiplices: non autem uni dumtaxat patriæ; & ex ea civibus se adstringant: unde plurimæ sane existunt commoditates, præsertim vero, quod latiorem habeant eo pacto fortunæ tentandæ campum; quodque adscitis sibi passim & per varias terræ partes adfinibus, non privatim tantummodò, sed & publice, pacem amicitiamque inter se firment atque stabiliant. Quin non cum Provincialibus modò, sed & cum exteris quoque, siquidem prærogativæ quidquam adfulgeat, imo & extra eam, haud raro adfinitatem contrahunt.

Belgica.

Post Gregorianam anni & calendarii reformationem, invectus est & in Belgicam stylus, quem vocant, novus. Geldris tamen, Frisiis, Vltrajectinis, Transisalanis, & Groningensibus veteris styli usum retinentibus.

Horarum in Belgia ratio.

Horarum per universum hunc tractum eadem prorsus, & quidem cum reliqua fere Europa, Italia tantum excepta, communis ratio. Atque ea, nisi me animus fallit, Italicâ magis idonea. Cognoscitur enim ex Italicâ diei quidem ipsius finis, & simul noctis initium, hora vicesima quarta, id est, sole occaso, semper contingens: sed videlicet hoc vel absque horologii opera cognitu longe facillimum. Et commode quidem Italico modo discuntur horæ nocturnæ; diurnæ vero, quas multo pluris interest scire, nequaquam. In Italia denique toto quatuor & viginti horarum spatio unicum tantum efficitur punctum, seu intervallum, ad cujus normam dirigenda deinceps toto illo, quam longum est tempore, operum atque laborum ratio. Vnde nec æstate, nec hieme, nisi forte ex usu, vel calami calculo, sciri potest diei & noctis duratio. Ex instituto vero Belgarum perpetuo scitur, quota præcise hora sit vel diei, vel noctis meridies. Ita enim comparata sunt hic horologia, ut omni omnino tempore, duodecima quidem diurna, meridies; eadem vero nocturna sit noctis concubium. Ita ut ex duobus hujusmodi punctis, usui vitæ humanæ tam necessariis, cuilibet sit in promtu, statim ut horam audit, colligere, quantum absit vel à diei, vel à noctis meridie. Ideoque & scitu facillimum, quotnam adeo horas, tam æstate, quam hieme, dies ipsi & noctes durent. Institutum profecto admodum utile. Sicut illud quoque peropportunum est, quod non in urbibus tantum & oppidis, sed in pagis quoque, imo & alicujus nominis viculis, tanta passim horologiorum, tum publicorum, tum privatorum sit copia.

B E L G I C Æ
P R I N C I P E S.

Philippus Bonus.

PHilippus Burgundus cognomine Bonus, Ioannis Intrepidi filius, merito imperii Belgici architectus dici meruit: cum enim Belgicæ Provinciæ variis ante eum parerent Dominis, pactis, emtionibus, ſucceſſionibuſque ſub unius Philippi imperio conſociatæ ſunt. Flandriam, Arteſiam, & Mechliniæ Dominium jure hæreditario à Patre adeptus eſt. Namurci Comitatum à Ioanne conſanguineo, ita conveniente, ut quamdiu viveret, ea ditione tituloque frueretur, coëmtum, cœpit poſſidere anno 1428. Brabantiam, Limburgumque Ducatus cum annexis Ditionibus Trans-Moſanis, & Sancti Romani Imperii Marchionatu, extincto Philippo patrueli, jure ſucceſſionis anno 1430 conſecutus eſt, conſentientibus Ordinum Brabantiæ ſuffragiis. Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, Friſiamque ex hæreditate Iacobæ conſobrinæ anno 1436 adiit. Lucemburgi Ducatum obtinuit moriente Iſabella: partim transactione, qua Wenceſlaus Imperator illam neptem ſuam Antonio Brabantiæ Duci Philippi patruo nuptum elocaverat, maritumque ejus, ac ex quacunque uxore heredes, ea Ditione adauxit pro centum aureorum millibus Wenceſlao numeratis, inſuperque ab Antonio centum & viginti florenorum millibus, in dotem Iſabellæ remiſſis. Partim quod nova addictæ hæreditatis conventione, & nummorum & exercitus ſui auxiliis, Philippus Iſabellam devinxiſſet, ejectamque potiſſima ditionis parte in integrum reſtituiſſet: Saxonum in Luxemburgenſem Ducatum actionem pòſt, Dalerorum plusquam centum millibus extinxit. Princeps hic laudatiſſimus cum Iſabellam Luſitaniæ Regis filiam in uxorem duceret, famigeratiſſimum Aurei Velleris ordinem inſtituit. Tandem gloria plenus, apud exteros æſtimatiſſimus, à ſuis cumprimis cultus & amatus, ſupremum diem obiit anno 1466, ætatis 71, regni 48.

Carolus Bellicoſus.

Carolus Bellicoſus, ſeu Pugnax, mortuo patre omnium Belgicæ regionum imperium jure hæreditario adeptus eſt, quod à Patre ſtructum non mediocriter ampliavit; adjecit enim ad hæc Geldriam Ducatum & Sutphaniam Comitatum, à Duce Arnoldo Egmondano (qui Adolphum filium exhæredaverat) anno 1473 emtione primò; deinde, mortuis Arnoldo Adolphoque, contra Adolphi filium armis acquiſitos. Maximis magnanimus hic Princeps conatibus adlaboravit, quo titulum Regis Burgundiæ, Imperiique in Provinciis cis Rhenum Gallicanis Vicariatum ab Imperatore conſequeretur, atque eam ob cauſam Maxæmiliano Frederici III Filio Mariam filiam unicam deſponſavit. At cum omnia jam creando Regi ſolemnia eſſent parata, ac Georgius Epiſcopus Metenſis delectus ad ſacrum faciundum, regiamque inunctionem, per Cæſaris repentinam inconſtantiam & diſceſſum omnia vana evaſere: auxit potentiam transactionibus cum Ludovico Galliæ Rege confectis. In ipſo tandem ætatis, & rerum geſtarum flore anno 1477 ad Nancæum pugnâ occiſus eſt.

Maria Valeſia.

Mariam filiam Caroli Pugnacis & hæredem unicam forma excellenti virginem certatim Fridericus III, Imperator, & Ludovicus XI Gallorum Rex, hic Carolo ſeptenni, ille Maximiliano filiis ſollicitaverunt. Fridericus pro Maximiliano Ordinum Belgicæ, & Caroli Bellicoſi defuncti voluntate obtinuit; nuptiæque anno 1477 celebratæ ſunt. Galli interim, repulſam iniquo ferentes animo, Mariæ bellum indixerunt, Ducatum Burgundiæ aliaſque provincias occupantes, quas Maximilianus Auſtriacus biennio à matrimonii confectione, Gallis ad Terouanam Morinorum ductu Engelberti Naſſovii profligatis, cæſiſque, recuperavit. Cæterum Maria corporis & ingenii vigore excellens, anno vigeſimo quinto ætatis, Principatus quinto & menſe tertio equo delapſa, poſt tres ſeptimanas Brugis deceſſit anno 1482. Filios ſuperſtites relinquens Philippum quadriennem, & Margaretam.

Philippus Pulcher.

Philippus Auſtrius, cognomento Pulcher, infans matri defunctæ in imperio Belgicæ ſucceſſit. Maximilianus interea tutelam filii Gandavi ſolemniter juratus ſuſcepit; quam cum per adulatores populivoros ſeductus liberius & ſumtuoſius gereret, maximos in Belgica concitavit motus, præſertim Gandavi & Brugis; ubi in tantam civium alienationem immodeſtiamque incidit, ut intimorum aulicorum & officialium ſuorum publicos carceres & cædes ferret. Imo ipſe in forum Brugenſe ab armatis civibus occupatum civiliter accerſitus, in ædibus Craneburgicis tanquam captivus, cæterum omni adhibita obſervantia, à civibus cuſtoditus eſt. Tandem Philippo Principe Belgarum poſtulante liberatus eſt, & delicta utrimque condonata, filii tutelam in omnibus Belgicæ provinciis, unica excepta Flandria retinuit, quam & anno 1489 etiam in Flandria pace facta recepit; receptam Imperii Germaniæque negotiis poſthabuit, & Margaretæ Eboracenſi, Caroli ſoceri viduæ, Adolpho Raveſteynii Regulo, Franciſco Buyſleidio Archiepiſcopo poſt Veſontino, & Iohanni Carondeleto Cancellario, Chunuanſii Sorræque Domino, filii curam commiſit. Interea temporis Philippus maturitatem nactus, fidelitatis ſacramento à Belgis accepto, ad imperium inauguratus eſt. Princeps tot omnium virtutum titulis inſignitus, ut paſſim eum humani generis delicias appellarent. Cæterum ut hæ Regiones haud ita à multo tempore matrimoniis, affinitatibus, emtionibus, aut armis in unum quaſi corpus coaluerunt, ita poſtmodum per nuptias Philippi Principis cum Iohanna Hiſpaniæ Regis filia natu majore, poſt fratris Iohannis Caſtellæ Principis, hujuſque filii ex Margareta Auſtriaca unici obitum, Hiſpaniæ quoque regna acceſſere. Ad quæ capeſſenda poſt mortem Iſabellæ Reginæ, Philippus ex Flandria in Hiſpaniam trajecit, ubi poſt alterum annum præmaturâ morte in ipſo ætatis flore omnibus eripitur anno 1506; relictis Leonora, Carolo, Iſabella, Ferdinando, Maria, & Catharina poſthuma ſuperſtitibus liberis.

Carolus Auſtriacus.

Carolus Auſtriacus, Maximus publico diplomate à Paulo III, P. M. cognominatus, naſcitur Gandavi anno 1500 die S. Matthiæ Apoſtolo ſacra.

Anno

Anno 1515 à Cæsare avo emancipatus Brabantiæ Dux inauguratur. 1517 in Hispaniam trajicit relicta ad Belgicæ gubernacula Margareta amita, anno insequenti coronatur; & 1519 Francofurti Imperator renuntiatus in Belgium revertitur. Maxima gessit bella semper victor, semper augustus. Italiam ingressos, Neapolim obsidentes, Papiam cingentes Gallos variis iisque cruentis superavit præliis, Regem ipsum Franciscum I, captivum habuit, & pace facta dimisit. Mexicam Duce Ferdinando Cortesio, ipso Rege & ultra 100000 Indorum cæsis, Peruanum Indiæ regnum opulentissimum Duce Francisco Pizarro occupavit. Hispaniam rebellantem, ut & Germaniæ Principes domuit. Romam Duce Borbonio armata manu ingresso cœpit. Cum Carolo Egmondano Geldriæ Duce pacem fecit, & de successione in Geldriæ Ducatum & Zutphaniæ Comitatum transegit. Florentiæ Medicæos post diuturnam obsidionem restituit, Alexandrumque Medicæum Ducem præposuit. Turcam Viennam exercitu CCC millium militum obsidentem, irrito conatu procul retrocedere coëgit. Magnopere Belgicum Imperium amplificavit: anno enim 1528 Episcopatum Vltrajectensem, Transisalaniam, Trentam, Twentamque, & anno 1536 Groningam cum regione annexa, Omlandos & Lingam Comitatum, nec non Geldriæ Ducatum Hollandiæ, & sic Belgico suo annexuit Imperio. Cameracum item & Cameracesium ad Artesios adjecit. 1540 Gandensium tumultus præsens ipse compescuit. 1548 Provincias Belgicas in Comitiis Augustanis Imperii membrum & Circulum fecit, Burgundicum dictum, his conditionibus, ut non tantum iisdem, ac cætera Imperii membra privilegiis, immunitatibusque, sed etiam salvo uniuscujusque Provinciæ antiquo libertatis potestatisque jure fruerentur, ita ut statutis Imperii ac decisionibus nullatenus obnoxii essent. Tandem ter maximus Imperator Belga ipse & Belgarum Princeps tot tantisque rebus, & pluribus, de quibus Historicos consule, actis annorum & gloriæ plenus, Philippo filio, Bruxellis in pleno Ordinum Conventu anno 1555 Belgarum Principatum renunciat, uti anno insequenti omnia sua regna: & Fratri Ferdinando Imperium. Moritur in Extremadura Hispaniæ Provincia in monasterio D. Iusti ordinis Eremitarum D. Hieronymi anno 1558.

Provincias has Circulum Imperii facit.

Philippus II. Austriacus.

Philippus, Caroli V filius, Patri in tot regna & Principatus successit: res gestas ejus passim apud Historicos reperire est, uti occasiones, ortum, progressumque belli Belgici, quod ejus temporibus Belgæ contra Gubernatores Regios magna cum animositate arripuerunt; id sub Alberto Austriaco & Isabella Clara Eugenia, nec non Philippo Hispaniarum Rege ejus nominis Tertio continuatum, donec Philippus IV, Magnus nomine, & re Pacificus, belli adeo cruenti & longævi pertæsus, & miserias Populi miseratus, cum Fœderatis anno 1648 pacem confecit, renuntians omnibus & singulis suis juribus & prætentionibus, quas in Provincias Fœderatas unquam habuisset.

Divisio Belgicæ in Regiam & Fœderatam.

Hinc est quod Belgica in duas distribui solet partes, Regiam, quæ Regis Hispaniarum dicto est audiens: & Fœderatam, quæ libera nullius agnoscit imperium. Hispaniarum vero Rex Potentissimus possidet Belgicæ Provincias, Brabantiam, Limburgum, & Luxenburgum Ducatus: Flandriam; Hannoniam, Artesiam & Namurcum Comitatus: Marchionatum S. R. Imperii, & Mechliniam Dominium, præterea Gelriæ tetrarchiam Ruræmondanam. Fœderatæ, & fœdere junctæ sunt: Gelria Ducatus, cui Sutphania annumeratur, Hollandia, Selandia, Comitatus: Vltrajectum, Frisia, Trans-Isalania & Groningia, cui Omlandia additur, Dominia.

BELGICÆ REGIÆ REGIMEN.

Gubernatio Principis.

Differemus deinceps de regimine, sive imperio, quod in Belgicam Regiam, suo adeo nomine, suoque jure Princeps exercet; Potentissimi Austriaci sanguinis Principes, cum præter hanc ditionem, tot alibi quoque possideant regna, tot Provincias habeant imperio suo subjectas, tractui isti gubernando per se non sufficiunt; quod factum tamen antehac à Burgundiæ Ducibus: ideoque solent hic constituere peculiarem Gubernatorem, atque Vicarium, Consiliis suis stipatum, qui idem & Burgundiæ Comitatui præest. Et Maximiliani quidem Imperatoris, ejusque filii, Regis Philippi, temporibus, præfuit aliquamdiu Georgius, Dux Saxoniæ. Tempore vero Caroli Quincti Imperatoris, gubernavit initio multos annos D. Margareta Austriaca, Cæsaris amita. Qua defuncta, commisit anno 1531 idem Carolus terram hanc gubernandam Mariæ, reginæ Hungariæ, sorori; quæ præfuit usque ad annum 1555, quo ipso tempore, Imperator ditionum istarum administratione ultro se abdicavit, easque filio suo, Philippo Regi, possidendas concessit. Qui Emanueli mox Philiberto, Duci Sabaudiæ, matrueli (duabus enim sororibus, Emanuelis Portugalliæ Regis filiabus nati sunt) gubernandas commisit, collato eidem Legati, sive Capitanei sui Generalis in Belgia titulo. Hic cum ejusdem Catholici Regis beneficio recuperasset à Galliæ Rege ditiones suas Sabaudiæ & Pedemontii, præfectura se abdicavit, & mense Augusto anni 1559 Provinciis istis excessit. Quocirca Rex eas tradidit gubernandas sorori suæ D. Margaretæ Austriacæ, Parmæ & Placentiæ Ducis uxori, constituto ei, hoc ipso nomine, annuo triginta sex millium aureorum honorario, præter emolumenta, quæ solent accedere. Venit postmodum anno 1567 Dux Albanus, & discedente Gubernatrice, mansit ipse Legatus, Capitaneus Generalis, & Regius Belgiæ Gubernator. Cui post annos sex discedenti successit Ludovicus Requesenius, magnus Castellæ Commendatarius. Quo in Provincia mortuo, Rex anno 1576 temporario suo decreto, & per modum, ut vocant, provisionis, rerum Belgiæ summam commisit Consilio suo, quod dicunt, Status, ac tandem initio mensis Novembris anni jam dicti successit Serenissimus Princeps D. Ioannes Austriacus, Regis frater, à Majestate sua ad præfecturam hanc missus iisdem

Regii hujus tractus Gubernatores.

dem quibus alii titulis, sed amplissima quadam ac tantumnon regia potestate. Cui, biennio post, vel præterpropter, extincto, surrogavit, iisdem titulis, præeminentiis, & auctoritate Rex Alexandrum Farnesium, Parmæ & Placentiæ Principem, suum ex sorore nepotem. Eum dico, qui retulit postea in his ipsis Provinciis tam crebras tamque stupendas ab hostibus Regis victorias. Principi Parmæ circa initium anni 1593 Atrebati vita defuncto suffecit Rex per modum provisionis Illustrissimum Petrum Ernestum, Mansfeldiæ Comitem, qui annuo fere spatio, & usque ad Serenissimi Principis Ernesti Austriaci, Imperatoris Rudolphi Secundi fratris, adventum, rebus in Belgio præfuit. Ernestus vero cum extremo Ianuario anni 1594 in Belgicam advenisset, Februario anni sequentis 1595 Bruxellæ rebus humanis exemtus est. Ei suffectus per modum provisionis Comes Fontanus, qui gubernavit usque dum advenisset Serenissimus Princeps Albertus Austriacus, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Toletanus, & tunc temporis Prorex Lusitaniæ. Is Februario anni 1596 Bruxellam ingressus, & magnifice admodum splendideque susceptus, præfuit regio nomine usque ad annum 1598, quo tempore Rex Philippus, jam senio gravis, Principis filii sui consensu, despondit eidem Alberto filiam natu majorem, Isabellam Claram Eugeniam, Hispaniarum Infantem, data ei in dotem hac ipsa Belgica, & Burgundiæ Comitatu. Atque eo defuncto anno 1621, Isabella rursum Regis nomine prudenter Brabantiam, Lucemburgum Ducatus, & Flandriam, Arthesiam, Hannoniam, &c. Comitatus gubernavit. At verò Isabellâ Clarâ Eugeniâ, Hispaniæ Infante, anno 1633, ipsis Kalendis Decembris, defuncta, ejus in locum successit Don Franciscus de Moncada, Aytonæ Marchio, Gubernatoris Generalis Hispanæ Belgicæ obiens munia, ad Cardinalis Infantis, (qui Serenissimi Philippi IV Hisp. Regis, frater) adventum usque; qui ad diem Novembris quartum, anni 1634, Bruxellis appulit: Vnde sequenti statim anno, scilicet 1635, Galliæ regno bellum palam indictum est. Princeps hic, anno 1635, Schenckianam arcem cepit: Venloam dein, Roermundam, Stralam etiam ac Limburgum, anno 1637, suæ ditionis fecit: ad diem Novembris nonum, anni 1641 morte raptus. Quo denato, Don Franciscus de Melo Belgicæ regimen suscepit, Belgii & Burgundiæ Gubernatoris Supremi titulo cohonestatus; donec Archidux Austriæ Leopoldus Guilielmus, Imperatoris Frater, ad diem Aprilis 11 anni 1647 Belgium recturus appelleret: qui, rebus quam pluribus præclarè gestis & heroicis facinoribus gloriosus, anno 1655 discessit: cui, anno sequenti, Don Ioannes Austrius suffectus fuit: qui & ipse Kalendis Martii, 1659, deserto Belgii regimine, Hispanias denuò petiit. Iam verò Caracenæ Marchio, (ante hac Mediolani aliquot annos Gubernator,) rerum summâ in Belgio, maxima cum laude, potitur.

Habet autem ut plurimum Gubernator, seu mavis terræ istius Præfectus, tamquam Legatus atque Vicarius Principis, tantam in eam auctoritatem, tantum imperium, quantum ipsemet, si dicendum sit, Princeps. Et tamen quotquot ad universale regimen pertinent Magistratus, Principis tantum nomine auctoritateque præsunt. Cujus solius est, supremas illas dignitates conferre, & pro arbitratu eligere Præsides, Cancellarios Consiliarios Status, & Sanctioris, sive Privati Consilii, Capita, Thesaurariumque Financiarum, sive ærarii Principalis, aliosque nonnullos, ipsius electioni reservatos, profanorum muniorum ministros. Quin de Episcopatibus quoque, Abbatiis, & præcipuis aliquot Ecclesiasticis dignitatibus, usque ad certam, ut vocant, taxam, solus Princeps disponit: omnesque adeo leges, decreta, & alicujus momenti negotia ejus unius nomine & auctoritate tractari & expediri solemne est. Sed videamus nunc jam, quales hi Magistratus, & quænam eorum sint partes. Si præmonuerimus tamen, non ita pridem factum, cum duo illa, de quibus dicturi sumus, Consilia, Status videlicet atque Privatum, unico tantum, eoque Privati Consilii nomine, apud Principem resederunt. Quod ipsum Consilium, à prima sui institutione, omnia illa, quæ ab utroque nunc pendent negotia, solum expediit. Succrescente autem deinceps negotiorum mole, & supervenientibus maxime tam crebris tamque continuis tractui nostro bellis, necessum fuit, hoc ipsum Consilium in duo velut membra dividere, ac ea, quam dicam, auctoritate prærogativisque munire.

Consilium Status.

Consilium Status, Gubernatori ex more adsistens, incerto quodam, & pro re nata, ipsiusque adeo Principis voluntate, nunc plurium, nunc pauciorum rursus Consiliariorum numero constat. Ingrediuntur vero in id peculiarium aliquot Provinciarum Gubernatores; hinc Doctores nonnulli & viri illustres, propter merita sua & virtutes à Principe ad hanc dignitatem evecti. Agnoscunt vero hi supra se Præsidem, virum doctrina & prudentia gravem. Et cum hoc quidem Consilio consultat atque deliberat Gubernator de rebus ad statum Principis & publicum bonum spectantibus. Agitur enim in eo de pace & bello, ac de universali terræ regimine. Recensentur & examinantur omnia nuntia monitaque undecumque accepta: tum & arcana cum Principibus, & finitimis fœdera. Agitur & de retinendis vel exauctorandis chiliarchis; de propugnaculis, munitionibus & armamentariis: de mittendis & excipiendis Legatis. Referuntur etiam ad hoc ipsum Consilium graviora quæque aliorum Consiliorum negotia. In summa incumbit ei tota moles & suprema omnium rerum ad gubernium tutelamque ditionis spectantium administratio. In negotiis vero extraordinariis & quæ gravioris momenti, adhibentur etiam in Senatum omnes quotquot sunt Equites Aurei Velleris, tum & alii particularium Provinciarum Præfecti, & Principales ministri, inter quos Audientiarius.

Consilium privatum, ejusque auctoritas.

Consilium Regis Privatum, sive arcanum, quod & ipsum Gubernatori adsistit, constat ferè denis vel duodenis Consiliariis, qui omnes aut Iurisconsulti, aut etiam Equites, virtutum & meritorum ergo ad hunc Magistratum electi. agnoscunt vero & isti supra se Præsidem, penes quem

quem est majoris sigilli regalis custodia. Nomen ei ab Gallica voce *privé*, quæ Latinis privatum sive arcanum sonat; quod videlicet Principi intimum & velut domesticum ac familiare sit. Tractabat initio, ut diximus, omnia aulæ & totius Status negotia. Sed facta postmodum dichotomia, cessit Consilio Status eam quam indicavimus partem, reservatis sibi, quæ justitiam, jus & politiam concernerent, tum & suprema quadam in Consilia cætera potestate & superintendentia. Ejus enim est, concedere privilegia & consensus, seu permissiones principales: ejus, expedire delictorum remissiones & gratias: ejus denique, promulgare leges, decreta, statuta, & edicta. Vnde & hujus Consilii Senatores dicti vulgò supplicum libellorum Magistri. Spectat insuper ad eos cognitio & judicatus litium & querelarum super limitibus & confiniis terræ, ac præcipuis ditionis, superioritatis & auctoritatis, tum Principalis, tum & Procerum quoque seu satraparum, aliorumque Aulæ administrorum, in tabulas ordinarias relatorum, partibus. In summa, est hoc Consilium veluti vallum quoddam ac propugnaculum justitiæ, & supremam habet in omnibus rebus potestatem. Quarnm tamen gravissimas, vel cum ipso, si adest, Principe; vel eo absente, cum generali Gubernatore, nonnunquam & cum Consilio Status communicare consuevit. Quemadmodum & negotia Status, quibus juridicum aliquid vel politicum est admixtum, cum sanctiore Consilio communicantur & conferuntur.

Consilium Financiarum & ejus officium.

Residet hinc Bruxellis in Aula Consilium, cui & hic, & apud Gallos nomen Financiarum est. Idque constat è tribus notæ prudentiæ inter Belgas Dynastis, qui vulgo audiunt Capita Financiarum: uno Thesaurario; uno Tribuno ærario, seu generali Quæstore; & tribus honesto loco natis, peritis, & muneris tanti capacibus viris, quos vulgo vocant Commissos: tum duobus Graphiariis, aliisque aliquot administris. Et penes hoc quidem Consilium suprema est in Principis patrimonium annuosque proventus auctoritas: tum & super ordinariis extraordinariisque subsidiis, super Cameris sive Collegiis Rationum, Quæstoribus, aliisque pecunias Principales tractantibus, dispensatio. In eo fiunt taxationes, & expediuntur pecuniarum, pace belloque necessariarum, ac vel in arces & propugnacula, vel in alios tam ordinarios quam extraordinarios usus, totiusque adeo Ditionis tutelam & conservationem impendendarum solutiones. Locat etiam hic Senatus, interventu Quæstorum, & prævio Camerarum Rationum adsensu omnia Principis vectigalia. Moderatur atque restringit, pro instituti & commentarii sui ratione, locationum leges. Et ut paucis dicam, penes ipsum est dispositio, potestas & administratio omnium & quorumcunque bonorum & pecuniarum Regalium. Vnde proprie dici possit gaza quædam atque thesaurus Principis, quo is utitur ceu perfugio quodam & sacra, quod ajunt, anchora, in quavis occasione atque necessitate. Ordine quidem & legibus ita exactis, ut & exteri aliquot Principes hinc non raro petierint ditionum suarum administrandarum exemplar.

Virga rubra seu capitalium rerum Quæsitor.

Sequitur vero eamdem aulam & Præpositus ejus, sive capitalium rerum Præfectus. Quem isti ab rubra quadam, eaque prælonga & spinosa virga, quam præferendam sibi is curat in justitiæ signum, *de Roode Roede* vocant; qui Magistratus, præter eam, quam aulæ solemniter præstat operam, aliquando etiam est pro latrunculatore, & rerum criminalium per agros passim & rura quæstore, quem Itali quidem *il Bargello di campagna*, Brabanti vero dicunt *den Drossaert*. Quod magni sane momenti & auctoritatis est munus. Sed cum iste Drossartus non egrediatur Brabantiæ finibus: sicut nec alii quoque, Flandriæ nempe, Hannoniæ, & si qui præterea sunt Drossarti, Provinciarum suarum limites umquam excedunt: hic aulicus noster Præfectus universam adeo ditionem perambulat, & quidem pro occasionum & potestatis sibi in grassatores & vagabundos ab aula concessæ modo. Adeo ut posteà factum sit, ut de reis ipse sua unius sententia, ac pro arbitratu statueret, sumeretque etiam capitis supplicium. Sed adjunctus ei est deinde, ad exercenda id genus judicia, regius delegatus.

Camera Rationum & ejus officium.

Habet deinde Bruxellæ domicilium & alius quidam Regius Magistratus, qui Financiarum veluti membrum est, & vulgo audit *la Chambre des Comptes*, Camera Rationum. Cui solemniter olim præerant unus Præses cum septem Ratiocinatoribus, & aliis aliquot administris. Hodie vero auctior multo eorum est numerus, etsi non omnes tamen in functione. Sunt enim nunc præter Præsidem, rationum Magistri duodecim: Auditores, tum ordinarii, tum extraordinarii, quinque; & alii quidam Officiarii. Et huic quidem Senatui rationem reddunt suo quisque loco & tempore omnes, quotquot sunt, in Ducatu Brabantiæ & annexis illi dominiis, tum & Lucemburgensi Ducatu Thesaurarii, Quæstores, aliive Regiarum pecuniarum Oeconomi, acceptis ab eo vicissim, juxta Regias constitutiones, debitis apochis, sive acceptilationibus. Præter vero hanc Bruxellensem, & alia est rationum Regalium camera, in Flandria nempe. Atque hi demum illi sunt Magistratus, qui, Principis nomine, generali Belgarum Gubernatori ex veteri & solemni more, adsistunt. Sedenim præter hunc ipsum Gubernatorem, est & peculiaris, ut suis infra locis docebitur, unicuique fere Provinciæ suus Præfectus; ad quem, ceu Vicarium Principis, rerum præcipue bellicarum ejus cui præest Provinciæ summa solet referri. Ipse vero universalem illum Gubernatorem reveretur, eique obtemperat. Notandum autem, iis, qui vel in Aula Principi operam suam impendunt, vel apud exteros Principes ejus sunt Oratores, aut alio quovis titulo peregre absunt, speciali quadam gratia privilegioque concessum esse, ut qui peregre ipsis nascuntur filii, ii, ubicumque in lucem edi contingat, pro suo ipsorum delectu, vel loci ubi nascuntur, vel patriæ suæ paternæ privilegiis gaudeant.

Consilia Provincialia.

Habet insuper Princeps in singulis fere Ditionis hujus Provinciis, ut & infra suis videlicet locis commemorabimus, singula sua Consilia, sive Curias, ut sic dixerim, juri dicundo præpositas.

positas. Quæ nonnullibi, ut nominatim Mechliniæ, Parlamenti, alibi rursus, ut in Brabantia, Cancellariæ nominibus veniunt. Constant autem, pro regionis cujusque modo, senis, octonis, denis, duodenis, sedenis, vel & duodevicenis Consiliariis. Qui omnes aut Legum Doctores, aut saltem Licentiati. Horum alii Præsidem, alii Cancellarium supra se, tamquam caput, agnoscunt. Resident etiam apud singulas Curias singuli Advocati fiscales, & Procuratores Regii generales. Sunt dein Graphiarii, Secretarii, aliique minorum gentium administri. Atque hi omnes Justitiæ administratores eliguntur ut plurimum ab generali terræ Gubernatore, & statuitur quidem in omnem vitam à Principe honorarium. Habet autem hic Magistratus maximam sane in civilibus simul & criminalibus caussis auctoritatem, cum de iis etiam controversiis quæstionibusque cognoscat, quæ ad Principis ditionem & patrimonium pertinent. Quin de fundamentis quoque, differentiis atque confiniis, ex Abbatiis & earum jurisdictionibus ultro citroque nascentibus, idem hic Magistratus non active minus, quam passive cognoscit, solis iis exceptis bonis, quæ vulgo vocant amortisata, id est, commercio omni humano exemta, de quibus disceptatur in tribunali Ecclesiastico. Facit ut observentur privilegia, immunitates, officia, beneficia, provisiones & cautiones ab ipso Principe quovis modo concessa. Particularibus tamen jurisdictionibus & privilegiis semper salvis. Vocantur præterea coram hoc Magistratu in jus non omnes tantum ministri & officiales Regii, verum & ipse nonnunquam Rex. Cujus nomine caussam defendunt Procurator & Advocatus fiscales, nec vel auctoritate potentiave, vel alio quovis adspectu, cuiquam infertur injuria. Quin evênit aliquando in Geldria, Philippi Secundi Regis temporibus, ut cum caussâ cecidisset sua Majestas in lite quam agitaverat cum Toparcha Anholtino, nec reperiretur, qui sententiam vellet exequi, ipse Rex eam de facto executioni mandandam curaverit. Appellant quoque suprema hæc tribunalia inferiores omnes consessus juridici, singulorum ex illis jurisdictioni subjecti. Et judicatur in eorum plærisque, nominatim in Brabantino, Mechliniano, Hannoniensi, definitive, ut vocant, nec ulla datur ab Regiis istis Consiliis provocatio. Sed obnoxia tamen ea, in civilibus quidem caussis, altera partium ita petente, & ordinaria juris via etiam impetrante, certæ cuidam sententiarum suarum recognitioni, quam vulgo revisionem appellant, cui ut plurimum adhibentur ex aliarum Provinciarum Consiliis aliquot Senatores, dimidium fere illorum, à quibus lata sententia, numerum adimplentes: atque hi conjunctim deinde scripturas & munimenta processus recognoscunt, & secundum comperta probataque, numeratis suffragiis, judicant atque pronuntiant. Raro tamen aliter res succedit, quin is, qui revisionem obtinuit, quæ & habet ingentes sumtus, & executionem sententiæ latæ nihil retardat, & operam simul & oleum perdat.

Leges.

Legibus vero, tam quod attinet ad civile, quam canonicum jus, & in hisce Consiliis, & in aliis omnibus terræ foris, utuntur communibus: municipalibus tamen & peculiaribus quorumdam locorum statutis, quorum ingens est numerus, tum Principum quoque rescriptis & constitutionibus semper salvis: quæ omnes omnino leges, privilegiis tantum exceptis, præcedunt. Sedenim de his ipsis, priusquam perferantur & promulgentur, non sine præviis Consiliorum Provincialium votis atque suffragiis, mature deliberatur, & ita firmo solidoque fere nituntur jure, ut cum communibus ipsis legibus multum conveniant.

Commissarii Regii.

Iam vero præter omnem hanc εὐταξίαν, & administrandæ justitiæ rationem, delegat quotannis, Regio nomine, Gubernator Commissarios quosdam, qui non in urbibus solum primariis, sed in omnibus quoque alicujus nominis oppidis, creent formentque Magistratus urbanos. Injuncto etiam iis, ut accepti quoque & expensi singularum urbium tabulas recognoscant. Speciatim vero id fieri præcipit in Ducatu Brabantiæ, ubi singularem quandam auctoritatem & jurisdictionem possidet Princeps in loca sacra. Mandat insuper iis ut recognoscant rationes templorum, Cœnobiorum, & Nosocomiorum. Quo videlicet fiat certior num pia ejusmodi loca sarta tecta serventur, & convenienter administrentur eorum proventus. Quod siqua inveniantur confusa, siqui manifestiores abusus, iis, statim ut ad Aulam delata sunt, severissime providetur. Adeo quidem, ut licet omnes hic urbes, omnia etiam oppida, aliaque alicujus momenti loca, suis regantur & vivant legibus, plurimisque gaudeant privilegiis, & eximia quadam in politicis polleant libertate; gubernationis tamen ipsius summa, & primariæ quæque ditionis totius dignitates à Principe primum, tamquam fonte, dimanent, & in eum rursus redundent. Solent vero omnes Gubernatores, omnes Præsides, Cancellarii, Thesaurarii, Quæstores, & quidquid præterea Regiorum administrorum est, sive togati sint, sive sagati, in munerum dignitatumque suarum auspiciis, Principi ipsi præstare jusjurandum fidelitatis & observantiæ. Sicut publici quoque oppidorum atque pagorum, & privati Toparcharum & Satraparum ministri, tum in hoc nostro tractu, tum in omnibus generatim regionibus transalpinis, Superioribus suis fidei sese & obsequii sacramento obstringunt.

Peditatus ordinarius.

Non habet in hac ditione sua Princeps, extra bellum quidem, & pacis tempore ordinarium aliquem peditatum ad militares usus descriptum. Quod Italis tamen magna ex parte, & Gallis solemne. Quia nempe ex facili, & quandocumque Principi visum est, ille, vel è vicina Germania, vel ex ipsa etiam terra parabilis. Tantum in ipsis limitibus, & præcipuis propugnaculis, ubi pediti nempe incumbunt excubiæ, præsidio habet pauculas quasdam millenarias ejus cohortes. Alicubi vero habetur & equitatus. Sed est vetusta quædam equestris militiæ turma, caute & circumspecte olim, adeoque anno 1547, ab Carolo Quincto Imperatore in ordinem restituta, quæ constabat ternis equitum millibus, partim quidem cataphractorum, partim vero levioris armaturæ, quos posteriores Gallica voce

voce Belgæ dicunt *Archiers*. Continebat autem hic equitatus sexcentarum, ut isti loquuntur, lancearum cohortem, computatis in lanceam, Belgico more, quinis equitibus, qui apud Gallos sunt seni. Atque hic quidem sexcentenarius numerus lancearum, per opportuniora quæque terræ loca varie sparsus, distribuebatur in quatuordecim alas, vulgo *de Benden van ordonnantie*. harum quæ plenæ sunt, quinquagenis, quæ minus plenæ, tricenis dumtaxat lanceis constant: an mos hic obsoleverit, compertum mihi non est: sed cum lanceis in hisce inferioribus Provinciis non utantur, in sclopetarios mutatos credo. Committuntur autem hæ alæ, honestissimo sane stipendio, optimisque & inviolate servandis legibus, præcipuorum hic è Dynastis regimini. Ita quidem ut ista militia numquam non floreat, & cùm nobili stirpe prognatis, tum selectis & ad maxima quæque atque pulcherrima, ut pluries compertum est, tentanda patrandaque facinora, non idoneis minùs, quam expeditis militibus plena sit.

Archithalassus.

Sed nec paratam hic habet Princeps maritimam aliquam classem. Habet tamen in promptu Archithalassum, cum pauculis aliquot, præsidiariis quidem tantum, navibus. Quod si forte occurrat, ut facienda sit expeditio aliqua bellica, vel trajiciendum hinc aliquo, puta in Hispaniam, viâ maritimâ, tum vero usitatum & solemne est Principi, retinendum jubere qualemcumque visum est navium in hisce portubus consistentium numerum, sive vacuæ eæ sint, sive onustæ, nullo vel indigenarum, vel exterorum dominorum discrimine. has postea suo ipsius apparatu suisque auxiliis curat armandas, & ex animi sui sententia instruendas. Vtitur autem instructis quantisper placet, naulum earum dominis ex æquo & bono persolvens. Munus Archithalassi, quem Belgæ Admiralium vocant, sublimis valde & magni momenti dignitas. Est enim ille ipse supremus maritimarum & omnium inde pendentium rerum præfectus. Vnde & classium quoque mari expeditarum Caput & Capitaneus generalis. Est præterea omnium fisco adjudicatorum, omnium tempore belli maritimarum prædarum particeps. Quin & in singulas mercium vehes, Regis permissu atque diplomate hinc ad hostes avectas, vel ex hostico huc importatas, certum aliquod pretium illi persolvitur. Quibus quidem maritimis diplomatibus, huic, illi, ab Rege concessis, necesse est ut accedat Archithalassi consensus, atque chirographum. Quod ipsum ejus chirographum, Belgis Gallica voce dictum *attache*, quia nempe diplomatibus Regiis solet affigi, usque adeo necessarium est, ut nisi accedat, omnes illæ merces & bona reapse sint confiscanda. Quod ipsum terrestribus quoque ab Rege concedi solitis diplomatibus fieret, nisi affixa iis regionum illarum, qua transportantur merces, Gubernatorum chirographa. idque non ea tantum de caussa fit, quod hunc habeat Princeps Ministris suis honorem, sed quod ex eorum illo consensu, quibus, ceu terrarum illarum Præfectis, talia magis sunt explorata, certus fiat, sese non defraudari.

Maxima insuper Principi in his ipsis Provinciis tormentorum aliorumque instrumentorum & apparatuum bellicorum est copia. Quæ omnia, demta ea dumtaxat parte, quam auferunt necessario limites & præcipui nominis propugnacula, custodienda curat Mechliniæ. unde porro, siquando conflatur exercitus, vel alia quævis sese offert occasio, moventur & propelluntur ad destinata & opportuna usui sui loca. Cui muneri præfici solet Regius quidam administrator, Gallobelgis *Grand Maistre de l'artillerie*, Latinis, ut volunt, Tribunus armamentarii. Penes hunc suprema est machinariæ rei auctoritas. Is quocumque necessitas postulat, tormenta jubet conduci, conducta disponi, & suo tempore rursus auferri. Ita ut magni sane momenti, & amplissimæ dignitatis hoc munus sit. Præterea vero ipsa etiam terra tormentis & omni bellico apparatu abunde instructa; & pauca admodum oppida, paucæ alicujus momenti sunt arces, quæ non adfatim sibi de illis prospexerint.

Tormenta bellica.

Leges & interdicta varia.

Sunt deinde & aliæ multæ in hoc tractu laudabiles leges, quas & Majestati suæ tuendæ, & publico terræ bono Princeps instituit. Et primum quidem, quotiescumque bellum est, non permittit, ut subditorum suorum quisquam militatum abeat ad Principes sive Dynastas extraneos, nisi obtento prius diplomate. Non permittit, ut eo tempore vel exportentur ad suos hostes, vel in hanc ditionem ex hostico importentur ullæ qualescumque sint merces, utve subditi habeant quidquam cum hoste commercii. concedit tamen certis quibusdam personis, non sine magno suo emolumento, tutum & liberum commeatum, in singulares aliquas, & de quibus inter partes convenit, merces. Non permittit, ne pacificis quidem temporibus, ut avehantur hinc equi quindenis palmis altiores. Equæ vero, cujuscumque sint magnitudinis, nullo umquam tempore, sine peculiari ipsius permissu, possunt abduci. Triticum insuper, secale, & quidquid præterea frugum est, exportare hinc nefas. quod de iis tamen intellige, quæ in solo hoc natæ: nam exoticas quidem, nihil est quod prohibeat. Nefas etiam exportare hinc arma, aut bellicum aliquem apparatum. Eadem auri atque argenti, sive solida ea, sive in pulverem sint redacta; eadem pecuniæ, ubiubi cusæ, & vel integræ, vel corruptæ; (nisi quod viatoribus tamen permissum, ut quantum viatico satis sit, secum exportent) eadem denique hydrargyrii, sive argenti, ut vocant, vivi; eadem æris & orichalci est ratio. At gratia tamen & pretio multa sæpius obtinentur. Importare autem in ipsam terram cujuscumque generis merces & bona, dummodo probæ sint notæ, cuivis permissum est. Sicut omnes quoque ex auro, plurimi etiam ex argento nummi, justo sui valore, passim hic exponuntur.

Venatio. aucupium.

Venationis atque aucupii jus, tum & piscationis in fluviis, lacubus, & quidquid præterea vel perennium, vel stagnantium usquam aquarum, facultas, (mare liberum semper & cuivis commune) penes Principem fere, & urbes, aut Dynastas denique & Toparchas est, & quidem quam late patent singulorum jurisdictiones & satrapiæ; Brabantia tamen excepta: in qua quinque

que tantum ſunt ſylvæ , Sogniacenſis nempe , Zaventeiloa , Grootenhoutium, Grootenheiſta, Meerdalia , promiſcuæ gentis totius venationi exemtæ. Nam in reliquo omni Ducatu , ſingulari quodam , ut infra dicturus ſum , privilegio , venari ſimul & aucupari , dum canes modò & aves , non autem caſſes adhibeantur, aut laquei, unicuique conceſſum eſt. Atque his quidem ſuis venationibus, piſcationibus, atque aucupiis Princeps in ſingulis fere Provinciis palatina quædam officia præficit , qui è ſua quiſque Provincia magnam ei utilitatem variis modis apportant. Sunt autem hi tales Præfecti , maxime qui venationibus præſunt , viri Nobiles & Illuſtres : qui in præcipuas quaſque venationem concernentes res ſupremam habent auctoritatem: ideoque inter cæteros dignitatum & honorum ſuorum titulos, huic muneri qui præeſt , appellatur & Magnus Venator Brabantiæ.

Principis patrimonium.

Sunt præterea Principis præcipuæ quæque tractus totius ſylvæ , quibus ille non ad venationem dumtaxat, ſed ad lignationem etiam utitur, è qua ingens colligi ſolet pecuniæ vis. Eſtque adeo hæc ipſa lignatio non exigua Principalis proventus particula. Cujus reliqui cenſus in oppidis aliquot , caſtris , pagis , toparchiis, agris, molis , aliiſque jam olim ad Dominum terræ ſpectantibus rebus conſiſtunt. Qui reditus Gallica voce dicuntur *domaines.* Iuſtiniano Imperatori dicuntur *Sacrum Principis Patrimonium.* Habet etiam Princeps , inter alia ſua bona , vectigalia quædam atque portoria in merces terra marique advectas , vel & exportatas , impoſita. Habet minutulos quoſdam proventus & jura in ſingularibus aliquot urbibus ; ut nominatim Antverpiæ , ubi præter rerum confiſcatarum partem , jus illi in monetariam officinam & in publicum carcerem , quod locare ſolet pretio neutiquam contemnendo. Præterea nemini in eâ urbe fas exercere piſcariam , niſi qui prius à Principe redimat facultatem. Cui in publicam illam domum , in qua pendi ſolitæ merces , aliquid etiam juris eſt. Et factum aliquando cum in ſingulas quoque frumenti menſuras haberet jus cochlearis, vulgo *het Lepel-recht:* quod etſi admodum tenue , Magiſtratui tamen, centenis aureorum noſtratium millibus , & quidem præſentis pecuniæ , vendidit. Sunt deinde & aliæ quædam ejus obventiunculæ , quæ majoribus illis conjunctæ, luculentum illi conficiunt cenſum.

Ordines Belgicæ convocandi ratio.

Quotieſcumque vel ipſe Princeps , vel ejus nomine generalis Præfectus, Ordines Belgicæ convocare conſtituit , quo videlicet eos pecuniarum aliquod , vel & aliud qualecumque ſubſidium petat ; quove gravioris momenti negotium , puta novas exactiones aut leges , ipſis proponat : ſolet iis per litteras conſtituere & aſſignare certum aliquem atque præciſum diem , ad quem illi ſe ſiſtant loco per eum pro arbitratu delecto. Deligit autem fere Bruxellam: tum quod ordinaria illic Aulæ ſedes , tum & cauſſa Brabantinorum , qui extra fines Brabantiæ nihil deliberant. Adſunt vero ut plurimum ſtato eo & condicto die omnes quotquot vocati ſunt , & quibus comitii jus eſt, Ordines. Qui ſi æquo diutius ceſſent , arceſſuntur de integro , & ſtatuuntur in ceſſatores , pro negotii qualitate, nunc leviores , nunc etiam graviores pecuniariæ pœnæ : ita ut non committant , quin mox atque vocati ſunt , ſiſtant ſeſe , ac ad diem & locum ſtatutum præſto ſint. Et conveniunt quidem ſolito more Bruxellæ Ordines Brabantiæ ; Flandriæ ; Artheſiæ ; Hannoniæ ; Valentianarum ; Inſularum , Duaci & Orchiſæ ; Namuri ; Tornaci & Tornacæſii ; ac demum Mechliniæ : Ducatus vero Lucemburgenſis Ordines , ex pacto & ſingularibus quibus præditi privilegiis , convocantur ab ſuo Præfecto Provinciali (niſi graviſſimæ tamen cauſſæ aliter ſuadeant) in ſuam ipſorum Provinciam , ubi cum eodem Præfecto, regio nomine , paciſcuntur.

Ordines ſive Status.


Conſtant vero , ut in omnibus fere Provinciis , Ordines iſti , è triplici hominum genere , Eccleſiaſticis nempe , Nobilibus , & primariarum urbium Magiſtratibus. è quibus , aut eaipſa videlicet membra , Primores, & Delegati, quorum eæ ab antiquo ſunt partes , accedunt , aut Commiſſarios ſuos expediunt : niſi quod aliqui tamen proceres,ſalvo juſto impedimento, ipſi ex lege ſe ſiſtunt. Sed non omnibus tamen Provinciis eadem conſuetudo. Etenim, verbi gratia, ex Brabantia, Artheſia, Hannonia, Namuro, præſto ſunt in Comitiis trium pariter Ordinum Commiſſarii; & Eccleſiaſtici quidem vicem, Abbates; Nobilitatis vero, Duces, Marchiones, Principes, aliique Dynaſtæ & primarii Nobiles ; urbium denique , Conſules cum binis terniſve Scabinis & ſingulis Syndicis. Qui pro re nata tamen interdum plures, interdum & pauciores. Dico, Eccleſiaſtici Ordinis vicem, adeſſe Abbates ; nec id nimis improprie , cum ipſi revera ſint Eccleſiaſtici : ſed ut dicam quod res eſt , adſunt illi nomine proprio. Nec enim Eccleſiaſtici cæteri vel cum ipſis Abbatibus , vel cum Ordinibus Generalibus uſquam concurrunt ; quod videlicet, ſi non omnes , at plærique tamen ſint petitionum illarum immunes. Flandria, quatuor tantum Membrorum ſuorum nomine , Commiſſarios mittit : qui Ordo auctoritatem habet & facultatem , ut ſolus atque per ſe deliberet ſtatuatque , trium ejus Provinciæ Ordinum vicem. Vocantur quidem & duo reliqui Ordines , Antiſtites nempe & Nobiles , ac licet iis, cum libet, Syndicos ſuos ad Comitia mittere , qui diſpiciant , num quid Membra illa parum caute Principi annuant , quod privatim ipſis incommodet : nam ſi tale quid accidat , opponunt ſe ipſi , & quam ſibi id detrimentoſum ſit , argumentis modeſte oſtendunt: ordinarie tamen, quod annuerunt quatuor Membra , id nec contradictionem , nec oppoſitionem admittit. Atque hi quidem Ordines, cum Bruxellæ jam adſunt , non congregantur omnes conjunctim , ſed provinciatim dumtaxat, & ſucceſſive , idque in ampliſſimo quodam Palatii Principalis conclavi : ubi, præſente ut plurimum generali Gubernatore , vel Præſes, vel Conſiliarius aliquis Status, nomine Principis, petitionem illam ſubſidiariam ipſis proponit , & neceſſitatem , ſeu voluntatem & deſiderium Principis , ſolidiſſimis rationibus & humaniſſimis verbis explanat. Quo facto , Ordines , ſeu mavis eorum Delegati , poſtulant ſibi concedi tempus aliquod reſpondendi : atque ita , ſervatis de more qui-

buſdam

busdam terminis & solemnibus ceremoniis, singula membra seorsim respondent. Cui ipsi responso si Princeps forte, aut ejus Præfectus non acquiescat, tum vero multis iisque solidis rationibus petitionem suam justificare, eosque in sententiam suam perducere nititur. Ea enim est privilegiorum istorum hominum vis, ut non nisi cum ratione conciliare sibi possit eorum suffragia. Neque locum hic habet illud plurimis locis decantatum dicterium, *Sic volo, sic jubeo*. Adeo quidem, ut quamvis reliqua omnia membra Principi quidquam annuissent, una aliqua urbs, qualis Antverpia, turbare possit & interrumpere totum illum consensum. Nam quidquid Ordines illi Provinciales, vel eorum aliqua membra, concedunt, id ea fere faciunt lege, ut omnes omnino Ordines idipsum pro rata sua portione confirment. Ita ut perpetuo fere necessum sit, non Ordines modo, quos dixi, conjunctim, sed singula quoque separatim eorum membra, unanimi voce, in unam & eamdem conclusionem concordare. Vnde nonnumquam contingit, ut non obstante quacumque demonstratione, propter suffragiorum discordiam, petitio Regia prorsus rejiciatur. Quod ipsum Princeps patienter & æquo animo fert, nec plura tunc super eo negotio fiunt verba, sed in aliud tempus magis opportunum differtur. Quoniam vero & modestus est Princeps, & subditi ejus civiles, fit ut quamvis in longum aliquando trahatur res, tandem tamen conveniant, mutuaque & pari utrimque satisfactione concordent. Quotiescumque autem Ordines vel totam petitionem, vel aliquam ejus partem Principi unanimiter annuunt atque condicunt, rata & firma tunc res est, & stato opportunoque tempore plenum sortitur effectum. Si pecuniaria sit petitio, deliberatur, post impetrationem, accedente & Principis placito atque suffragio, undenam & qua ratione illæ tales pecuniæ corrogandæ; ita ut vel bonorum decimatione, vectigalium ad tempus auctione, vel novarum denique exactionum impositione, aut simili aliquo modo, pro temporis, loci, & conditionum ratione, Principi satisfiat, & æquatis solemni more inter Provincias taxationibus, totum illud quod ipsi concessum est, persolvatur. Et Ecclesiastici quidem, sive sic mavis Abbates, nisi in nonnullis tamen Provinciis aliud moris sit, taxationes suas seorsim; Nobiles vero & Magistratus, propter consortium quoddam & affinitatem, quæ inter utrumque hunc Ordinem intercedit, symbola sua conjunctim dependunt. Ac Brabantia quidem, quæ partim antiquitatis, partim dignitatis ergo præcedit, portionem suam persolvit florenis quadragenorum grossorum Flandriæ, qui semiaureo nostro examussim respondent: Flandria vero, quæ opulenta & potens est regio, pro illis quadragenorum, florenos pendit grossorum quadragenum octonum. Atque ita & cæteri Ordines ratam suam partem, juxta solemnes jam olim taxationes, persolvunt. Quæ ipsæ taxationes, nisi novum quid & inexpectatum huic illi Provinciæ superveniat, ordinarie numquam mutantur.

Pontificis in Belgicam authoritas.

Quod res Ecclesiasticas attinet, easdem fere habet cum Pontifice Maximo Princeps in hac Ditione sua conventiones, quas in Regno suo Rex Galliarum: & nominatio quidem collatioque Episcopatuum, Abbatiarum, & aliarum id genus dignitatum, in ipsius plerumque est manu; confirmatio vero & expeditio penes Pontificem. Qui nullius omnino prætensionis vel correctionis prætextu, quemquam hominem, sive ecclesiasticus is, sive laicus, evocare potest extra Provincias. Vnde siquid forte occurrat, oportet ut mittat, vel huc deputet Commissarios, qui de prætensa caussa cognoscant. Sed nec beneficium ullum aut gratiam potest conferre, nec expedire in hanc terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effectum sortiatur, absque Principis quidem, vel Consiliorum ejus placito atque consensu. In demortuorum vero Canonicorum, Decanorum, & similium dignitatum vacantes locos, surrogationis illi, alternis cum Rege mensibus, jus est. Quod decimas attinet, omnes fere Provinciarum istarum agri dependendis iis obnoxii: & alii quidem Ecclesiasticis, alii partim his ipsis, partim Nobilibus, aliisque proprietariis eas persolvunt. Sunt etiam qui undecimas tantum pendant. Sunt qui etiam minus; pro locorum nimirum & possessorum, qui non iisdem ubique privilegiis consuetudinibusque utuntur, diversitate. Extat autem Caroli Quincti Imperatoris cautum valde & prudens edictum: cum enim Majestas Sua perpenderet, homines istos Religiosos, Episcopos nempe, Abbates, Priores, aliosque Ditionis hujus Prælatos non posse res suas abalienare, ideoque si assiduis emtionibus aliquid semper censui suo adjicerent, cum perpetuus, ut sic dicam, eorum sit status, fore, ut temporis lapsu, clerus opulentia sua omnia fere occupaturus esset terræ totius bona: decreto sanxit, ne ulli cujuscumque loci aut ordinis religiosi stabilia ulla bona, sine Principis quidem diserto permissu, mercari possent. atque hic imponemus generali descriptioni finem.



BRABANTIA DVCATVS.



PRæcipuum locum inter Germaniæ Inferioris Ducatus sibi & non immerito Brabantia vindicat: attamen cum in ordine titulorum, quod jam à sæculis aliquot sibi Principes Belgii ascribere solebant, Lothariæ titulus passim primo, Brabantiæ vero secundo ponatur loco non abs re futurum existimo si priusquam ad Brabantiæ descriptionem me accingam, aliqua de Lotharingia titulique ejus origine, in curiosi Lectoris gratiam præmisero.

LOTHARIA, Lotharia autem reservavit sibi in Brabantiâ talequale Ducatus nomen; ditionem verò & rem, ut paulo post ostensurus sum, reliquit in Lotharingiâ. Nomen ei Latinè scribentibus est Lotharia, sive, ut alii, Lotharingia, quod à Lothario derivatur, Imperatoris Lotharii filio, Caroli Magni nepote. qui Imperator Lotharius, scribente Paulo Æmilio, aliisque auctoribus, tactus zelo religionis, monachismum professus est, anno Christi 856. resignato tamen priùs, & inter tres quos habebat filios distributo maximo suo imperio. ac Lothario quidem jam dicto cessit ex parte Burgundia, unà cum universâ, quam tunc vocabant, Austrasiâ. *unde nomen,* qui tractus ab eo ipso Lothario, licet alii velint ab ejus patre, Lotharingia postmodùm dictus, & Lotharingiam strictiùs sumtam, Brabantiam, Hannoniam, Geldriam, Cliviam, alias terras fuit complexus. possedit verò hanc sic latè diffusam terram Carolina stirps, usque dum Carolus tertius, Galliæ Rex, cognomento Simplex, cederet eum Henrico primo Imperatori, anno videlicet Christi 924, atque hinc factum, ut post aliquod tempus Imperator Otho secundus advocaverit Carolum, Galliæ Regis Lotharii fratrem, quem ut alienaret ab Rege, creavit Lotharingiæ Ducem: *ejus fines,* sed accisis mirum in modum limitibus, & concessâ Coloniensi & Leodicensi Ecclesiis non contemnendâ ditionis illius parte. fuere autem ex illa, quæ antea, cuicumque etiam magno regno par, deducti & velut membratim ab corpore suo avulsi complures Ducatus & Comitatus. Lothario aliquantò post vitâ functo successit Ludovicus quintus, postremus Carolinæ stirpis Gallorum Rex, qui & ipse intra annum, sine liberis, fato concessit; quare Carolus Lotharingus, ceu legitimus regni hæres, ad recuperandum id, occupatum jam tum ab Hugone Capeto, contendit. sed cum Gallis esset parum acceptus, quibus scilicet videbatur in Germanos plus æquo propensus, infelici est usus fortunâ. prælio enim adversus Hugonem commisso, succubuit, ac non multò post cladem, proditione Asselini, Episcopi Laudunensis & Paris Franciæ, in ipsa urbe Lauduno præhensus, inde Aurelianum abductus, & in carcere tandem extinctus est. cùm verò in ipso etiam carcere facta esset uxoris, quam secundam tunc duxerat, copia, duos inibi genuit filios, Ludovicum nimirum & Carolum. quorum uterque, pueritiam necdum egressus, faciente nonnemine, rebus humanis exemtus est. sed reliquerat idem Carolus filium Othonem, ex priori uxore susceptum, in Ducatu Lotharingiæ successorem, quo defuncto, novum, propter eamdem Lotharingiæ caussam, inter Imperiales & Gallos exortum est bellum. Tandem verò post varias ultrò citroque transactiones, Henricus secundus Imperator Ducatum hunc contulit Godefrido Arduennensi, adjunctis illi Valentianis, & alio quodam dominio, jure clientelari & beneficiario Sacri Imperii nomine possidendis. Godefrido successere per aliquod tempus varii sui agnati. donec Imperator Henricus Quintus privaret hoc ipso Ducatu Henricum Ducem Limburgi, qui possidebat eum concessu Imperatoris Henrici Quarti, & Lotharingiam omnem, jam antè Superioris & Inferioris nomenclaturâ distinctam, circa annum Christi 1106 in duas partes divideret; *& divisio.* quarum superiorem, hodie Lotharingiæ nomine celebrem, & ab gente Vallemontanâ possessam, Diderico conferret, postremi illius Godefridi nepoti: Inferiorem verò, quæ nunc Brabantia, Godefrido Barbato, Comiti Lovaniensi. *Godefridus Barbatus.* hic per lineam sequiorem descendisse videtur ab ultimo illo Carolo Lotharingo, fuisséque, ut ore simul & stylo asserunt, primus, qui inter Comites Lovanienses adsciverit, vel si mavis, resumserit titulum Ducis Brabantiæ, sive Barbantiæ, non omisso interea illo Lotharingiæ, cùm in utramque simul, Superiorem nempe & Inferiorem, prætenderet jus. Atque hinc adeò est, quod hodieque ejus successores titulum illum Lotharingiæ sive Lothariæ Ducis retineant. reipsa verò in hoc nostro tractu vix quidquam inde, præter nudum illum quem dixi titulum, superest, cùm & nomen simul & ditio manserit Lotharingis. etsi enim Genapum, pagus Brabantiæ Gallicanæ, à multis dicatur terra Lothariæ, sitque in eo Curia quædam feudalis, & criminalis, (ut infra etiam dicitur) quæ vulgo audit *la haute Cour de Lothier*, censetur tamen is status, atque adeo celebratur Gallicanæ Brabantiæ nomine. Nunc ad Brabantiam ipsam transeo.

BRABANTIA. *Nominis etymon.* Plerique Regiones descripturi nominis antiquitates & vana jactant nomina, quod præcipue in Brabantia evenisse mihi videtur. Quis enim vel mediocri præditus ingenio non videat eos conjecturis nequidem vero similibus inniti,



BRABANTIA
DVCATVS.
Milliaria Germanica
Amsterdami
Apud Guiljelmum Blaeuw.
Occidens
Oriens
Meridies
Septentrio
HANNONIÆ PARS
PARS FLANDRIÆ
COM. NAMUR
LEODIENSIS EPISCOPATUS
HOLLANDIÆ PARS
KEMPEN LAND
PEEL LAND
RAVESTEYN
Graefschap Kulenborg
Graefschap Buyren

qui Brennum Gallorum Ducem acerrimum Pop. Romani hoſtem, ut & ii, qui Brabonem Salvium Cæſaris in expeditione Gallica commilitonem, heroem, ni fallor, imaginarium, nominis Brabantiæ ſibi perſuadent autores. Sunt & qui totum hunc tractum à Bratuſpantio Bellovacorum oppido, à Iulio Cæſare lib. 2. memorato, nomen mutuaſſe exiſtimant. Guicciardinus accuratiſſimus rerum Belgicarum ſcriptor Brabantiam à regionis latitudine à vulgari vocabulo *Breetbant* dictam arbitratur, quod *breet* lingua vulgari latam ſonat, *bant* antiquitus regionem. Lipſius *Braecklant*, nuncupatam putat eo quod agri perſæpe culturâ remanebant deſtituti, non ſatis verbi *braeck* aſſequutus ſignificationem. Alii Brabantiam à Godefrido Barbato Duce, quaſi Barbatiam vocatam dicunt. Miror equidem viros alioquin omni eruditionis genere præclaros adeo in nominum horum originibus inveſtigandis operam atque oleum perdere; præſertim cum tam obſcura tegantur caligine, ut vix ulli eas vel conjectura aſſequi contingat. Idcirco ulteriori ſuperſedebimus inveſtigationi, id ſufficere exiſtimantes, ſi dicamus antiquis haud nimium conſpicuum Brabantiæ eſſe nomen, cujus tamen certam nequeamus reddere rationem.

Ducatus hic ordine & dignitate inter cæteras Hiſpanici Iuris Belgicæ provincias primus, Moſâ, Scaldi, Sambrâ, & Tenerâ circumſcribitur fluviis, nullius eorum ullo in loco tranſiliens ripas, quas quibuſdam in locis ne quidem attingit: *Confines.* Terminatur à Septentrione Geldria & Hollandia; ab Occidente partim Zelandia, partim Flandria; à Meridie Hannonia & Namurco; ab Ortu Leodicenſi diœceſi & Geldria Ducatu.

Extenſio. Longitudo ejus maxima, ſi à pagis *Strytheim* & *Goyken*, quatuor milliarium diſtantia Bruxellâ diſſitis, exordium ducas, & uſque ad Dominium *Keſſel*, Moſamque fluvium proſequaris, ab Oriente ad Occidentem eſt 30 leucarum Brabanticarum, quas homo pedes 36 horarum conficere poteſt ſpatio. Latitudo ejus ſumta à pago *Hellemont*, ad confinia Namurcenſis Comitatus ſito uſque ad limites Territorii Silvæducenſis, Moſæque ripam, à Meridie Septentrionem verſus, eſt leucarum circiter 21, quæ horas itineris 25 conficiunt. Totus autem Brabantiæ circuitus 80 plus minus leucis continetur.

Populi deſcriptio, & res geſtæ. Ingens ei populus, valida atque delecta conſtans juventute, cui clarum bello nomen, animuſque ad victoriam anhelans aut ad mortem promtus. An domeſtica, an externa plura bella geſſerit, incertum, & permiſta hæc non ſemel felici infelicique eventu. Proſperæ res in Gallia, Germania, Anglia, Italia, Aſia, adverſæ non ſemel. Ieroſolyma capta, Syria domita provinciarum huic triumphos debent. Mutuis deinde cladibus, Geldricis, Eburonicis, Batavicis, Flandricis, Limburgicis, Luxemburgicis nobilitata. Mota à Brabantis arma in Britannos, perdomiti Stadienſes, patriæ & diademati reſtituti reges. Vix annum vacuum à præliis, liberum à ferro habuit. Anno 1175 Anglorum rex Henricus horum opera civitates amiſſas recepit. Anno 1202 ſigna inimica in Theodorum Hollandiæ Comitem intulit Henricus Dux, eumque caſtris exutum, captivum abduxit. Anno 1234 in *Siphridum* Colonienſem, *Reginaldum* Geldrum, *Adolphum* Naſſovium, *Henricum* Luxenburgenſem, *Valeranum* Falcoburgenſem arma mota, victoriam reportante Ioanne Brabantiæ duce. Reſtitutus poſt hæc anno 1327 regno & ſuis Eduardus tertius Angliæ rex Brabantina manu, quam & in Aquitanos, Britannos, Normannos, Iberos duxit, fortunatiſſimo ubique ſucceſſu. Pari eam aliquando ſucceſſu Richardus Anglus in Aquitaniam, Philippus Gallus in Aragoniam, & Flandriam, Iohannes in ſuam Angliam, Eduardus in Scotos duxerat. Iam Conrado Imperatore Olyſſibona Saracenis erepta, ducentis hoſtium millibus cæſis aut in fugam verſis, Belgarum & Brabantorum cumprimis virtute. Vacui exinde externo metu, domeſticis arſere malis. Veterem enim inter Brabantos & Grimbergenſes diſcordiam excitantibus quibuſdam, commiſſiſque inter ſe prælio populis victor rediit Brabantus. Illuſtrem hanc pugnam reddidit *Brabantiæ Dux* infans & in cunis vagiens, ex editiore arbore, media inter agmina, depenſus, ut vagitu, & tenellæ commiſeratione ætatis, animos ſuis adderet, terrorem hoſtibus incuteret, cum perfacile viderent deſtinatum Brabantis cum duce ſuo vincere aut mori. *Godefridus Bullonius* Brabantiæ Dux, Græciæ, Ægypto, Palæſtinæ victricia, at Deo ſacrata, ſigna intulit. Poſſem hic fortia Brabantorum facta numero & robore plurima, poſſem Duces enumerare, belli paciſque gloria magnos, Pipinos, Martellos, Godefridos, Henricos, Iohannes, Philippos, Maximilianos, Carolos: quorum vario ductu ingentia pugnata bella, clariſſimis relatis triumphis, Suevi, Saxones, Bavari, Dalmatæ, Longobardi, Sclavi, Hunni, Angli, Luſitani loquuntur, & in ipſa Gallia Martelli manu cæſa Saracenorum ſeptuaginta millia.

Aër & qualitas. Clemens & ſalubre ubique Brabantiæ cælum, adeo ut circumvicinis regionibus miſerum in modum lue contagioſâ infectis, hæc ab omni labe perſæpe reſtiterit libera ſolo Dei & aëris beneficio. Ager planus plerumque paucis in locis collibus frugiferis & amœnis inſurgens, & majori ex parte frugum & fructuum mire fertilis. Exceptâ Campania ſive Campinia, *de Kempen*, quæ naturâ ipſa ſterilis humano tamen cultu & induſtria multis pecorum gregibus & crebra ſtercoratione redditur ſat bona & fertilis. Adeo vero grata armentis præbet pabula, ut oves hujus tractus in cibatu jure merito reliquis delicatiores æſtimentur.

Fluvii. Eximiis & utiliſſimis fluviis paſſim eſt irrigua, quorum præcipui Moſa & Scaldis in generalis Belgicæ deſcriptione à nobis relati, reliqui ſunt Dommela, qui è Leodicenſi diœceſi ortum ducens Eyndhoviam transfluens prope Sylvamducis in Moſam ſe exonerat.

Dunga. Dunga prope Turnhoutam oriens pagum cognominem præterlabitur, & Geertrudisbergæ Moſæ ſe miſcet aquis.

Merka. Merka è Comitatu Hooghſtratenſi provenians

niens Bredam tranſiens , majoribus ſeſe aquis prope Sevenbergam committit. Sunt & præterea Netha utraque , quarum ea quæ minor dicitur variis aucta fluviolis ſe cum majori in ipſa urbe Lira conjungit , unde junctis aquis poſtquam Dylam fluvium aquis Demeræ auctum exceperint, mutato in Rupelam nomine in Scaldim ſeſe regione Rupelmondæ præcipitant. Cæteros fluvios brevitatis cauſa ſilentio involvam. Lacubus præterea , paludibus & ſtagnis Brabantia non caret.

Sylvæ.

Sylvis vero & nemoribus ſat inſtructa , quæ copiam lignorum , & ferarum elargiuntur , earum maxime nobiles ſunt Sogniacenſis , Zaventerloana , Grotenhouſium , Grotenheiſta , & Meerdalia.

Vrbes & oppida.

Vrbes & oppida viginti ſex muris cincta in Brabantia numerari ſolent , quarum quatuor præcipuas quadrantis quasque ſuæ primarias , Lovanium , Bruxellam, Antverpiam & Sylvamducis capitales vocant ; hæ autem ſolæ cum Nobilibus & Eccleſiaſticis in conventu Ordinum Ducatus hujus conveniunt, tertiumque Statuum membrum conſtituunt. haſce proximo ſequuntur intervallo Thenæ, Læwia , & Nivella, capitales minores dictæ ; deinde oppida quadam dignitate conſpicua prædita. Arſchotum, Bergozomium , Mega , Breda, Dieſthemium , & Trajectum ad Moſam. ultimæ ſunt ordine , Stenoberga, Lira , Vilvordia , Gemblakum , Iudonia, Hannutum, Landa, Hala, Sichemium, Herentalium, Eyndhovia, Helmonda, & Gravia.

Libera municipia vulgo Vryheden.

Præterea in Brabantia , decem & octo ſunt oppidula , quæ muris haud cincta nihilominus pari cum muratis gaudent gradu , paribusque privilegiis , vulgo *Vryheden* dicta , quod idem ſonat, ac ſi libera municipia diceres , quod nundinarum & mercatus illis liberum jus ſit. Sunt autem ea : Ooſterwyck , Oorſchotum , Turnhoutum , Hooghſtrata , Dufflia , Waelhemium , Comitatus titulo inſigne , Mercta , Aſca , Furnia, Dusburgum, Iſca, Hulpia , Wavria , Brenna allodialis dicta, Genapum , Gela , Arendoncum, Dormalia.

Pagi.

Pagi in Brabantia turribus conſpicui haud ultra ſeptingentos numerantur , eo quod Campania quamvis magnum tractum terræ occupet, cum ſit ſterilior , raris nihilominus ornetur pagis : verum plurimi inter pagos inſignes & variis dignitatum titulis ſunt præcellentes : Veluti Fanum D. Odenrojæ, Boxtelia, Roſendalia , Hucquela, Lilloa, Grimberga, Gaesbeka,Reveſium, Levendalia , Cranendonkium , Cuquia , Hilverembeka, Waalwijkium aliique complures.

Oppidorum jurisdictio.

Civitates & oppida Brabantiæ tam minora quam majora , ut & Pagorum plerique ordinariam ac ſolennem & in civilibus & in capitalibus cauſis obtinent jurisdictionem , provocatur vero à minoribus primum ad majora & hinc deinde ad Brabantiæ Cancellariam.

Dignitates ſub Brabantia.

Simul complectitur Brabantia illuſtres ac eximias dignitates , Marchionatum S. R. Imperii, Provinciam peculiarem, cujusque Princeps gaudet titulo , Ducatum Aerſchotanum , Marchionatum Bergozomanum, Comitatus Hoochſtratenſem & Megenſem: Baronatus Bredanum, Dieſthemienſem , Grimberganum , &c. uſque ad novemdecim, Grimbergano in duos Baronatus diviſo ; ut & dominium Raveſteinii ad Duces Iuliacenſes ſpectans , & Trajecti ad Moſam territorium.

Abbatiæ.

Abbatiæ in hoc Ducatu plurimæ , duodecim vero Conventui Ordinum interveniendi privilegio Abbates ſuos reddunt conſpicuos , earum autem prima eſt Affligemienſis tribus leucis Bruxella diſſita, cujus Abbas in dicto Conventu primum locum ſibi vindicat. Sunt præterea Tongerloana, Gemblacenſis , Groenendalenſis, &c.

Diviſio Brabantiæ.

Brabantia vulgariter reſpectu Ordinum habito dividitur in Tetrarchias quatuor , Lovanienſem, Bruxellenſem, Antverpienſem, & Sylvæducenſem ab urbibus capitalibus ſeu præcipuis nomen ſortientes. Præterea ratione linguæ dividi poteſt in Brabantiam Belgice loquentem, & Agrum Romanum vulgo *le Pays Romain de Brabant*. Prior & potior pars Teutonico utitur idiomate provocatque in cauſis ad Cancellariam Brabantiæ , Agri Romani minimæ Brabantiæ partis incolæ ſermone Gallicano & ex corrupto Latino deducto , quem Romanum indigetant, utuntur , regiunculam ipſam Romanam vocantes.

Lingua.

Status ſive Ordines.

Ordines Brabantiæ tribus conſtant membris, Sacro ſive Eccleſiaſtico , Nobilium , & urbium Capitalium. Eccleſiaſticum conſtituunt Abbates & Prælati ſequentes : Affligemienſis , Grimbergenſis , Tongerloanus , Groenendalenſis , S. Gertrudis Lovanii , S. Bernardi , Vileer , Dielegemenſis , Parcenſis prope Lovanium , & Vlierbekenſis ; Prior magnus Ordinis S. Auguſtini in Leeuwen ; & Abbas idem & Comes Gemblacenſis. Nobilium Membrum conſtituunt Duces , Comites , Barones & regulorum præcipui, ſcilicet : Dux Aerſchotanus , Marchio Bergenſis ad Zomam: Barones Dieſtenſis, Bredanus, Boxtelenſis , Gaesbekenſis , Weſemalenſis , Bouterſemienſis , Perweys, Comes Hooghſtratenſis, Baro Renes. Domini Aſche, Merchten,Veurnenſis, Ghelenſis, Lummenſis,Thurnhoutenſis , Fani D. Odenrojæ , Walemenſis , Duffelenſis. Tertium membrum efficiunt urbes Capitales quatuor ſupranominatæ , Lovanium , Bruxella, Antverpia & Sylvaducis.

Cancellaria.

Cancellaria Brabantiæ perpetuo Bruxellæ reſidens conſtat ex Cancellario & certo tam ordinariorum , quam extraordinariorum Senatorum numero. Præterea ex Advocato Fiſcali , qui & ipſe muneris ſui ratione Senator eſt , Procuratore Generali, duobus Graphiariis, Audientiario, quatuor Secretariis ordinariis, extraordinariis novem , aliiſque officiis Palatinis. Cancellarii vero munus ſummæ eſt dignitatis & præëminentiæ , cum in Iuſtitia adminiſtranda , decidendiſque cauſis , ſit veluti Brabantiæ Gubernator & Ducalis Vicarius. Hujus Cancellariæ jurisdictioni Limburgum Ducatus cæteræque ditionis Transmoſanæ urbes ſubjacent ; ſententiæ autem in hoc Concilio deciſæ provocationi non ſunt obnoxiæ.

Curia rei Clientelaris.

Cæterum eſt & Curia ſuprema rei clientelaris totius Brabantiæ , vulgari vocabulo *het Leenhof van Brabant* , Bruxellæ itidem reſidens iiſdem

Senatoribus, Advocatis, aliiſque quibuſdam conſtans; hanc cæteræ omnes ſubalternæ tam hujus Ducatus, quam adhærentium ditionum feudales Curiæ provocant, una Genapienſi excepta Curia.

Lothariæ Curia.

Lothariæ Curia eſt forum ſive tribunal, quod vulgariter audit *la haute Cour de Lothier*, ſuprema, inquam, Lothariæ Curia, in qua adminiſtrari ſolet juſtitia, tam in civilibus, & capitalibus, quam in clientelaribus cauſis; in civilibus locus eſt provocationi ad Cancellariam Brabantiæ, in capitalibus vero & clientelaribus cauſis non idem juris obtinet, verum illæ decretoriis in hac curia decernuntur ſententiis: ſalva vero actoribus datur optio, utrumne cauſas Genapi, an vero in Bruxellenſi rerum clientelarium curia diſceptari velint.

Droſſartus Brabantiæ.

Porro in capitalibus cauſis ſunt duo Magiſtratus generales, Droſſartus Brabantiæ, & magnus agri Romani in Brabantia Prætor; illi per totum Brabantiæ tractum Belgica utentem lingua reos in carcerem conjiciendi, litemque contra eos in Senatu Brabantiæ, vel coram ejuſdem delegatis inſtituendi jus competit.

Le grand Baillieu du Pays Romain de Brabant.

Eandem jurisdictionem in agro Romano magnus Prætor exercet, ſed coram Genapienſibus clientelarium rerum judicibus actiones ſuas contra reos inſtituit.

Magnus Venator, & Saltuarius.

Eſt & in hoc Ducatu ampliſſimæ auctoritatis Magiſtratus Venationi regiæ præfectus Magnus Venator, *le Grand Veneur* dictus: alius etiam piſcatui & aucupio regio præſidet, & de controverſiis in talibus rebus circa immunitates & jurisdictionem regiam oriri ſolitis cognoſcens, errataque emendans, hic Saltuarius vulgo *de Gruyer* dicitur.

Mores & indoles Brabanticorum.

Brabanti ante diſcrimina ſunt cunctabundi, in ipſis feroces, in turbidis rebus intrepidi, in audacia fortunati, in conſiliis promti, non tam factis & calamo quam lingua feliciores, hilares & feſtivi plus fere modico ad decrepitam uſque ſenectutem, in conviviis & epulis ſplendidi, & in ſcenicis & comicis moribus immodici, religioni Catholicæ addictiſſimi. Iudicio ſunt ſolido & ingenio plerique bono, bellica laude præſtantes & exercitatiſſimi, in artificiis, artibuſque mechanicis evadunt ſæpe præſtantiſſimi; in pictoria ut & ſculptoria, cælatoria & inciſoria artibus nobiliſſimis ad miraculum excellere ſolent; mercaturam non adeo ut temporibus præteritis exercent: Fæminæ venuſtæ, & omni fere elegantia & lepore prædítæ.

Privilegia.

Vtuntur Brabanti & Ditiones, quas diximus, Transmoſanæ, Limburgum videlicet, Falcoburgum, Dalemium, Rhodia Ducis, & quidquid præterea ſupremo Brabantiæ imperio ſubjacet, cum eaque (ut dixi) conjunctum eſt, luculentis admodum & utiliſſimis privilegiis.

Ac primo quidem habet ab Romanorum Imperatoribus privilegium longe ampliſſimum, impetratum ipſis per Ducem Ioannem, ejus nominis tertium, à Carolo Quarto Imperatore, & approbatum deinceps ab inſecutis Cæſaribus: quo cavetur, ne quiſquam Brabantus, vel alioqui oriundus è ditionibus illis jamdictis, neve etiam res ejus aut bona, per univerſos quam late patent Romani Imperii fines, ſiſti aut ſequeſtrari, vel prima, quod vocant, inſtantia, conveniri aut detineri ullatenus poſſint.

Habent deinde à propriis ſuis Principibus varia magni momenti & gratioſa admodum privilegia: inter quæ ſeptem iſta ſequentia comperio eſſe præcipua. ac primum quidem, adſpectu aviditatis ſimul & imperioſitatis Antiſtitum, etiam Principi ipſi præſcribit, ne Eccleſiaſticum Ordinem, quod ad ſæcularia quidem attinet bona, poſſit vel debeat, ſupra quam olim ab aliis Terræ Principibus factum eſt, collocupletare, niſi cum ejus, in quo ſita ſunt ipſa bona, non autem aliorum, terræ quadrantis, & pro eo, primariæ urbis, permiſſu.

Alterum eſt, quod non liceat Principi, ſubditos ſuos, ſed nec extraneum ullum Brabantiæ incolam, vel agere reos, vel civilem aliquam capitalemve litem iis intendere, niſi libera prorſus & ordinaria juris via, ita quidem ut reo & utendi Advocatorum præſidio, & coram populo ſeſe purgandi, cauſſamque dicendi indelibata poteſtas ſit.

Tertium quod non liceat Principi ſubditis ſuis imperare vectigalia ulla, ſive tributa, cujuſcumque demum ſint generis, & quocumque appellentur vocabulo: ſed nec innovare ullam alicujus momenti rem, ſine Ordinum terræ ipſius conſenſu.

Quartum; quod non poſſit Brabantis præficere magiſtratum aliquem, ſive miniſtrum alienigenam, ſalvis tamen paucis quibuſdam exceptionibus: ut in Cancellaria Brabantiæ, ubi inter tot Senatores indigenas, duos aliquos, at qui hujus tamen ſint idiomatis, peregrinos poteſt inſerere. poteſt item aliquis non Brabantus, modo in ipſa terra per aliquot annos poſſederit jus & titulum Dynaſtiæ, ad Cancellarii dignitatem extolli.

Quintum; quod omnibus terræ Brabantiæ ſubditis jus & fas ſit de bonis ſuis, etiam fiduciariis, neque venditione dumtaxat, verum etiam teſtamento, ſine ullo vel Principis, vel alterius cujuſcumque conſenſu, diſponere. item canibus avibuſque adhibitis, modo quinque regales illas ſupra nobis deſcriptas ſilvas exceperis, libere paſſim venari & aucupari. quod in aliis utique terris non temere ſolet permitti.

Sextum; quod convocatis à Principe generalibus harum Provinciarum Ordinibus, ſive id fiat ſubſidii poſtulandi ſive alia quavis de cauſſa, non teneantur Brabanti patriæ ſuæ finibus egredi: imo vero non poſſint, (ea legum eſt efficacia,) extra territorium ſuum quidquam ſtatuere, quod cæteris tamen aliarum Provinciarum Ordinibus, quocumque demum à Principe convocentur, integrum atque permiſſum eſt. atque hinc fit, ut negotiorum eo facilius expediendorum gratia, imo (ut diximus) neceſſario, cæteri Ordines ad Brabantos ſemper accedant.

Septimum denique: quod ſi forte vel vi, vel alia quavis injuria, privilegia iſta Brabantorum Princeps infringat; ipſi, debitis tamen obnuntiationibus excuſationibuſque præmiſſis, à fidei ſacramento Principi præſtito, & clientelaris officii ſponſione, protinus ſolvantur, & ceu liberi prorſus

prorſus ac ſui juris effecti, aliam ſibi pro arbitratu quærere poſſint conditionem. Inſtituta vero atque conceſſa ſunt & hæc ipſa quæ retuli, & tot alia terræ Brabantiæ privilegia, non in populi tantum, ſed in Principis quoque ipſius uſum & ſecuritatem.

SERIES
PRINCIPVM BRABANTIÆ.

Pipinus I. dictus de Landis, Brabantiæ imperavit annis 32, anno 647. pie non ſine opinione ſanctitatis obdormiit, ex Iduberga Aquitana ſucceſſorem filium reliquit

Grimoaldum, hic anno 658 Lutetiæ in carcere periit, filium habuit Hildebertum, ſed patre etiam tunc vivente in acie cæſum.

Anſegiſus & *Begga* Grimoaldi ſoror præfuerunt annis 27. Anſegiſo â perduelle quodam cæſo, Begga principatum filio ſuo Pipino ceſſit anno 685.

Pipinus II. Herſtallus dictus, annis imperavit 29, heredem Principatus ſcripſit Carolum Martellum ex Alpaide pellice filium, quamvis nepos ex Drogone filio juſtis nuptiis procreato ſupereſſet Theodobaldus; obiit anno 714.

Carolus Martellus præfuit annis 27. tandem multis bellicis facinoribus clarus interiit anno 741.

Pipinus III, Franciæ rex, Martelli filius, itidem 27 annis imperavit, exceſſit anno 768; è Berta Græcorum Imperatoris filia relinquens filium & ſucceſſorem

Carolum Magnum, Franciæ Regem & Rom. Imperatorem, qui Princeps optimus & virtuoſiſſimus poſt multas res præclare geſtas & Brabantiam 46 annis rectam obiit 814, Imperii 14; ejus ex Hildegardi Sueviæ Ducis filia filius

Ludovicus Pius Imp. præfuit annis 26, variis cum filiis diſcordiis agitatus, tandem anno 840 moritur, ſucceſſit vero filius ejus, ex Hermingardi Comitis Saxonis filia

Lotharius Imperator poſt annos regiminis 15, anno 855. Regnum inter filios dividit, Lodovico Italiam tradens, eumque Imperatorem appellari faciens, Lothario regnum Lotharingiæ concedens, & Carolo Provinciæ regnum aſſignans; & poſtea in Prumia, poſtquam monachi habitum ſuſcepiſſet vitam hanc cum meliore commutavit.

Lotharius II. Lotharingiæ Rex, uxorem habuit Theutbergam reginam; conatus eſt ea dimiſſa, ducere Waldradam quandam pellicem, qua ex re natæ turbæ maximæ, obiit fato miſero anno 868, unico relicto filio Hugone ex Waldrada, ſed non ſucceſſore.

Carolus Calvus Rex, patruus Lotharii, eo ſine prole legitima defuncto Lotharingiam occupavit, fruſtra Pontifice pro Ludovico Imp. Lotharii fratre nitente, anno 875 Imperator renuntiatus eſt, tandem ex hac vita migravit poſtquam Brabantiæ 9, Imperio 2, præfuiſſet annis, anno Domini 877.

Ludovicus Balbus cognomento ob impeditius eloquium, filius ſuperioris ex Anſgarda uxore Ludovicum & Carolomannum, ex Adelhaide Carolum poſthumum dictum Simplicem genuit filios. Imperator in Synodo Trecenſi à Papa Joanne Romanorum coronatus eſt 878, duobus annis Brabantiæ præfuit, obiit anno 879.

Ludovicus & Carolomannus præfuerunt annis 5. diem ſupremum clauſit Ludovicus anno Domini 883, & Carolomannus anno ſequenti.

Carolus Simplex dictus, frater præcedentium, & Balbi filius poſtumus; duodennis in Regem Franciæ conſecratur 892. Varia fortuna regium nomen geſſit, tandem apud Peronam in carcere obiit 929, poſtquam Brabantiam 45 rexiſſet annis.

Ludovicus Simplicis filius Tranſmarinus dictus, quod inſidiantes ſibi fugiens per mare in Angliam tranſierit, multis ſibi adverſantibus præfuit, moritur anno 954, poſt 25 regiminis annos.

Lotharius III. Tranſmarini ex Gerberga Othonis I. Sorore filius, præfuit annis 14, defuncto patre tredecim annorum puer Rex conſecratur, vixque quietior fuit patre aut avo: ceſſit ſeu potius præmiſit Lotharingiam fratri anno 978.

Carolo, qui Lothario fratre mortuo, regnum avitum ab Hugone Capeto occupatum armis repetens, ab eodem Capeto captus eſt, mortuuſque in captivitate Aureliæ anno Salutis noſtræ 991, quarto decimo vero Principatus.

Otho Caroli præcedentis filius ei in Ducatu Lotharingiæ ſucceſſit, nulla re memorabili geſta & ſine liberis diſceſſit, anno ſalutis 1005, regiminis 15.

Lambertus dictus Longicollius mortuo Othone jure hæreditario ex parte uxoris ſuæ Gerbergæ, Otthonis præcedentis ſororis Brabantiæ Princeps fuit, varia ſtrenue geſſit bella, tandem contra Godefridum Imperialem Ducem bellum gerens, fortiterque pugnans in acie cecidit, anno principatus 10, ſalutis noſtræ 1015.

Henricus I. Lamberti ex Gerberga filius, cum matre aliquandiu res adminiſtravit, tandem anno 23 principatus ab Hermanno quodam captivo ſuo interfectus eſt, anno 1038.

Lambertus Baldericus cognomento, præcedentis Henrici frater, Othone Henrici fratris filiolo, mox intra annum defuncto jure ſucceſſit, cæſus eſt in acie juxta Tornacum anno 1054, poſt 16 Principatus annos.

Henricus II, Balderici filius, varie cum Hollandis pugnavit, regnavit annis 14, & ex Adela Lantgravii Thuringiæ filia, filios reliquit Henricum & Godefridum, mortuus eſt anno 1068.

Henricus III, Patri ſufficitur, annos viginti octo rexit pacate: nec belli aut tumultus ſub eo ſermo, mortem in ludicro haſtarum invenit unico ictu a Goſuino viro nobili confoſſus anno 1096; ſucceſſit ejus frater filiabus Henrici excluſis.

Godefridus Barbatus, Magnus merito cognominatus, præfuit annis 44, vir fortitudine, religione & omnigena virtute conſpicuus, obiit anno 1139, relicto ſucceſſore è Sophia Henrici IV Imperatoris filia

Godefrido II, qui contra exducem Limburgenſem, & dein contra Grimberganos bella vario

rio successu gessit, præfuit annis saltem duobus, mortuus anno 1142, successit ei filius

Godefridus III, in Cunis cognomine, quo puero Grimbergani cœptum ante bellum acrius inde prosequuti sunt, donec Duce infante in Cunis in castra prolato, sui inde animati Grimberganos magna clade affecerint, & profligarint, post varia bella & 44 regiminis annos obiit anno 1186.

Henricus IV filius superioris, primus ejus nominis Brabantiæ Dux, sed alioquin successione sanguinis quartus inter Principes. Heros magnus bella diversa varia gessit fortuna, tandem Coloniæ diem supremum obiit post annos Ducatus 49, anno 1235.

Henricus V, quarti filius, præfuit annis 12, successorem reliquit ex Maria Philippi Imperatoris filia Henricum, obiit 1247.

Henricus VI. hic cum sibi regnum Rom. deferretur, Consanguineum suum Guilielmum Hollandum huc promovit, præfuit annis tredecim, mortuus Cruce signatus antequam ad terram sanctam proficisceretur, anno 1260.

Aleidis Ducis Burgundiæ filia, marito Henrico fatis functo, pro liberis impuberibus Principatum administravit annis septem. Henricum maximum filiorum, vecordem & Principis loco indignum, prorsus in Cœnobium ablegavit, Ioannem secundogenitum virtuosissimi ingenii adolescentem, post multos subditorum pro Henrico motus, ducatui præficiens.

Ioannes I. strenue contra Geldrum aliosque Principes contra se confœderatos debellavit, in hastiludio vulneratus obiit anno 1294, postquam 26 gubernasset annis; ex Margareta Flandrica ei filius & successor

Ioannes II. uxorem duxit Margaretam Eduardi Regis Angliæ filiam: insignia Brabantis concessit privilegia; præfuit autem annis 18, mortuus anno 1312.

Ioannes III, Secundi filius, varia contra Falcoburgenses, Gallos, & Flandros sat feliciter gessit bella, cæterum gentem suam summa rexit tranquillitate; filios nullos, filias tres reliquit, quarum majori Ioannæ, Wenceslao duci Lucemburgensi nuptæ, morti proximus Rempublicam demandavit. præfuit annis 43, mortuus anno 1355.

Wenceslaus & *Ioanna* mortuo Ioanne III, Principatum Brabantiæ Lovanii susceperunt: sub iis Lovanii variæ & periculosissimæ ortæ seditiones. Contra Flandros infeliciter, cum Geldris postea, dein quoque cum Iuliacensibus bella gesserunt, quo ultimo Wenceslaus etiam victus & captus, & tandem Imperatoris intercessione liberatus est; fato autem functus est anno 1383, postquam cum uxore simul præfuisset annis 28. Ioanna vidua jam grandæva Ducatum Antonio, Philippi Audacis Burgundiæ ducis filio, pronepoti ex filia sororis suæ, cessit anno 1404, & biennio post obiit; mulier clarissima & omnium virtutum genere referta, tam plebi quam nobilitati chara: post mariti mortem sola gubernavit annis 21.

Antonius Burgundus præfuit annis novem, Dux, sed biennio ante, etiam vivente Ioanna, Ducatus Administrator; cæsus est pro Francis contra Anglos pugnans, anno 1415.

Ioannes IV. Burgundus, Antonii filius, anno 13 ætatis Ducatum excepit, duxit Iacobam Hollandam, quam biennio post deseruit: præfuit annis 12, fatis concessit anno 1427.

Philippus I. Antonii filius, fratri Ioanni successit, præfuit annis tantum tribus, obiit anno 1430.

Philippus Burgundus, cognomento Bonus, Ioannis Intrepidi filius, Philippi Audacis nepos, Philippi præcedentis nostri patruelis, cum ditionibus paternis Burgundiæ, Flandriæ, &c. jam annis undecim præfuisset, inauguratus est quoque Brabantiæ tanquam proximus heres anno 1430. Fundator Imperii Belgici primusque ejus uniti Princeps; obiit anno 1467.

Carolus Burgundus, Audax cognomine, belli quam pacis artibus æstimatior temporibus difficultosis, Provincias Belgicas administravit, bella & odia atrocissima cum Ludovico XI Galliarum Rege exercuit, Leodienses, urbe eorum fere prorsus deleta, maxima affecit clade, tandem ad Nancejum Lotharingiæ urbem ab Helvetiis cæsus anno 1477, post annos 10 regiminis, hæreditatem filiæ unicæ reliquit, quæ

Maria Burgundica nupta Maximiliano Austriaco, ducatum hunc ad Austriacos transmisit, iisque ad tempora Philippi II tota paruit, & hodie maxima ejus pars Philippo IV, Pacifico, magno Hispaniarum & Indiarum Monarchæ potentissimo obedit; quædam vero ejusdem partes sub Fœderatorum Ordinum sunt potestate, tota videlicet Silvæducensis Tetrarchia, Campinia, Peelandia, Maselandia, & Oosterwykum, Berga ad Zomam, Steenberga, Lillo, Wilhelmostadium, Gravia, Trajectum ad Mosam, & Breda.

Bra-

Brabantiæ pars prima,

cujus caput

LOVANIVM.



Vit olim Lovanium Comitatus, ejusque memoria repeti potest ab anno salutis ducentesimo. Alii volunt Ducatum fuisse, majori Brabantiæ parti jura dantem. Atque hinc Principes sibi titulum sumsisse Comitum Lovaniensium, usque ad tempora Godefridi Barbati, qui aucta ditione, abdicato Lovaniensis Comitatus titulo, nomen sumserit Barbantiæ, &, transposita litera, Brabantiæ. Hodie etsi illam dignitatem non sustineat, metropolis tamen est totius Ducatus Brabantiæ, ac quatuor Tetrarchiarum caput, reliquas urbes dignitate præcedens. Præstat enim Lovanium omnium prima Principi juramentum, uti & ille primum illi se juramento fidei obstringit. Primum ei in communibus provinciæ negotiis votum, præterquam in subsidiariis Regis petitionibus, in quibus Antverpia, propter opum vim, primam dicit sententiam.

Præcipua inter Brabantiæ Tetrarchias.

Nomen.

Metropolis Tetrarchiæ Lovaniensis est *Lovanium.* quod clarissimus Lipsius censet sub Normannica tempora conditum, & nomen ab ipso situ lingua nostra sumsisse. Est, inquit, in hac urbe ad Orientem collis & silva, quam **Lo** etiam nunc vocant, & **Lo-bergh** & **Lo-borch**. Est & subjecta planities ad flumen, quam vetus lingua **Veen** dixit. Inde venæ Batavorum etiam hodie, loca unde cespes ille ustibilis eruitur. Et compertum superioribus annis in pratis Martinensium idem genus eductum. Ergo Lovanium, sive, ut vera & vetus vox est, **Loven**/ dictum quasi **Lo-veen**/ humida planities ista Loæ subjecta. Latini Lovanium fecerunt, Gallicam magis pronunciationem *Louvain* secuti. Sunt qui asserant hoc nomen derivari à voce Teutonica **Loveen**/ laudare, quod in templo quodam Marti, ut volunt, dicato, laudaretur belli Deus. Alii sentiunt hic habitasse priscos Levacos, alii Grudios. Vtcunque sit, urbs perantiqua est, ac vetusta etiam arce insignis, quam incolæ jactant esse opus ipsius Cæsaris. Interluit eam Dilia. Intra muros & extra in vicinis collibus vina leguntur. Pomœria ejus aliquoties diducta, & postremus quidem murorum ambitus, cœptus strui anno 1361. Major est Gandavo decempedis tribus, Leodico octo; Lutetia, si suburbia excipias, itidem octo: Colonia denique octodecim. Interiore mœnium ambitu sex Italica milliaria continet, quibus conficiendis duas minimum horas impendas. Habet intra muros amplissima quædam prata, amœnissimas vineas, hortos spatiosos atque frugiferos: colles etiam, valles, silvulas, aquas, aliaque vitæ humanæ commoda. Vt sapienter quidem, & cum judicio majores hanc urbem delegerint studiorum atque Musarum sedem. Habet insuper nobilissima sane templorum, monasteriorum & aliorum conventuum ædificia. Primaria ædes D. Petri est, splendida valde & sumtuosa. Habet Basilicam sive Curiam publicam nobili atque insigni structura. Privatorum item domus luculentæ & commodæ. Sed quod maxime est urbi ornamento, ostentat celeberrimum illud facultatum omnium & artium Athenæum: tum & supra viginti præclara collegia, à diversis illustri dignitate & fama viris, optimis legibus instituta. In his doctissimi viri omnis generis facultates profitentur. Excellunt inter hæc ipsa quatuor longe celeberrima pædagogia, Lilii, Castri, Porci, Falconis, in quibus docentur artes scientiæque communi voce Philosophiæ contentæ: & in Scholis publicis, vulgo Hallis, Theologia, Ius Canonicum, Civile, & Medicina. Prodierunt ex hoc Athenæo viri doctissimi, nec virtute minus quam fama insignes: inter quos fuit Adrianus VI P. M. Vltrajectinus, qui priusquam ad dignitatem Cardinalitiam eveheretur, aliquot annis literis operam dederat Lovanii, ubi etiam Cancellarii munus obierat, factus postmodum pædagogus Caroli V Imperatoris. Institutum fuit hoc gymnasium anno 1426, idque precibus Nobilitatis Belgicæ, à Brabantiæ Duce Ioanne Quarto, qui omnium primus id exornavit, atque doctissimis viris instruxit. Nec perpetuo solum censu, sed multis insuper privilegiis à Martino Quinto, Pontifice Maximo approbatis donavit. Refert Lipsius, didicisse se, Engelbertum Nassovium in flagrante tunc apud Ioannem Brabantiæ Ducem gratia, præcipuum auctorem fuisse, & Ioannem ad Academiam instituendam perpulisse. Diploma autem Martini Quinti datum signatumque esse anno 1425, quod potestatem faciebat amplam omne genus artium docendi, doctos producendi, & titulis honoribusque afficiendi: sola tamen Theologia, regina scientiarum excepta. Sed quod Martinus abnuerat, statim post annuisse Eugenium Quartum, quinto ipso anno à Schola instituta: cum super hac re Legatos ad eum Philippus Bonus, tunc Belgicæ Princeps, misisset. Præest Academiæ regendæ, semestri imperio, Rector aliquis. Et hujus quidem ea est dignitas, atque præeminentia, ut non omnes solummodo studiosi, sed & Magistratus urbani, & omnis adeo civitas, venerentur eum atque suspiciant. Munus ejus primarium, curare, ut recte & ordine regatur hæc Vniversitas, habeaturque officiorum & decori ab omnibus ratio. Hic iisdem studiosis tum in civili-

Etymon.

Academia Lovaniensis.


PRIMA PARS
BRABANTIÆ
cuius caput
LOVANIVM
Auctore
Michaele Florentio a Langren
Hispan. Regis Mathematico.
Thienen.
Leeuwe.
Gemblours
Diest.
Landen.
Halen.
Sichenen.
Ludoigne.
Hannuye.
Variæ huius tabulæ mensuræ.
Milliare Germanicum
Milliare Brabanticum
Milliaria Italica
Virgæ 20 pedum
Guilielmus Blaeu excudit
TERRITORII BRUXELLENSIS PARS
LEODIENSIS
DIOECESIS
PARS
NAMURCI COMITAT. PARS
MAIEVRIE DE INCOVRT
MAIEVRIE DE GREZ
MAIEVRIE DE LANDRAIN
MAIEVRIE VAN CUMTICH
MAIEVRIE DE ORP
MAIEVRIE DE HANNVYE
MAIEVRIE VAN LANDEN
MAIEVRIE DE GEST A VIRONPONT
MONT S. WYBERT
WALHEIM COM.
GEBLOV COM.
FALAYS COMIT.
HAEGHLANDT
AERSCHOT DUCATUS
RIVIEREN COMITATUS
WESTERLO MARCHIONAT.
MECHLINIÆ DOMINII PARS
LOVEN
Tienen
Diest
Aerschot
Leeu
S. Truyen
Liere

bus, tum in criminalibus litibus cum Senatu Academico jus dicit. De Lovanio hæc perhibet doctissimus Becanus lib. I Atvaticorum: Lovanium intra urbem, & in suburbanis, ubique campos habet aquis obnoxios, & iis altiora loca incumbentia, è quibus & colles assurgunt, alii vitibus consiti, alii silvis horridi, alii pomariis uberes, alii per declivia segetibus læti. Sunt hæc (inquit idem) Lovanio & Romæ communia, sed sic, ut si meo judicio sententia ferenda sit, longe lateque loci amœnitate Roma superetur atque vincatur à Lovanio. Nusquam, ita me Phœbus amet, terrarum locus est, qui magis videatur mereri, ut sit sacrarum Musarum domicilium. Conferantur omnia, quotquot sunt literarum gymnasia, vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania, nullum invenietur, quod huic par dici queat. Vixi Parisiis, Aureliæ, Pictavii, Lugduni, Burdegalæ, & in loco Galliæ amœnissimo Andegavi: vidi Ticinum, & in eo domum Enneophonum. Vixi Bononiæ, Patavii, Mantuæ, Florentiæ, Romæ & Neapoli. Germaniam partim vidi, partim auditu cognovi. Sed quæ equidem vidi oppida, nulla sunt Lovanio comparanda situs jucunditate, cum tamen viderim præcipua, & inter cætera Monachium, Augustam, Vlmam, & Coloniam Agrippinam, ut taceam inferiora. In Hispania Salamanca scholarum magnificentia longe omnibus in Europa præstat gymnasiis, sed situ & locorum facie à Lovanio superatur. Vallis Olitana extra urbem non est inamœna, præsertim in Visurgis ripis, secundum quas frequenter Cimancam usque corporis exercendi & animi recreandi causa, solebam, cum illic viverem, deambulare. Duo habet collegia quibusvis regiis ædificiis comparanda, sed omnibus inter se comparatis, nihil ad Lovanii amœnitatem. Gymnasium hoc Lovaniense, ut scribit Adrianus Barlandus, unum habet caput, unum Principem, cui omnes in eo parent. Hunc Rectorem vocant, cujus officium est, jus dicere, privilegia tueri, & maleficii reos scholasticis pœnis afficere. Cum in publicum prodit, ante eum præcedit Accensus, quem Bedellum, recepto illic vocabulo, vocant, sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc apparet, quod Consules, Magistratus & clarissimi quique viri, denique omnium dignitatum gradus, Academiæ Principi assurgant, & decedant è via. Exeunti ad comitia, quæ certis anni temporibus indici solent, plures Accensi anteambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Sunt & alia quædam Lovanii non indigna spectatu loca, Xenodochium dotatum amplissime, ubi nunquam non assistunt ægrotis mulierculæ solatiis refoventes singulos, atque adportantes quod cuique è valetudine esse constiterit. Est & alio loco digna Duce, digna Principe domus, quam extruendam curavit summus Pontifex Adrianus Sextus, cum adhuc in minoribus ageret. Intra mœnia visitur & cœnobium Carthusianorum, loco ab omni tumultu, ab omni frequentia semoto, ita ut nec eremi solitudinem in urbe magnopere desiderent monachi. Hoc ædificio nil ex ea familia vidisse se quicquam splendidius ingenue fatentur exteri. Hactenus ille.

Becani de Lovanio testimonium.

Structuræ publicæ.

Habet etiam Lovanium Collegium Societatis Iesu olim inchoatum ab Adriano Adriani, Antverpiano, anno salutis 1555. Huic D. Elias Schore, concilio Brabantiæ à secretis, vir bonus, & ob pietatem ac maximam in pauperes largitatem, æterna memoria dignissimus, amplas ædes donavit, & post hunc Gualterus Runselius, D. Petri Canonicus, S. Theologiæ Licentiatus, itidem suas pari liberalitate addidit. Sed inter virorum cœnobia maxime emicant Dominicani, & ab his brachio fluminis divisi Franciscani; ubi columnæ appensa sunt icon & epitaphium I. Lipsii, quod sibi ipse scripsit & poni mandavit CIↃ IↃ CIV, 3 Id. Febr.

Quis heic sepultus, quæris? ipse edisseram.
Nuper loquutus & stilo & lingua fui;
Nunc alteri licebit. ego sum Lipsius:
Cui literæ dant nomen & tuus favor.
Sed nomen. ipse abivi; abibit hoc quoque;
Et nil hic orbis, quod perennet, possidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta *fumus, umbra, vanitas,*
Et scenæ imago, &, verbo ut absolvam, NIHIL.

Extremum hoc te alloquor:
Æternum ut gaudeam, tu apprecare.

Inter Politica ædificia *Curia* commendatur, tota è secto per artem lapide, figuris & emblematis varie ornata. Magnitudinem justam habet, symmetriam bellissimam: insigne est majorum elegantiæ vel opulentiæ monumentum. Habes hic etiam *Arcem* sive *Burgum*, olim Comitum sedem; in qua agebant ob puriorem aërem & prospectum circum pulcherrimum. Heic inter quamplurimos exteros principes Carolus V puer cum sororibus educatus. Reliqua urbis opera sunt, *Fora* rerum venalium IX; *Molæ fluviatiles* XIV; *Viæ* urbem secantes mediam XII; *plateæ* laterales CXL; *Pontes* lapidei XVI; *Fontes* publici IV. His accedunt *Croijorum, Schoon-Vorstiorum, Nassoviorum, & Bergensium*, Principum palatia.

Externa urbis præcipua hæc sunt: *Fossæ* latæ, profundæ, atque eæ sæpe per vivum silicem, aut scruposam terram percussæ. *Muri* lateritio pulchro opere, & sectis deinde lapidibus albis, magnisque, interstincti aut tecti: iidem validis fundamentis ab ima fossa educti; sic ut tertia operis pars vix in aspectum veniat. *Turres* eximii operis in mœnibus habet LIII, *Propugnacula* & moles aggesta terra consolidatas XIII, *Pontes* sublicios XVI, *Portas* XI, è candenti lapide; inter quas spectabili opere visuntur hæ: Bruxellensis, Mechliniensis, Hasbanica, Diestensis, Parcensis: nomina à locis quo ducunt habent. dicuntur alias; Banchensis, Montana, Thenensis, Flierbacensis. accedunt his Vinearum & Heberlensis; illa à vinearum, ista ab hortorum in suburbano frequentia nuncupatæ. Iobbensis à sacello D. Iobi in Wesemalia, alias Emissitia dicta, quod illac aqua emittatur.

Lovanium vero caput agnoscunt *Thenæ, Lewia, Gemblacum, Diesthemium, Hala, Sichemium, Iudonia, Hanutum, Landa*, aliaque oppidula; quorum alia quidem Lovanium, inde Brabantiæ Cancellariam: alia vero primo ac immediate, ut vocant, Cancellariam eandem appellant.

Oppida.

Thenæ, seu Tillæmons, sitæ ad flumen Getam, qui

Thenæ.

qui haud procul inde oriens, eas interfluit, unde porro Halam profectus in Demeram tandem aquas suas exonerat. Lovanio distat atque Centronibus trium leucarum intervallo. Amplum satis est & grande: quin temporibus paulo magis remotis fuit maximi nominis, & commerciis florida civitas, quod ex eo colligitur, quod olim ter ejus pomœria fuerint producta. Quin arbitrantur quidam, Thenas fuisse inter primarias Brabantiæ urbes quartam. Diruta vero pluries, & crudeliter lacerata fuit atrocibus bellis cum Gallo & Leodicensibus; ita ut hodie maneat magna ex parte deserta & cultoribus vacua. Insigne in ea & memorabile est collegium Canonicorum. Inter tres capitales minores, primum obtinet locum, eximiis adeoque iisdem magna ex parte cum illis primariarum quatuor urbium, privilegiis ornata. Horario fere itinere in circuitum patet. Muri variis turribus sunt conspicui. Flumen duodecim pontibus est stratum. Tres in urbe communes, seu publici fontes. Sex portæ interiores, exteriores autem quatuor. Septem denique fora.

Lewia. *Lewia* sita est ad torrentem Gesam, qui haud longe ab oppido in fluvium Getam influit. Distat Centronibus quidem una, Thenis vero duabus, vel circiter, leucis. Oppidulum validum, probeque adversus hostiles insultus munitum, quia videlicet limitaneum & Eburonum agro conterminum. In eo est magnus ille Prioratus, quem vocant, Ordinis Divi Augustini, cujus Prior unus est ex duodecim Antistitibus Brabantinis.

Diesthemium. *Diesthemium* situm est ad Demeram flumen, oppidum concinum, & territorio late diffuso insigne, ubi plurimi fiunt panni & alterius generis merces. Superbit titulo Baronatus, præestque illi hodie Princeps Auriacus, cujus majoribus obvenit facta permutatione cum Duce Cliviæ, in vicem oppidi *Sittart*.

Gemblacum. *Gemblacum*, vulgo *Gemblours*, olim Comitatus fuit, sed in Abbatiam conversa, veterem illam dignitatem amisit. Ejus Abbas inter Nobiles quidem primus, inter Antistites Brabantiæ postremus rogatur sententiam, estque Ecclesiasticus, simul & secularis oppidi dominus. Meminit monasterii Gemblacensis Platina, cujus verba sic habent: *Hujus quoque Pontificis merito adscripserim Sanctum Vigibertum, nobilem Lotharingiæ Principem, qui Gemblacense cœnobium propria impensa, magnis operibus, brevi exstruxit.* Est in hoc Cœnobio celeberrima Bibliotheca, in qua plurimi libri veteres manuscripti nunquam typis excusi servantur.

Hala. *Hala*, quæ & Halena Latine scribentibus, posita est ad torrentem Getam, Lewia quidem duabus, Landa vero quatuor leucis abjuncta. Et quia sita est in extrema parte Brabantiæ, Leodicensi terræ vicina, nec admodum longe à Gelria, sæpius quoque per bella vastata fuit misere & attrita. Quamobrem, ut restaurari possit, luculentis admodum privilegiis à Principibus suis ornata est.

Iudonia. *Iudonia*, quam & Geldernacum appellant, sita est ad torrentem Giam, & Gemblaco quatuor leucis abjuncta. Vetustam hic videre est arcem, in qua, ob egregiam cæli temperiem, Principes liberos suos educari olim curabant.

Hanutum. *Hanutum*, oppidum est mire antiquum, amœno undique & fertili agro circumdatum. Iudonia distat plus duabus leucis.

Landa. *Landa*, Brabanticarum urbium creditur esse vetustissima. Hanuto abest duabus leucis.

Sichemium. *Sichemium* ad fluvium Demeram situm Diesthemio unius leucæ distat spatio, Principi Auriaco ut Domino obedit, olim oppidulum non contemnendum, nunc vero per bella civilia fere destructum.

Wesemalia. *Wesemalia* Baronatus nobilissimus Lovanio duabus leucis abest, Dynasta ejus è domo Schetzia est, semper Magister equitum, vel Mariscalcus Ducatus Brabantiæ.

Pervesia. *Pervesia* medio fere inter Gemblacum & Iudoniam itinere pari duarum leucarum intervallo ab utroque oppido dissidet, estque antiquus & late patenti ditione Baronatus, adeo quidem ut ejus Dynastæ priscis temporibus ea fuerint potentia, ut cum Episcopis Leodicensibus interdum bella gesserint.

Rosselaria. *Rosselaria* duabus circiter leucis Lovanio distat, Baronatus tantæ dignitatis, ut ejus Dynasta Ducis Brabantiæ fuerit cubicularius.

Walhemium. *Walhemium* Gemblaco grandi leuca sejungitur, pagus opiduli forma amplus, arce & late patenti ditione, nec non Comitatus titulo conspicuus.

Heverlea. *Heverlea* Baronatus in suburbano Lovaniensi situs est, ad Duces Arschotanos pertinet, arce, hortis, fontibus & omni amœnitatis genere prædicandus.

Brabantiæ pars secunda,

cujus caput

BRVXELLÆ.

Vice-comitatus titulum habet.



QVamquam Bruxella, ut quidam volunt Vicecomitatus non sit, gaudet tamen vetusto quodam Vicecomitatus titulo, juribus & prærogativis nonnullis ornato: non aliter quam Antverpia, Ganda, Ipræ, & alia quædam loca. Vnde qui Vice-comes Bruxellanus, nihil in eam obtinet juris, quam titulum illum & prærogativas quasdam, similes iis, quibus gaudet Antverpiæ Burggravius. Inter quatuor primarias Brabantiæ urbes secunda est, ipsam Antverpiam præcedens. Nomen habet à quadam arce, quam Senones, Angliæ populi, Galliæ infestandæ causa in has oras profecti, olim exstruxere. Est autem urbs mirabili prorsus situ, partim in plano, partim in edito posita, adeoque dignissima etiam maximo Principe sedes. Nam planities quidem, felicissimo ab utraque parte territorio circumdata, per amœnissima prata, cum supra tum infra urbem diffusa, pulchro sane adspectu, ad aliquot leucas porrigitur; ita quidem, ut numquam hic laboratum sit vel pabuli, vel annonæ, in usum Aulæ, penuria, cum aliquando tamen contigerit, ut septem hic uno eodemque tempore conspicerentur capita coronata; scilicet Carolus Quintus Imperator; filius ejus Philippus Rex; Rex Bohemiæ Maximilianus una cum uxore Regina; Helionora Regina Franciæ; Regina Hungariæ, Gubernatrix; & ex Africa, Rex Belesiæ: ut omittam Ducem Sabaudiæ, Ducissam, venia verbo sit, Lotharingiæ, ac tot alios Duces, Marchiones, & variarum nationum Principes; qui minimum octo vel novem mille secum habebant equos. Iam ab alia parte silva Sogniacensis est, leucæ tantum quadrante disjuncta, venatione simul & lignatione Regali insignis, tum Abbatiis undique ac monasteriis cincta, & innumeris passim, iisque pulcherrimis fontibus, & magna fructiferarum arborum copia nobilis, quæ omnia inter se juncta & cœlum efficiunt saluberrimum, & aquas longe dulcissimas. Interfluit urbem fluviolus Sinna. Præter quem, fruitur illa maximo quodam & navigabili alveo, ingentibus nuper impensis, & incredibili fere labore atque industria, inde ab ipsa urbe, usque ad Rupelam flumen perducto: unde Bruxella solventes naves per insignem hunc aquæductum in Rupelam ipsum intrant, atque hinc porro illapsæ in Scaldim, usque ad mare decurrunt; summa quidem cum incolarum, & finitimorum commoditate simul & utilitate. Opus sane præclarum, ac magno adeo Principe, vel & Imperatore dignissimum. præterquam enim quod in id hactenus sint impensa ultra quingenta coronatorum millia; scissus justæ magnitudinis mons; ac tam alte effossa tanta terræ intercapedo; variis etiam rivis, campos antea perlabentibus, subter alvei fundum deductis, ne videlicet cœno is aut arena possit oppleri: præter, inquam, hæc omnia, videre est inibi opera quinque cataractarum, opportunis maxime locis structarum, quas ab effectu isti *Exclusas* dicunt, & vernacula voce **Sluysen**/ maxima sane industria, nec minori judicio aquam identidem coërceri, & sisti, ne scilicet uno, quidquid ejus est, impetu, in primum illud receptaculum sese effundat, cum Bruxellæ, & in aquæductus hujus initio, aqua sit quadraginta, & amplius pedes, quam in exitu, altior. Præcipuus tanti operis auctor, vel fautor saltem atque impulsor (nam alioqui, gubernante etiam tunc Margareta Austriaca, Imperatoris amita, ab ejusipsius majoribus adinventum fuerat atque conceptum) Ioannes Locquenginius fuit, eques perhonestus, & Locquenginii, Berchemii, Coquelbergiæ, Dominus, idemque civilium in hac urbe caussarum Prætor, vel, ut vulgo loquuntur, Ammanus, **Den Amman.** Vicinum huic urbi ad Aquilonem, & quatuor tantum leucis abjunctum Lovanium. Ipsa vero Bruxella solo admodum ampla, & gemino mœnium ambitu clara; inter quos, magno satis intervallo discretos, Aulæ & vivario ejus ad ortum sedes. Reliquum inter murum utrumque spatium variis procerum aulicorum palatiis, tum privatorum etiam domibus, hortis, pratis, arboretis, imo & agris nonnusquam insessum est. quæ omnia urbi amœnitatem, salubritatem & temperatam aëri indolem adferunt. Muri exteriores incepti sunt exstrui anno 1357. Sunt autem Lovaniensibus mœnibus angustiores passibus ducentis. Ædium tamen frequentia Lovanium superat Bruxella. Portas numerat septem, familias nobiles septem, septem Scabinos. Creatur à Principe quotannis hic Magistratus, & eligitur è jam dictis septem familiis, earumque ab utroque sexu nepotibus. Nomina familiarum hæc sunt: Tserrodolphi, Tserhugii, Sleeusii, Cauenbergii, Tswertii, Rojenbechii, Stenwegii. Huic Senatui adjunguntur Proconsul & sex præterea viri spectabiles, ex artificum cœtu delecti. quod ipsum in reliqua quoque politia servatur, & publici census administratione, cui præsident quæstores sex, partim è nobilium ordine, partim è plebe selecti. Spectantur hic ædificia sacra sumtuosissima & pulcherrima, Templa, Nosocomia, aliaque id genus piis usibus officiisque destinata loca. Basilica consecrata est D. Gudilæ, olim vero D. Michaeli Archangelo, urbis patrono. Est deinde

Nomen.

Silva Sogniacensis.

Aquæ ductus & fossa.

Regimen.

Ædificia sacra.

deinde inter alia primi nominis templa ædes D. Iohannis, opere simul & vetustate spectabilis. Consecrata fuit ab Innocentio secundo Pontifice Maximo, qui hasce provincias coram lustravit. Etiam magnifica hic videas palatia; & primum quidem illud Senatorum, insigni etiam turri spectabile. Inde palatium ipsum Regium, quod etsi adhuc imperfectum, amplum tamen & commodum, adeoque aula dignissimum, & situ imprimis laudandum. Annexum illi vastum & peramœnum vivarium, parcum vulgo appellant, quod muris undequaque circundatum ad exteriorem usque oppidi murum pertingit. Includuntur vivario aliquot domus, Principi, aliisque ad usum: tum publici quoque & secretiores catadromi, sphæristeria; horti insuper, labyrinthus, & non piscibus modo, sed & cygnis abundans piscina. Continentur & amœnissimi quidam colles & valles, vitibus aliisque varii generis fructibus consiti, silvulæ perquam jucundæ & prata, in quibus variæ passim oberrant feræ, jucundissimo spectaculo.

Palatia.

Artificum sive opificum collegia hic numeres quinquaginta duo, quæ in novem membra, seu, ut ipsi loquuntur, nationes distincta sunt. Inter hos artifices maxime excellunt armamentarii: cum præter armaturæ cujusvis generis pulchritudinem, ita convenienter & ex amussi eandem temperent, ut sclopetorum jacula impune excipiat, ictibus impervia. Præ cæteris tamen mirandum & quæstuosum est opificium polymitariorum. Videas enim istic è serico, auro, argento, elaboratos tapetes, non industria minus & arte, quam impendio admirandos. Nata est in hac urbe anno 1505 Maria Caroli V Imperatoris soror, nupta Ludovico Hungariæ Regi, & postmodum fratris nomine Belgii Gubernatrix.

Artifices.

Est deinde Bruxella perpetua sedes Cancellariæ Brabanticæ, quæ constat ex Cancellario, Senatoribus, Advocato Fiscali, Procuratore generali, duobus Graphiariis, Audientiario, quatuor Secretariis ordinariis, extraordinariis novem, aliisque officiis Palatinis. Hujus si quis originem scrutetur, reperiet, anno 1312, mense Septembri, Iohannem Brabantiæ Ducem ejus nominis secundum ornasse hanc terram insigni quodam & celebri privilegio, quod dicebatur *Charta Cortenbergensis*, quia videlicet eo loco concessum, ubi tunc amplissima quædam erat Abbatia, eique adjunctus pagus, medio fere itinere Lovanium inter & Bruxellam, ac ordinaria per id tempus aulæ & Principis sedes. quo privilegio inter cætera statuit, ut deligantur quatuordecim viri honorabiles ab ipso nominati, & gente omnes Brabanti, qui tertia quaque hebdomade Cortenbergæ conveniant, atque ibi consultent, deliberent, statuant & exequantur, quicquid tractui universo compererint expedire. Biennio post, idem Dux alia pagina, Gallico idiomate scripta, statuit, ut (si opus sit) Brabantiæ præficiatur Seneschalcus (is postea Cancellarius) eique addantur Iudices, sive, ut verba textus sunt, Iustitiarii, & alii quidam ministri, qui ut minimum reditu suo se tolerent, sintque urbibus suis & terris idonei juxta & utiles Senatores, nec cuiquam quidquam promittant, donent, præstentve, ut ad hunc magistratum perveniant. Anno 1332, Iohannes Dux, superioris filius, chartam Cortenbergensem decreto & privilegio confirmat, & Senatum hunc duobus Consiliariis reddit auctiorem. Eadem charta ab aliis postmodum Ducibus approbata fuit, explicata, & declarata.

Cancellaria Brabantiæ.

Etiam hic Curia est rei clientelaris totius Brabantiæ, ad quam cæteræ omnes ejus Ducatus, tum & adhærentium ditionum feudales curiæ, provocant, sola Genapiensi excepta. Fuit præterea in hac ipsa urbe, olim nomine Cameracensis Episcopi, & nunc est Archiepiscopi Mechliniensis, Forum Ecclesiasticum, in quo disceptantur & deciduntur lites omnes Ecclesiasticæ hujus secundæ Brabantiæ partis, quæ diœcesi Mechliniensi subdita. Denique in hac urbe aulæ Regalis & Magistratuum ac Conciliorum ejus sedes est. Vnde merito urbs Regia dicitur.

Curia rei clientelaris.

Tertia fere ab urbe leuca sita est amplissima juxta & clarissima Abbatia Affligemiensis, cujus Antistiti inter duodecim Brabantinos, primi in Ordinum Conventu suffragii jus est. Condita est, secundum Irenicum, ab aliquo Ducum Brabantiæ, cujus nomen ille non exprimit. Barlandus vult Godefridum Barbatum condidisse. Verum errant ambo. Docet enim diploma fundationis cœnobii conditorem fuisse Henricum tertium, Comitem Lovaniensem, ejusdem Barbati filium, anno 1086. Est in hoc cœnobio Bibliotheca celeberrima, variis omnis generis libris instructa. Et præter hanc in Brabantia alias reperias, Tongerloanam, Gemblacensem, Grunendalensem, & Septifontanam.

Abbatia Affligemiensis.

Subsunt Bruxellis duo duntaxat oppida, Nivella videlicet atque Vilvordia, quæ Cancellariam immediate appellant.

Oppida Bruxellis subdita.

Nivella distat Bruxellis quinque horarum itinere. Oppidum est satis munitum, & plus quam mediocre, in quo magna contexitur tenuissimorum linteorum vis, Cameracensibus similium. Vnum est è quatuor urbibus constituentibus Marchionatum S. Imperii, una item è tribus minorum gentium capitalibus, quæ luculentissimis gaudent privilegiis. Ager oppido circumjectus omnium rerum ferax est. Nec procul ab oppido multæ passim occurrunt saxifodinæ. Sepultus est in hoc oppido Pipinus primus, Carolomanni filius, pater Gertrudis, quæ primarii templi Nivellensis fundatrix fuit, in quo instituit celeberrimum istum ordinem Canonicarum, constantem 42 religiosis virginibus. In hunc non admittuntur, nisi magnatum & virorum principum filiæ, quæque quadruplæ minimum nobilitatis membra paterni simul & materni sanguinis numerent, sintque ex institutionis præscripto legitimo thoro prognatæ, & ingenuæ generosæque virgines. Caput habent Antistitam, quæ vulgo audit *Madame de Nivelle*, Domina Nivellensis, Principis autoritate atque consensu ab ipsis è collegio electam, & deinde à Pontifice approbatam. Estque hæc Antistita domina simul & spiritualis & temporalis, ut vocant, Nivellæ, & territorii ejus, haudquaquam exigui.

Nivella.

Vilvordia assidet flumini Zennæ, medio fere inter Mechliniam & Bruxellas itinere, quarum utraque pari duarum leucarum intervallo abjungitur.

Vilvordia.



SECVNDA PARS
BRABANTIÆ
cuius urbs primaria
BRVXELLÆ
Descr. Michaele Florentio a Langren
Mathematico Regio.
Nivelle
Vilvorden
COMITATVS
HANNONIÆ
PARS.
FLANDRIÆ
PARS
BRVSSEL
LOEVEN
MECHELEN
Dendermonde
Halle
Nivelle
HET LAND VAN GAESBECK
HET LANDT VAN ASSCHE
NAMVRCI COMITATVS
LOVANIENSIS
Scalæ variarum mensurarum
Milliare Germanicum
Milliare Brabanticum
Milliaria Italica
Virgæ 20 pedum.
200 400 600 800 1000
Guilielmus Blaeu excudit

4

gitur. Oppidum ſitu magis, quam arte munitum. Arcem oſtentat ſatis antiquam, conditam 1375, in qua Principis nomine adſervantur ut plurimum & habentur in vinculis captivi quidam præcipui nominis, de quibus ipſemet Princeps, nullis omnino oppidanis intervenientibus, proprio nutu & ex cauſæ cujuſque meritis decidit. Adſervantur in ea autographa privilegiorum Brabantiæ conceſſorum, ac annexis ei dominiis, à Principibus; nec non ea, quæ Principibus indulſere Pontifices, Imperatoreſque. Item contractus & pacta inter Ducem Brabantiæ & alios Principes inita. Quorum quidem privilegiorum & id genus munimentorum cuſtodiæ præfici ſolet à Rege Commiſſarius quidam, ſeu delegatus, qui vulgo audit *Cuſtos* ſeu *Theſaurarius Chartarum*.

Vurnia. Vurnia municipium vulgo *Ter Veuren* ſita eſt in ingreſſu Sylvæ Sogniacenſis, Lovanio & Bruxella pari duarum leucarum ſpatio diſſita; gaudet titulo Vicecomitatus, habetque arcem pulcherrimam, in quam ob venationis & aucupii commoditatem ſoliti olim crebro ſecedere Duces Brabantiæ; adjacet Vurniæ Capucinorum cœnobium ob amœnitatem ſitus merito decantatum.

Dusburgum. Dusburgum una duntaxat Vurnia, Bruxella tribus leucis ſemotum eſt, Vicecomitatus titulo conſpicuum, omniumque municipiorum Brabantiæ vetuſtiſſimum, non longe hinc diſtat Overtſcha Silvæ Sogniacenſi pæne contigua.

Wavria. Wavria diſtat Bruxella quatuor leucas, eſtque locus admodum celebris, partim ob Prioratum prælautum, partim ob reliquias ſacras, quas populari morbo graſſante multa patraſſe miracula aſſerunt.

Brennia. *Brennia* cui cognomen addunt *alleud*, veteri voce Gallicæ originis, penſionem Latinis ſignificante, ita ut eo ſignificetur Brennia penſioni obnoxia, ſita eſt tertio circiter à Bruxella lapide in introitu Silvæ Sogniacenſis, exiguum quidem ſed antiquiſſimum plane oppidulum, in cujus vicinia Arx *Breine le Chaſteau*, & tribus ſupra hanc arcem leucis oppidum *Breine le Comte* jacet in terra Hannonia, unius à Brennia leucæ itinere circa toparchiam Clabbecanam eruitur terræ genus quoddam ſatis nitidi lapidis, cui nomen ab ipſa Clabbeca, qui colore ſimul & ſpecie prope accedit ad adamantem, ſed mollis eſt & tener, neque alium fere præbet ſui uſum, quam ut ſpecioſo illo nitore imperitis & incautis imponat.

Genapum. Genapum Nivella diſtat grandi duntaxat leuca, veterem habens & pulchram ſatis arcem, in hac forum eſt ſive tribunal, quod vulgo audit *la haute Cour de Lothier*, cujus in deſcriptione Brabantiæ Generali meminimus. Continet autem hoc oppidum quidquid hodie in noſtro Belgio ſupereſt ex magno illo nomine & titulo Ducatus Lothariæ, quatuor tantum oppidula, centum & ſexaginta quatuor pagos, duodecim Baronatus & octo Abbatias ſub ditione ſua complexæ, reliquum enim jam Lotharingiæ finibus reſtat incluſum. In hoc & finitimis locis ob miram cœli clementiam, terræ amœnitatem & venationum delicias domicilium ſibi elegerat Delphinus Galliæ Ludovicus, poſtmodum Rex eo nomine undecimus, quo tempore patris Caroli VII iram & indignationem veritus ad Philippum Bonum Burgundiæ Ducem confugerat, & quinque amplius annos in hoc tractu una cum uxore ſua plures in Genapienſi arce liberos enixa moratus fuit.

Braban-

Tertia pars Brabantiæ,

cujus civitas primaria

ANTVERPIA;

ET

MARCHIONATVS S. R. IMPERII.



Rabantiæ nobilissima pars est Antverpiensis ager. Is utrum ad Advaticos, an ad Ambivaritos referri debeat, controversum. Sunt enim, qui Advaticos, Cimbrorum & Teutonum, teste Cæsare, reliquias ad Scaldam, ubi nunc Antverpia est, consedisse velint, inter Ambivaritos, Nervios & Eburones. At verisimilius est, Advaticos jam olim agrum occupasse, ubi nunc Gallo-Brabantia est, inter Nervios, Eburones, ac Menapios; tenuisseque Hannoniæ, Hasbaniæ, Namurcensis Comitatus ac Leodiensis non minimam partem, Condrusiis conterminos. Nec illud magis probabile, Antverpiam fuisse eam urbem, in quam Advatici superatis à Cæsare Nerviis exercitus sui robur contulerint. Dicit enim Cæsar, illam urbem altissimas habere rupes despectusque, una ex parte aditum leviter acclivem. At Antverpiæ nullæ rupes, nullus ex alto despectus, ingens ubique planities, nisi quis dicat ingentes rupes in humillimas arenas desedisse, aut Oceano abstersas tamquam leves humani corporis verrucas. Illi magis vero affinia defendunt, qui Advaticum statuunt in montibus, qui Namurcensibus aut Huensibus imminent; aut in quocunque potius, quam Antverpiensi agro. Ambivariti, uti ex Cæsare patet, intra Mosam & Scaldam sedes habuere, quorum agri fuere *Buscoducensis*, *Bredanus*, *Bergezomius*, *Riensis*, *Antverpiensis* ac *Campiniæ potior pars*. Vt non videantur aberrasse, qui Antverpienses Ambivaritos arbitrati sunt. Fuit enim Antverpia à prima sui institutione caput *Marchionatus Riensis*, ac pars quædam Riensis agri. Adstipulatur huic opinioni D. Willebrordi testamentum, quod Antverpiam in agro Riensi statuit. Scriptum autem illud est anno VI, regnante Theodorico Rege: Verba hæc sunt: *Rotthingus mihi condonavit vel tradidit eclesiam aliquam, quæ est constructa in Antverpo castello, super fluvio Scaldæ, in pago Renensium, cum Appendiciis suis, villas denominatas his nominibus, Bacuvalde, Winnelincheime, Furgalare, & in ipso castello Antverpo tertiam partem de illo telonio.* Iam verò Riensem agrum inter Ambivaritos numerant etiam illi, qui Antverpiam inter Advaticos statuunt, ut proinde verisimile sit, Riensis agri caput Antverpiam inter Ambivaritos numerandam. Vnde antiquitas

De Bello Gallico lib. II.

De bello Gallico lib. 2. An Antverpia sit Advaticum.

An Ambivaritorum urbs. De bello Gall. lib. 4.

Belgica.

ejus apparet, ut cujus Willebrordus anno 656 meminerit, qui in ipso castello Antverpo Ecclesiam sibi datam asserit. Eadem habemus apud Theofridum Epternacensem. Sed & ante Willebrordum, sub Eligio, Andoverpienses non municipii, aut oppidi unius, sed provinciæ populum late dominantem non infelici conjectura colligas, cum S. Audoënus, *Flandrenses*, *Andoverpienses*, *Frisones*, *Suevos*, pari loco collocet, in enumeratione laborum beati Eligii, ac tanquam partem curæ ac sudoris illius, Flandrensibus, Frisonibus, Suevis componendam. Vetustissimum ejus nomen est *Antverpum*, uti ex testamento supra allegato constat. Ex Antverpo Antverpia dici cœpta, quod nomen hodie perdurat. Sunt qui *Handtwerpiam* à manibus projectis dici voluerunt. Ac ne quid fabulæ deesset, Gigantem commenti sunt, cujus etiam dentem ostentant palmo majorem. Quales si 32 habuit, quantum illud os fuit, in quo tot palmares dentes officium fecerunt? Est & aliud in hoc Gigante portentosum. Dens ille, quem ad fidem faciendam ostentant, sedecim uncias appendet, cum dens viri maximus, nunquam aut raro drachmam attingat, aut excedat. Singulæ autem unciæ cum octo constent drachmis, necessum fuerit, Gigantis nostri dentem CXXVIII drachmas appendisse. Iam, si à mole dentis ad reliquum corpus transeamus, cum in viro sex pedum dens maximus drachmæ sit unius, quantum arbitrabimur Gigantem fuisse, in quo dens unus drachmas centum viginti octo pendet? Denique quid potuit ad omnem fabulam explendam reperiri accommodatius, *Brabonem* Cæsaris collegam, tamquam Alcidem novum, Druonis nostri, redivivi Ericis manum præscidisse, & tam nobile collegæ sui factum aut ignorasse Cæsarem, aut pressisse silentio, qui non tacuit *Sextum Baculum*, *C. Volusenum*, *T. Pulsionem*, *L. Varenum*, pluresque inferioris notæ & operis? Goropius Becanus, Antverpiam, non infelici conjectura, à Belgico **aen-werpen**/ propter fluminis alluviem, dictam vult, vel ab **aen de werve**/ apud aggerem, pars enim ripæ, in qua est sita Antverpia, etiamnum hodie **Werve** nuncupatur.

Antiquitas Antverpiæ.

De nomine Antverpiæ.

Fabula de Gigante.

Marchionatus Sacri Imperii Romani, qui & Antverpiensis, Riensis Iusto Lipsio, à Marchia nomen habet cui præerat Marchio. Marchiam autem hoc loco vocamus, limitem Lotharingiæ ad Scaldim fluvium: quem Pagum Riensem olim dixerunt: qui continebat Antverpiam urbem

Marchionatus. Vnde dictus. Situs.

 nobi-


TERTIA PARS
BRABANTIÆ
qua continetur
MARCHIONAT. S.R.I.
horum urbs primaria
ANTVERPIA
Ex Archetypo
Michaelis Florentij a Langren
Reg. Maj. Mathematico.
Scalæ diverſorum milliarium.
Germanicorum
Brabanticorum
Italicorum
Virgæ 20 pedum
Guiljelmus Blaeu excudit.
FLANDRIÆ PARS.
Zeelandiæ
Tolen pars.
HOLLANDIÆ
Over Flackee
TERRITORII BRUXELLENSIS PARS.
TERRITORII LOVANIENSIS PARS
DIŒC. LEODIENSIS PARS
Luyckſche Kempen
DUCENSIS TERRITORII
MARQUISAET VAN BERGEN.
BARONIE VAN BREDA.
HOLLANDIÆ PARS.
Den Biesbos.
ANTWERPEN
Lier
Breda
Bergen op Zoom
Herentals
Liere.
BREDA.
Herentals.

nobilissimam, Liram, Bredam, Herendatum, Bergam, & Campaniæ multos pagos. Lazius Marchiam limitis Anglicani nominatam vult: Ioannes Marius dictum Marchionatum Sacri Imperii ad Scaldim: & sumpsisse initium inde fere à media urbe Valencena, ac pertinuisse porro secundum flumen usque ad ipsam Antverpiam, atque hinc rursus ad mare. E cujus quidem Marchionatus vestigiis duo potissimum hodieque Valencenæ supersunt monumenta: alterum Aula sive Sala, quam vocant, Imperialis, cui peculiaris suus Præfectus & administri jus pro tribunali reddentes: alterum vero immunitas, sive asylum, quod per bonam Oppidi partem extenditur, vulgoque *Banc lieu* appellatur. In eo autem asylo, tanta scilicet ejus tamque late patens immunitas, etiam homicidis, modo tamen excusabilibus, undecumque confugientibus, tuto licet subsistere. Paulus autem Æmilius scribit hunc Marchionatum continuisse Nivellam, Lovanium, Bruxellam, & nominatim Antverpiam. Cæterum de prima hujus Marchionatus institutione varia traduntur ab authoribus. Wassenburgius à Tungrorum Principibus deducit, inde ad Carolum Magnum, posterosque, audaci quidem facto: at nescio an pari robore: penes authorem fides sit. Ioannes Aventinus, Lazius, Becanus, Lipsius ad annum trahunt IↃXI. Vtilonem enim Theodonis magni Boiorum Ducis fratrem honorariâ Marchionatus Antverpiensis præfecturâ, à Theodorico Ludovici Magni Gallorum Regis filio ob egregias virtutes, donatum volunt, qui continetur Oceano Mari, & Scaldi, Mosa Rhenoque fluminibus: idque reprimendis, ut addit Aventinus, Danorum, maria per id tempus & terras late vastantium deprædantiumque incursibus. Factum id adnitente cum primis Theodeberto, Theodorici filio, qui Clochilaicum Danorum Regem post ingentes abactas prædas, depopulataque hostiliter vicina Marchionatui loca, terrestri ac navali clade, ad internecionem delevit, consilio manuque potissimum Vtilonis, cui etiam Sororem in uxorem Theodebertus dedit. E quo matrimonio Caroli Magni magnum genus. Vtiloni adduntur alii: & denique ipsi Duces Lotharingiæ ab Imperatoribus impetrarunt, inter quos Carolus Lamberti socer, & Otho filius. Neque tamen Lambertus ipse Comes obtinuit, ut apparet: legiturque Godefridus Gibber, Dux Lotharingiæ, Antverpiæ interfectus, tamquam ibi Dynasta & Marchio; itemque Godefridus filius Eustathii, Marchio Antverpiæ scribitur, & militem ibi collegisse, cum ad sacram & inclytam illam expeditionem iret. Constat autem hunc Godefridum, una cum Lotharingiæ & hunc sumpsisse titulum, atque adeo rem tenuisse. Declarant id Diplomata ejus: Godefridus Dei miseratione, Dux & Marchio Lotharingiæ, Comes Lovanii: anno CIↃ C XXXVIII. In alia Cœnobii Parcensis donatione: Ego Godefridus Dux, qui & Marchio: & posteri deinceps usurparunt. Cornelius Grapheus author est, Marchionatum Sacri Romani Imperii, institutum primum fuisse ab Imperatore Iustiniano. Sed Marius institutionem illius antiquiorem facit, narratque, Marchionem qui omnium primus hanc Dynastiam, ab Iustiniano jam dicto obtentam ad filios suos transmiserit, Anselmum fuisse Senatorem Romanum cui successisse facit Arnoldum filium. Iustus Lipsius hos versus ex Manuscripto Chronico citat:

Imperium Majorum.

Henricus genuit Henricum Lovaniensem,
Quilibet istorum Romani Marchio regni.

Et addit, spectare hæc ad Henricum Secundum, & Henricum Tertium Comites: qui præcesserunt Godefridum Magnum. Sed dubitatio subit, ait idem paullo post, cum Godefridus ille Gibber, anno CIↃ LXXVI interfectus scribatur: qui tamen Lamberto Schafnaburgensi Gozilo dicitur, re & tempore iisdem. Gozilo, inquit, Dux Lotharingorum, cum esset in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in civitate, quæ dicitur Antverpia, occisus est. At alii Godefridum hunc fratrem faciunt Gozilonis, quibus magis accedo. Sed quomodocumque, non potuit Henricus Tertius Marchio esse, aut non diu esse: præsertim cum Godefridus ille alter eodem titulo ornetur, sub annum CIↃ XCVI. Nisi existimat aliquis (nec de nihilo) Lamberti posteros usurpare voluisse, tamquam deberetur; etsi in possessione alii essent: aut, si forte, utrosque in parte possedisse. Hactenus ille. Paulus vero Æmilius testatur hunc Marchionatum institutum fuisse ab Othone II Imperatore, anno circiter nongentesimo septuagesimo tertio, datumque, in dotem Reginæ Gerbergæ, Imperatoris Amitæ, Lotharii Regis Gallorum matri. Narratiunculæ omnes istæ non multum inter se discrepant: mutant etenim Principes, augentque & minuunt ditiones prorsus pro libitu: sicuti fecerunt de Ducatu Lotharingiæ. Atque hinc fit ut Scriptores novas istas mutationes non raro sumant pro creationibus, ut sic dicam, primisque institutionibus Dynastiarum, attribuantque eas non primo, sed ultimo sæpe authori. Vtcumque fit, in eo omnes conveniunt, ut Antverpiam dicant esse Marchionatus Sacri Imperii Metropolim. Vnde jam ab illis usque temporibus elucescit urbis illius splendor, magnumque Marchionatus nomen, à quo tantorum progenies regum, mille & quod excurrit annis nusquam interrupta serie continuata, tandem in Hispaniæ reges Austriacamque domum se diffudit. Hic ergo tot Principum primordia, tot Imperatorum cunabula, non Romanorum modo, sed & Ierosolymorum, quorum Princeps Godefridus, in Marchionatu suo Antverpiensi exercitus in Asiam ducendi primitias roboraque delegit, ac in ipsa adeo urbe, Equestri titulo cives duodecim, duodenario Apostolorum numero provocatus, decoravit. Quo vero loco Belgii Principes hunc Sacri Imperii Marchionatum habuerint, vel ex eo colligas, quod Marchionatum urbi antetulerint. Cum enim Ludovicus Flandriæ Comes à Wenceslao Brabantiæ Duce Antwerpiam impetrasset, nulla quantumvis ingens pecunia digna visa fuit, ut Marchionatu cederet. Quare cum urbem feudalitio jure Comes possideret, caruit Marchionatus titulo: & licet tenuerint Flandriæ Comites urbem in annum 1403, cum ad Brabantiæ Duces rediit, Marchionatu tamen exclusi fuerunt.

Ejus dignitas.

Antverpia igitur Marchionatus S. R. Imperii caput ab omnibus agnosci solet. Prima vero ejus initia

initia constituit Arx, sive *Burgum*, quo nunc loco templum est *D. Walburgis*, sororis D. Bonifacii, magni Germaniæ, ut ferunt, Apostoli. Ac si annalibus credimus, ante annos mille, non fuit inter Belgii ultimas: ipsaque structura antiquitatem loquitur, cuique ævo ferendo idonea. Cujus si aream desideras, metire muri, qui flumine alluitur, extimam partem, mille minimum passus complectitur. Crevit deinde ante annos mille adjectione vicini agri. Complectitur hic nunc *Senatoriam Domum, Dominicanorum*, & *Sororum nigrarum* cœnobia. Auxit iterum pomœrium Henricus Dux anno 1201. Continetque hæc nunc area *D. Virginis* ædem sacram, *Prioratum S. Salvatoris*, *domum Patrum Societatis Iesu*, Sacella varia. Major tamen accessio facta sub Ioanne III, Brabantiæ Duce, anno 1314. Claudit enim hic locus ambitu suo Templa SS. Michaëlis, Georgii, Andreæ, Iacobi; cœnobia locaque sacra plurima, *Franciscanos, Carmelitas, Capucinos, Scholas Societatis Iesu, Augustinianos, Alexianos, Hospitale majus, Nonnas, Tertiarias, Albas Sorores, Clarissas, Annuntiatas.* Postremo, crescente populo & fortuna, iterum producti termini sub Carolo V, anno 1543. Elegans & diffusum opus, & quod in mille & sexcentos in longitudinem passus extendatur, in latitudinem quadraginta quatuor supra ducentos. Est hic *Oosterlingana* domus, ampla & venusta. Accessit his Castrum cum planitie sua anno 1567, sub Philippo II Hispaniarum rege.

Vrbis initia & incrementa.

Quod si cui mœnia curiosius speculari libeat, videbit facile nullis Europa tota cedere. Certasse hic dicas artificum omnium ingenia, hostibus ad terrorem, civibus ad præsidium: tanta interludente venustate, ut dum molem spectas roburque, arbitreris omnem abesse elegantiam: hanc si intuearis, putes deesse robur, rara in humanis mistione roboris & venustatis. Suprema planities procurrit in pedes CX perpetuis arboribus consita. Vrbis portæ solida rupe videntur stare, opere omnes Dorico. Fossæ, quæ mœnia ambiunt, patentes omnino sunt, reliquam urbis partem latissimum flumen tutatur. Ædes mira felicitate ad omnem negotiationem, varietatem, splendorem numerat Guicciardinus tredecim millia & quingentas, plateas supra ducentas. Nihil persimile huic Europa tota, seu viarum laxitatem & ad perpendiculum ductus, seu augustam ædium amplitudinem intuearis: quas non tam privatorum, quam Principum arbitreris usibus destinatas. Accedunt ad hæc, supra sex & viginti fora vario mercatu celebrata. Erant urbem incolentium anno 1568 supra centum millia, Familiæ variarum gentium, quæ domicilium hic delegerant plurimæ. In his capita censa 104985. Atque hæc extra nautas, quorum ingens numerus in navibus. Erant super hæc in suburbiis capitum 50 millia, quibus jus civitatis non secus, ac in urbe natis. Iam peregre adventantes quis enumeret? Legimus anno 1549, 56, 59, 61, numerata civium & aliunde accedentium capita CC millia. Maximus huc confluxus fuit Germanorum, Hispanorum, Lusitanorum, Anglorum, Genuensium, Florentinorum, Mediolanensium, Lucensium, Pisanorum, Gallorum. Sane è sola Hispania trecentas aliquando familias hanc urbem in-

Elegantia urbis.

Incolarum frequentia:

Belgica.

coluisse accepimus, potentes plerasque & opulentas. Quid, quod stata bis de die hora, supra quinque hominum millia in destinatum negotiationi locum convenire solita? Numerat Guicciardinus CCC sua ætate pictores, sartores IↃC, aurifabros CXXIV, chirurgos CX, pistores CLXIX. Naves non semel in flumine bis mille & quingentæ spectatæ sunt. Nec erat dies, qua non quingentæ minimum adnavigarent, aut enavigarent omnium generum mercibus onustæ: ac uno non raro maris æstu CCCC appulisse accepimus. Currus vix fidem inveniant. Nulla dies non ducentos vidit vectoribus gravidos. Taceo Germanica plaustra, Hanseatica, Lotharingica, Gallica; taceo rusticos carros omnis rei commeatum deportantes; taceo in animi laxamentum, in luxum etiam fastumque destinatas rhedas facile quingentas. Opes quod attinet, illud accuratiori disquisitione invenio, nullo non anno quingentos argenti milliones, auri nimirum centum triginta tres, & quod excurrit, in rerum emptionibus venditionibusque erogatos. Ludi bonarum artium in hac urbe fuerunt CL omnium scientiarum linguarumque vernacula domicilia. Iam quæ urbi adversa contigerint videamus. Extrema passam à Danis Antverpiam, ac in ignibus totam consedisse vetus codex testatur anno 837. Vrbis deinde partem maximam absumsit flamma anno 1236. Sæviit eadem tres nobilissimas depasta plateas, Nieu-straet/Rijpdorp/Keyser-straet/ anno 1396. Ingensque rursum ignis anno 1456, & anno 1461.

Navium.

Opum vis.

Incendia.

Ædes *D. Virginis* ante collegiata fuit Ecclesia, at anno MDLIX transiit in Cathedralem, adlaborante Philippo II Hispaniarum rege, Pontifice Paulo IV. Assignatum ei à Pontifice territorium septem oppidorum cum pagis interjacentibus, (qui sunt CXLIV, quos in iconismo hujus Diœceseos videre est) longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similium. Habuit vero Ecclesia Episcopos, I Philippum Nigrium, II Franciscum Sonnium, III Lævinum Torrentium, IV Gulielmum de Bergis, V Ioannem Miræum, VI Ioannem Malderum, VII Gasparem Nemium, VIII nunc est Ambrosius Capella. Sunt extra Ædem hanc Parœciæ quatuor, *S. Georgii, S. Walburgis, filiæ, ut vocant, Ecclesiæ B. Mariæ. S. Iacobi* Ecclesia ævi propinquioris est, quo vero anno exstructa, incertum; quo in Parochiam erecta sit, institutio Sixti IV, & Concessio Decani & Capituli tradit. *S. Andreæ* recentior est. Docent id Constitutionis Adriani VI, & Concessionis Decani & Capituli verba. Cœnobia vero & loca Religiosa in hac urbe plurima sunt. *Præmonstratenses* tempore inter religiosos primi, duce *D. Norberto* sub annum MCXXIV in hanc urbem venerunt. Celebre illa ætate Nortberti per Germaniam orbemque universum nomen, qui Adamiticam Tanchelini hæresin, per vicina urbi loca sævientem, validè repressit, vesanis impudentiæ illius ardoribus restinctis, ob quam rem, bene & ex voto Antverpiensium peractam, area, domo, temploque donatus fuit. *Dominicani* à Senatu populoque in hanc urbem Argentina evocati. Designata adventantibus à Senatu domus, areaque perampla, & retinet hodie vicus nomen, vulgo Predik-heer-straet. Transierunt

Ædificia sacra.

Cœnobia aut loca religiosa.

G postea,

postea, veteri relicta domo, in eam, quam etiamnum inhabitant, liberalitate Henrici III, Brabantiæ & Lotharingiæ ducis, anno M CC LVI, ubi etiam templum ædificarunt. *Prioratus* S. Salvatoris, Cistercienſis ordinis, vulgo *Petri Potz* munificentia, patricii Antverpienſis, conjugisque illius *Mariæ Terrebrots* extrui cœptus anno M CCC XXXIII; & ad optatum aliquando finem eorumdem benignitate anno M CCC XLVII deductus, annuoque censu, qui duodecim Religiosis alendis satis esset, dotatus. *Franciſcani* cœperunt anno 1467, locum Senatus dedit, donationem Philippus Brabantiæ dux diplomate probavit. *Carmelitæ* anno 1485 locum ædificando delegerunt; faventibus impense Maximiliano Romanorum rege, & Philippo Brabantiæ duce. *Bogardi* texendo vitam tolerabant, hi primum urbem ingressi anno 1228, locum tandem habitationi commodum anno 1346 ære suo pararunt, eoque res processit, ut textrina relicta solis divinis vacarent. *Augustiniani* olim fuerunt, & venerant in hanc urbem anno 1514. Anno 1607 domum à Senatu impetrarunt. *Alexianis* Henricus Suydermannus Germanus anno 1245 fundum & domum dedit, ac tandem D. Augustini regulam secuti sacratiori se religionis voto ligarunt anno 1461. demum domum struxerunt insigni opere, priore longe augustiorem, anno 1546. *Capucini* ultimi in hanc urbem è Gallia venerunt anno 1585, hortatu Alexandri Farnesii, Parmæ ac Placentiæ ducis, Cœnobium Catholici Regis munificentissimis impendiis struxerunt. *Patres Societatis Iesu*, anno 1562 urbem ingressi, primùm duo, quibus plures postmodum accesserunt. Anno demum 1574, paucorum, ac imprimis D. Frias Hispani liberalitate empta domus, templumque non totis mensibus sex exstructum. Cumque Scholarum angustiis juventus excluderetur, præprovida munificaque Senatus largitione, augusta amplaque domus anno 1608 accessit. Feminarum Cœnobia, quia numero plurima sunt, non enumerabo. Nec pauperum receptacula, & Xenodochia. Solùm libet quænam in urbe loca ob magnificentiam stupenda indicare. Inter prima est *Arx*, sive castrum hujus urbis, quinque validissimis firmata propugnaculis mutuum defensantibus: montibus unde omnem circa regionem prospectes, mœnibus inclusis: Armamentaria habet & commeatuum reconditoria maxima & capacissima. Stabulandis etiam equis loca commoda, & super hæc militi certa tutaque domicilia. Laxissima in Arcis medio area militari delectui commodissima, quæ justo etiam exercitui satis sit. *Turris* D. Virginis nobilissimum opus, in ingentem surgit altitudinem, pedum nempe 420, cubitorum nimirum 488, tanta passim pellucens amœnitate, tanta superstantium mutuo columnarum varietate, ut & solaribus undique radiis transverberetur, & luci quaqua parte viam prospectu præbeat lætissimo. Cœpta est ædificari anno 1422, ac 96 annis ære publico ædificata. Datum deinde initium alteri turri, quæ fastigium templi superat, sed interrupta pendet. *Curia* sive Senatoria domus ad invidiam reliquarum prope gentium assurgit, vario opere interludente, Tuscano, Dorico, Ionico, Corinthio: structura eleganti è maculoso candicante marmore, lividiore tamen, sparsimque circumvoluta canitie, ac quasi si undatim in crispos vortices agatur. Ædificari cœpta anno 1560, igne periit anno 1576, redditaque annis sequentibus. Eminet insuper *Bursa*, elegans per omnia opus, quadraginta & tribus è pario marmore substructum columnis, quas dissolvere ne secula quidem videantur posse. Longitudo in centum octoginta protenditur, latitudo in centum quadraginta. Quatuor in eam excurrunt à quatuor mundi plagis plateæ, ut non consilio, sed ab ipsa natura istic loci constitutam arbitreris. Nec silentio prætereunda *Oosterlinga domus*, insigne elegantiæ & opulentiæ monumentum, patet in longitudinem 230 plus minus pedes, latitudo minor est; complectitur ambitu suo 300 cubicula, singula singulis gentis illius mercatoribus percommoda. *Vrbis* mœnia octo validissimis in mutuam tuitionem procurrentibus propugnaculis solidata; qua vero agros fossasque spectant, è perpetuo vivo lapide structa. Portæ operi respondent, firmitate, elegantia, æmula laude. Sunt vero universim tredecim. Accedat ultimo flumen *Scalda*, quod dum Oceano trahitur avido haustu, portentosa ad passuum sexaginta millia reciprocatione refluit. Sed & latitudo pro miraculo est, cum non uno loco, qua urbem præterfluit, mille & sexcentos pedes expleat; & respondet latitudini profunditas, pedum minimum sexaginta; ut quantumvis oneratas nullo negotio vehat, tanta exonerandi onerandique facilitate, ut nauticæ rei periti, nullam se orbe toto parem expertos testentur, cum manibus è littore, maximæ etiam onerariæ, onere quocunque levari possint. Ab hoc flumine ostia octo, sinusque octo, atque hinc navium in ipsa urbe receptacula octo, quæ & grandiores onerarias centum excipiant.

Opera urbis magnifica.

Totius urbis gubernatio valde est affinis ei, qua crevit olim Roma. Percurram singulos veteris illius & hujus Reip. ordines. *Interreges* quinquedialis Magistratus fuit, nec aliter, quam Comitiorum causa creatus, quasi medius inter duos reges, abeuntem & adlectum. Interreges vero hic nulli, nec ulli majorum ætate fuerunt. *Censores* quoque hic nulli, ac omne horum imperium penes Senatum est. *Dictatoria* potestas in Principe degit. *Consules* duo annui, summa parique potestate. *Prætoris* hic nomen deest, sed res est. Nec enim aliud oppidanus Consul, quam juris disceptator. *Iudices* aut *Scabini* more Romano septem hic fuere, usque in annum 1355, cum sub Wencеslao & Ioanna Brabantiæ ducibus, duodecim Scabini seu Iudices tanquam duodecim viri dati, additique sex è primis sex patritiis Antverpiensium familiis, qui Prætorio huic, vel duodecemviro Senatui præessent. Hodie Senatum constituunt 18 *Senatores*, inter quos Consul internus seu oppidanus, princeps Senatus in jure dicendo, adderitusque supra hunc numerum Consul externus, qui quicquid Politicam administrationem spectat, sedulus curaret. Duo hic urbis *Præfecti*. Primus Marchio, cujus viva in Romano præfecto expressio est, quem & *Triumvirum Capitalem* statuo. Alter *Amannus*, cujus curæ omnis privatarum civilium actionum disquisitio commissa est, facultasque Senatum super his conveniendi, jus poscendi,

Senatus Populusque Antverpiensis.

Leges Senatus.

Militaria Collegia.

poſcendi, judicatum exequendi. Vnus hic *Quæſtor* ſeu *Præfectus ærarii* eſt, cui eadem, quæ Romano munere, cura, erogatione conceſſa. *Tribunos* ſive tribuum præfectos hic habes è veteri Romana formula, trium primarum tribuum, quæ reliquarum capita & principes ſunt. Tribunos militum extra belli tempora ne quære, niſi Gildarum ſex capita vel Decuriones & corporum Reip. militares duces, tribunos dici velis. *Tribuni* vero plebis Romana poteſtate hic nulli. *Ædiles* hic tres, Senatorii duo, & à Senatu dati, tertius à Principe, quatuor deinde additi è populo, qui de corruptæ rei vitio potiſſimum cognoſcerent. Extra hos hic videas *Ædiles ſacros*, quibus Divorum templa concredita. Sunt hic *Magiſtri Monetales*. Sunt *Zugoſtatæ*, quos *Wardeins* vocant: ſunt metallorum exploratores, vulgo *Aſſayeurs*. Sunt Præfecti *monetales*, qui cudendæ præſunt monetæ. Præfectus prætorio militibus præerat. Hujus loco prætoria quadam poteſtate præſunt hodie duo Conſules, & è reliqua nobilitate duo, militaribus contuberniis, quæ *Gildas* vocant. *Præfectus* qui hodie cohortibus præeſt ſumma poteſtate Conſul externus eſt, cui additus à Senatu Senator unus. *Tribuni vigilum* quinque ſunt, vulgo **Wacht-meesters** dicti. *Curatores* hic quatuordecim Regionum, in quas urbs tota cum vicino pomerio diviſa. *Vicomagiſtros* duos hic ſingulis vicis è populo præpoſitos habemus, vulgo **Wijck-meesters**. Varii hic *Scribæ*, & ad varia munera tranſlati. *Quæſtorius* unus, *Ædilitius* unus, *Pupillaris* unus, *Pacis* unus, *Pannarius* unus. Inter Scribas, Greffiarios & Secretarios urbis numero. Illi quatuor ſunt, & hi. Illis Scribæ ſex, his duodecim aſſignati. *Curatores operum publicorum* ſunt *Duumviri*, vulgo **Commijs** / & **Controleur** / quibus fora, mœnia, vici, pontes, aquæductus, ſimiliaque urbis loca demandata. *Penſionarii* dignitate Senatoribus proximi, Oratores publici ſunt, & voluntatis Senatoriæ interpretes.

Leges Senatus. Nemo in Senatum Antverpienſem adlegi poteſt, extra Brabantiam natus. Nemo alieno toro natus, nemo adulter; quod ſi adlecto advenerit, abdicatione crimen luit, è veteri ſanctione. Nemo Principi muneris alterius juramento obſtrictus. Nulli patrueles, matrueles nulli, aut de vicinitate ſanguinis innexi. Nemo, qui non annum ante ſolidum civitate donatus. Nulli è plebe in Senatorium ordinem adleguntur. Nemo auro ſibi aditum ad Senatorios faciat honores.

Po- Populus hic univerſus in tres claſſes diviſus eſt, Senatores, Equites, vulgo **Poorters** / & Corpora ſeu Artificum collegia, **Ambachten.** Et Equites quidem in *Vrbanas Tribus* tredecim, *Ruſticam* unam; *Corpora* vero in octo & viginti nobiliora collegia, quibus ſuffragio locus eſt, diſtributa reperio; quæ qui *tribus* voluerit, non abnuam. Iſque 41 Tribus in Republica ſtatuet, *Equitum* 13, *Corporum* 28. Propius tamen loquetur, qui 28 *Corpora Curias* dixerit, nam & qui præſunt Decuriones, vulgo Decanos vocant. Hæ vero Curiæ tribus continentur *tribubus*. *Nautica* prima eſt, *Mercia* ſecunda, *Pannaria* ſive *Fullonia* tertia. Ac prima quidem & tertia, novem corpora, tanquam Curias novem, ſecunda decem complectitur.

Militaria Collegia. Præter hæc, Militaria quoque Civium Collegia inſtituta, quæ Fraternitates vocant, & vulgo **Gilden.** Duæ balliſtis utuntur, additumque nomen Novæ & Veteris: arcu & ſagittis duæ, paribus nominibus: ſclopis una: ſexta gladiis.

Atque hæc quidem de Vrbe Belgii quondam Ocello. Præterea ſub hac tertia Brabantiæ Tetrarchia aliæ & non contemnendæ continentur urbes, quarum ecce numerum; & primo quidem loco ſeſe nobis offert Arſchotum oppidum Ducatus titulo à Carolo V Imperatore exornatum, cujus & typum & deſcriptionem Mechliniæ adjunctam videas. Sequitur Marchionatus Bergozomenſis, cujus peculiarem in ea, quæ de Belgio Fœderatis ſubjecto tractat, parte exhibebimus deſcriptionem.

Aerſchot Ducatus. *Bergozomium March.*

Hoogſtraten Comitat. Hoogſtrata Comitatus prærogativâ ab Imperatore Carolo V ſub annum 1532 obtenta ſuperbit; oppidulum mediocre ſed murorum & mœnium expers. Antverpia ſimul & Berga pari ſex leucarum ſpatio diſſidet. Ad leucæ plus minus trientem ad torrentem Mercam, haud procul inde exortum, abjuncta eſt arx Comitum ſedes. Subſunt huic Comitatui ſequentes pagi, Vorſelaria, Wortelen, Mierlen nemore conſpicuum, Minderhout & Meer, aliique; tum & territorium ita amplum ut haud exigua inde exurgat ditio.

Breda Baronatus. Breda ſita eſt ad fluviolum Mercam, Hoogſtrata tribus, Sylva-Ducis ſex prægrandibus, Antverpia denique octo leucis abjuncta. Oppidum lautum, amœnum, & munitiſſimum. Gaudet dignitate & titulo Baronatus, eſtque luculenta in primis & magni momenti ditio; cujus juriſdictionem agnoſcunt pagi complures ampliſſimi præter viculos quoſdam minores; pertinet autem Baronatus nobiliſſimus, ſub Ordinum Fœderatorum ditione ſitus, ad Principes Auriacos. Ad quos devolutus eſt ab anno jam 1404, quo Iohanna, Iohannis Polani, Leccæ Bredæque Domini, &c. filia & hæres, Engelberto, Comiti Naſſovio, &c. nupſit. Cujus Pronepos, Henricus, Comes Naſſoviæ &c. Bredæque Baro, ductâ in uxorem, Claudiâ de Chalon, Philiberti, Principis Auriaci, (ejus, inquam, qui, Româ, pro Imperatore Carolo V captâ, Neapolique egregiè defenſa, tandem ad Florentiam Italiæ Vrbem, ipſe licet Victor Glorioſus, glande trajectus, prole deſtitutus, occubuerat, Principis,) Sorore; ex eâ filium unicum ſuſcepit, Renatum de Chalon, Principem Auriacum; qui & ipſe in Caſtris ad S. Deſiderii, anno 1544, ætatis 32. telo lethifero petitus, liberis relictis nullis, obiit: Patrui ſui, Guilielmi, Comitis Naſſovii, &c. filium natu maximum, Guilielmum, Bonorum, dignitatumque ſuarum Hæredem ex aſſe inſtituens: qui eâ ratione Baro Bredæ, & Princeps Auriacus, ejus nominis Primus factus, Baronis Bredani, Principiſque Auriaci Titulos, illuſtreſque Dynaſtias in ſuam ipſius inclutam Domum tranſtulit: penes quam etiamnum ſunt, ac inviolabiles conſervantur. Pulcherrimis renitet ædificiis Breda, & Nobiliſſimarum Familiarum ſplendidiſſimis fulget Domibus: ut & Scholâ Academicâ, ab glorioſiſſimo Principe Frederico-Henrico, anno 1646 fundata auſpicatiſſimè, claret. Superbit prætereà eximio Templo. Principis Auriaci Renati de Chalon, Comitum item Engelberti, ac Henrici, priſcorum Bredæ Baronum,

num, tumbæ magnificæ in eo visuntur. Et ante Principis Guilielmi I, ex Belgio in Germaniam, discessum, anno 1567, Breda, civitas, cum territorio suo universo, sub inclutorum Nassoviæ Comitum, ceu Bredæ Baronum, annis ampliùs 184. felici, tranquillâ, optimâque sub dominatione floruit, & excelluit. Plura, in Bredæ commendationem quæ facerent, afferrem, nisi complurium Historicorum monumentis laudatissimis, gratæ Posteritatis memoriæ commendata plus satis foret. Quò curiosos ingenuorum Lectorum animos remissos ultrò volumus.

Lira. Lira posita est ad flumen Netham, duabus leucis Antverpia, totidemque Mechlinia dissita, oppidum situ pulchrum & amœnum.

Herentaels. Herentalia oppidum ad flumen Netham situm, Lira quatuor minoribus leucis dissidet, belli calamitates non semel experta. huic vicina est Tongerloa *Tongerloo.* Abbatiâ illustris, totiusque Brabantiæ augustissima.

Walheim. Walheim Nethæ quoque adjacet, Mechlinia unius, Antverpia trium leucarum spatio abjunctum, pontem habet egregii operis flumini transmittendo extructum.

Turnhout. Turnhoutum distat Antverpia sex leucarum itinere, municipium amplissimum & pulcherrimum, oppidi gaudens nomine, quodque primarium semper locum & dignitatem inter municipia Brabantina tenuit, amplitudine, splendore & antiquitate spectandum. Vrbs ipsa dicta anno 1261 cum primariis Brabantiæ urbibus fœdus pepigit, maluitque oblata mœnium sub Carolo V conclusione primatum inter municipia, quam inferiores inter oppida partes tenere. Cæterum locus est venationi aliisque Principum voluptatibus commodissimus; & arcem habet adjacentem.

Santhoven. Santhovia vicus est celebratus ob Privilegiatum inibi Tribunal, ad quod plurium pagorum recurrunt sententiæ; cujusque statuta inaugurandus Princeps juramento solet stabilire. Huic Curiæ subcensetur Grobbendonka Baronatus titulo an- *Grobbendonk.* no Domini 1602 exornata prætorioque instructa eleganti: ad Schetzios hujus Baronatus spectat dominium. Spectat & ad hanc Præfecturam Duf- *Duffel.* fela: celeberrimus Gentis Merodiæ Baronatus. adjacet autem Nethæ medio fere inter Mechliniam atque Lyram itinere, magni nominis & dignitatis Dynastia.

Gela. Sunt præterea sub Antverpiensi Brabantiæ parte municipia Gela, duabus ab Herentalia leucis abjuncta. Baronatus ex 18 antiquioribus Brabantiæ, territorio gaudet amplissimo; & Aren- *Arendonk.* donk, duabus leucis Turnhouta dissitum.


Roosendael. Pagi celebres, Rosendalia, Bergozomio duabus, Breda vero quatuor iisque prægrandibus leucis dissita; pagus admodum lautus, aquarum & crebræ navigationis, aliarumque rerum commoditate spectabilis: Lilloa, quæ unitarum Pro- *Lillo.* vinciarum Statuum dicto audiens, ultimis hisce bellis munitissima, imo fere inexpugnabilis effecta est. Cantecroy à Philippo II Hispaniæ Rege *Cantecroy.* anno 1570 in Comitatum erecta, cum adjunctis aliquot circumjacentium pagorum Dominiis. Hic quarta Brabantiæ Sylvæducensis Pars subsequi deberet, ni descriptionem ejusdem, cùm tota fere Fœderati Belgii pareat Ordinibus, in eam, quæ de eorum ditionibus tractat partem, rejicere maluissem.

DESCRI-

DESCRIPTIO CASTELLI AD SANTFLITAM, &c.

ex Cl. Viri HVGONIS GROTII

Historia de Obsidione Grollæ.



Apta Grolla Princeps Auriacus mense Octobri anno 1627 Zutfania digressus, Arnhemum Velaviæ caput, unde Gelriæ regimen, inde Hagam Hollandiæ & communis Fœderatorum imperii sedem, curam transfert ad ea quæ tum hosti ad Scaldim parabantur. Is amnis apud Veromanduos ortus Cameracum transit, factusque apud Valentinianas navium patiens, Scarpa admixto auctior, flexo magis in septentrionem cursu Tornacum Aldenardamque Flandriæ urbes adit, inde Gandavi multis simul receptis aquis, præcipuis Lisia Liviaque, in ortum se vertens Teneramundæ ac Rupelmundæ sua dat nomina, inde quod Tenera Rupelaque amnes iis in locis majori se infundunt. Tot auxiliis inclitus Antverpiam ditissimam quondam urbem, & nunc quoque veteris fortunæ vestigia retinentem, dexter allabitur: neque longe duobus Batavorum castellis quasi claustris premitur, quorum quod in Brabantica ripa, Lilloo habet nomen, portu quondam adibatur, quo nunc oblimato habetur firmius, alteri in Flandriæ ora Lisquenshouco vocabulum est. Huc usque continuus est Scaldis, qui mox inter Santflietam Brabantiæ, & Saftingum Flandriæ vicos, scindi incipit, unoque alveo nomen retinens, & in conspectu Bergarum ad Zomam septem horarum itinere ab Antverpia, accepto Zoma, qui oppido illi nomen dedit, provectus inde longius, Zelandiam dividit in eam quæ ad occidentem Scaldis dicitur, in qua Walachria insula Middelburgo, Flissinga, Veria oppidis nota, & Bevelandia septentrionalis australisque, & eam quæ ad orientem Scaldis, in qua præcipua insula ab ipso flumine nomen habens Scaldia, cui oppidum Zirixæa, tum minores aliæ. Est alius ad lævam alveus cui Honta nomen, Ottonum Imperatorum quondam opus, angustum olim, ut veteribus documentis constat, sed quod late aperuit & sinum sibi fecit invectus Oceanus.

Scaldis fluv.

Belgica.

Is Bevelandiam australem, cui caput Goesa, deinde Walachriam à Flandria dispescit. Dextro latere paulo infra Bergas ad Zomam alius rursum alveus Vosmarii habet nomen, & Tolæ Zelandorum insulæ, in qua oppidum cognomine, dextra prælapsus, Flaccæo (is maris sinus est ingentes continens Hollandici imperii insulas, Vornensibus quondam Puttenisque toparchis insessas) infunditur. Totum hunc ego tractum à Flandria ad ea usque Hollandiæ quæ Mosam ultra sunt, perpetuas fuisse terras, argumento habeo æqualem oræ utriusque littoris procursum, si non respicias intersusum mare, & quod Romanorum nulli insulæ illic memorantur. Quantum tam longi temporis vices mutare potuerint, documento sunt memoriæ nostræ propiora, ex queis discimus plurima terrarum diluvio mersa, rupta quæ cohæserant, alibi revecto per æstum quem amnes detulerant limo, terras aut emersisse novas, aut veteres redditas, annitente hominum ingenio varia per opera quæ cœnum detinerent, aquas excluderent exhaurirentque, non alterius uspiam populi majore ad has res industria. Nec sæcula tantum, sed anni, menses, dies faciem mutant, prout amnes se huc aut illuc torsere, prout æstuum impetus aut status aut ventis excitus eminentia operuit, aut latentia nudavit. multæ ubique præter illas notas minores insulæ, multa brevia, multa quæ dubites utro nomine appelles, incerti juris, ut accessit aut abiit mare, cujus vices Scaldis Gandavo tenus sentit. Germanos Zelandias quondam insulas quasvis dixisse reperio: postquam plures in unum imperium coaluere, quod singularum fuerat proprium, corporis factum est, maxime ex quo expulsis Flandris qui Walachriam & proxima sibi vindicaverant, victores Hollandiæ Comites, distincto jure ac peculiari Comitatus titulo has terras tenuere. Zelandorum pars primis in Albanum motibus Hollandis se junxerat, initio à Flissinga, cui alia sponte accessere, Middelburgum fame coactum. Gens mari valida, magnisque præliis consecuta ut non alias magis Hispani timerent, donec sub Requesenio Zirixæa in Regis potestatem redacta res

arctas


TABVLA
Castelli ad Sandflitam, qua simul inundati agri, alluviones, fossæ, alvei, quæ Bergas ad Zomam et Antverpiam interjacent, annotantur.
Excudit Guiljelmus Blaeuw.
Explicatio Notarum et verborum
Dyck Agger
Wegh Via
Huys Domus
Redout Receptus
Schans, Fort Castellum
Castella Hispanica
Castella Batavorum
Polder Alluviones siccatæ
Schor, Gorssen Alluviones
Kreeck Alveus
Gat Ostium
Haven Portus
Wacht Præsidium navium
BRABANTIA
Antwerpen
Berghen op zoom
Santvliet
Stabroeck
Ossendrecht
Woensdrecht
Lillo
Tolen
HET LAND VAN DER TOLEN
De Ooster Schelde
SCALDIS
De Wester Schelde
FOSSA OTTONIANA
BEVELANDIA AVSTRALIS sive t'LAND VAN DER GOES
Nieuwen Doel
Ketenesse
FLANDRIA
Land van Waes
Verdroncken Land
Hulst
Hulster Ambacht
Saeftingen
Batzen toorn
Militaria

arctas fecerat, ni Hispani per seditionem intoleranda cœptantes, Belgico-Germaniæ toti necessitatem imposuissent jungendi arma, sibi expulsis undique vix Belgarum extima ad receptum reliqua fecissent. Ex eo Zelandiæ firma atque hosti intenta possessio, auctæque vires ex quo Antverpia Parmensi capta cum libertate maris usum & mercandi commoda amisit. Sed ingressu novi sæculi Augustinus Spinola adductis ab Italia longis navibus damna & formidinem intulerat, donec oppositæ ejusdem generis ante hac Oceano incognitæ naves, sæpe & bellicæ veteres ventis subito augescentibus adjutæ parum tutas agitato mari alias evertere. Mox cum oppido Clusa captum quicquid earum navium restabat: adjectoque Isendico proxima illa Flandriæ ora Zelandis pro munimento objecta, nullo super metu nisi siquid ex Hulstano agro, cui non portus, non naves, leve admodum audebatur. Post id transfugæ spem fecerant, invadi posse Bevelandiam australem, & aperto ad Irsicam aquarum septo, & perfossis quæ obstabant, oppidum Goesam atque ei proxima mergi, partem vero insulæ-Hontæ adsitam etiam retineri, defensam quippe suis aggeribus, qui olim in pace structi ad coërcendam eluviem nunc pro belli munimento erant valituri. Anni effluxerant dum exspectatur tempus idoneum, quo exhausta præsidio Goesa nudam insulam præberet: quod evenit, dum Principem & exercitum muniendæ Grollæ cura retinet, & audita pridem per exploratores hostium consilia sui vetustate per oblivionem venerant. Ergo Antverpiæ contracta vis scapharum & quæ alia navigia plano alveo facile vadis insidunt, pars adacta per æstuarium quod retro Lilloum multis uliginosi soli fruticibus obumbratur, pars curribus eodem pervecta, quinquaginta omnes, bis mille instructæ militibus per mersa terrarum inter Scaldim Hontamque Bevelandiæ australi accedunt, captato tempore quo maxime vacuus ager, ad solennem Goesæ mercatum provectis inhabitantium plerisque. Sed mare sperato citius recedens, inter eos qui advenerant & Bevelandiæ australis aggerem medium fecerat spatium, quod gravi cœno tenax nec scaphis nec pedibus transiri facile: attamen egressi scaphis gradum inferebant, cum militum pauci emissi oppido humenti extra aggerem solo semet ostentantes, & in ipso aggere vexilla, quibus ad publicas voluptates indigenæ uti solent, pro signis militaribus collocata, falsa imagine verum metum fecere. Interim conciti plures festinabant, nullo religionis discrimine, cum Romanensibus plena sit regio, communi cunctis sua defendere. Queis illi visis, cum se scaphis reddidissent, apud Rillandiam unam ex minoribus insulis exspectant æstus, qui hærentes levaret, reditum, & proprio Scaldis alveo subvecti insulam advenere modicam, & tantum pecori nec multo pascendi utilem, proxime sub eum locum in quo Scaldis Hontæque divortium esse diximus. Hogewervæ huic insulæ nomen est, cujus parte dextera quod fluit Scaldis Aggeram, altera Cromflitam vocant. Hic quarto Augusti die castellum excitavere, mox & propius Aggeram receptum quo trajectus muniretur, initia premendi undique Lilloi. Navis Zelandorum quæ unica illic præsidio erat, in transvectos haud multum noxæ dederat dum proni procumbunt: scaphas tantum rapuerat quatuor, hominum inanes, refertas ferramentis. Plures naves è Zelandia submissas machinæ è Brabantica ripa atque insula retro egere. Sed quæ pro Berga ad Zomam excubare jussæ, facile locum tenuerunt. Simul Santflitæ castellum magna mole ac specie (propugnacula ei septem destinabantur) aggeri veteri, qui firma terrarum ab alluvionibus dividit, adsitum, aliaque in itinere Antverpiam, partim in quæ diximus consilia, partim continendis militum excursibus è Bergis ad Zomam, & parandis quæ utilia si quando ejus oppidi obsidium placeret: quo fine & fossa duci cœpit à Castello crucis quod non longe Antverpia est, Stabroucum ac porro Santflitam versus qua commeatus tuto ac levi impensa transirent. Sed hos conatus & fortuita & hostium molitiones haud parum turbavere. Nam primum Octobris secundo die in Santflitiana munitione improvisus ignis tuguria, & quicquid flammam alere natum inerat, absumsit. Infra Lilloum æstuaria complura ex Scaldi introrsum fusa alluviones varie interrumpunt, proximum ex his Blaugarium dicitur, unde agger novus ad Lilloum pertingit. In eo aggere & inter æstuaria Batavi cuncta munimentis implent, quo & hostem arcerent & amni latius incumberent. Quod imitatus hostis & ipse in ultima ora quæ Santflitæ objacet, ubi æstuarium Stofa nomine, castellum locat: sed & huic & cæteris Hispanorum operibus, ipsi etiam aggeri veteri qua Stabroucum fert multum nocuere fluctus, præcipiti jam anno violentiores. Ac Princeps cuncta quæ ibi gerebantur edoctus, insulam quæ maxima inter Stofam ac Blaugarium æstuariis circumfusa amni imminet justo castello, cui propugnacula quatuor & intra fossam munitiones duæ, occupari & propius recepto flumine contrahi ejus spatium ac militari aggere ambiri jubet. Imperio successus adfuit, quanquam qui Santflitam magnis cum copiis tenebant, & tormentorum jactu & præliis operi intentos incursabant.

LIM-

LIMBVRGVM DVCATVS,

Et Ditiones Trans-Mosanæ.



IMBVRGI nomen haud admodum antiquum est, ac nescio an multo ante annum Servatoris M L fuerit auditum; quo tempore, ut est in Geldrorum annalibus, Wolfrandus Abbas Prumiensis cum Henrico Limburgi Comite de jure certavit. Initio fuit tantum Comitatus: sed Henrici Imperatores Lutzenburgici hoc populo vicino dederunt, ut is Ducatus titulo gauderet. Præter hunc vero suum Ducatum tenuerunt Principes ejus per aliquot annos etiam Lotharingicum. Tandem autem Henrico ultimo terræ Duci sine liberis mortuo successit in hanc ditionem, anno 1293, Brabantiæ Dux Ioannes, qui etsi jam ante emisset, bello tamen & manu armata eam postea sibi subjecit; commisso in eum finem cum Comite Geldriæ, status usurpatore, memorabili illo prælio ad arcem Voroncam: quo prælio captus fuit ipse Geldrus, & cum eo Archiepiscopus Coloniensis: cæsi Comes Lutzenburgensis, & duo tresve ipsius fratres, qui omnes, ceu fœderati & socii Geldro suppetias tulerant. Atque hac parta victoria Ioannes Dux arcem Voroncam demoliri jussit ac solo æquari; ac ex illo tempore tranquilla mansit hæc ditio sub Brabantiæ Ducum imperio. Hinc Limburgi, Falcoburgi, Dalemii, & cetera Transmosana municipia, criminales, civilesque provocationes suas ad Brabanticam Cancellariam, cujus perpetua Bruxellæ sedes est, dirigunt. Ceterum in Ecclesiasticarum rerum disceptatione & administratione, Eburonum Antistitem, cujus diœcesis sunt, dominum agnoscunt.

Olim Comitatus fuit.

Quando ad Brabantiæ Duces pervenerit.

Termini.

Ducatus Limburgicus ab Oriente Ducatum Iuliacensem, ab Occidente Episcopatum Leodicensem, à Meridie Ducatum Lutzenburgicum, à Septentrione Brabantiam & Leodicensis Diocœseos partem habet conterminos.

Extensio.

Longitudo autem hujus Ducatus ab Oriente in Occidentem extensa est leucas Brabanticas decem, latitudo à Septentrione in Meridiem leucas octo.

Soli fertilitas.


Felix huic Ducatui ager, omnium rerum necessitati inservientium ferax, vino tantum, ob inclementiam cœli excepto; pascuis, saginando pecori uberrimis, maxime juxta Herviam pagum, abundat. Hinc delicati saporis & inusitatæ magnitudinis casei Limburgense solum commendant. Eodem etiam telluris beneficio efficaces colligunt herbas, tam morbis curandis, quam esui accommodandas: ponderosum ferunt triticum, & zeam, ex qua panem albedine præstantem conficiunt. Habent & hordeum, ex quo, ob vini caritatem, cerevisiam coquunt, quam tam sitienter, tantaque aviditate ea gens bibit, ut in conviviis atque symposiis, satis sit operosum ministris, cantharos, ac phialas prompte implere. Eo liquoris genere, non ut exhilarescant, non ut melancholicas animi nebulas discutiant, utuntur; sed tanta immoderatione se ingurgitant, tam strenue se mutuo ad potandum cogunt, ut si quis hos noctes atque dies suspiciendæ capacitatis poculis studere videat, periculum imminere Græcis, Germanis, atque Saxonibus dicat, ne tandem bibacitatis hederam his Galliæ Belgicæ populis sint porrecturi. Optandum, apud hos Ægyptiorum consuetudinem usu receptam esse, qui in symposiis hominis mortui imaginem circumferre, & singulis accumbentibus dicere solebant: In hunc intuens pota & epulare, talis post mortem futurus es. Idem ager Limburgensis plumbi ac ferri fodinis præstat, cultoresque suos opulentos reddit. Quin etiam calaminaris lapis, Plinio in re medica commendatus, cujus adminiculo ex ære orichalcum conficiunt, ex terræ venis, juxta sacram Henrici ædiculam, in silva Aquensi eruitur. Ad tutelam loci hujus arx sat valida extructa est. Præterea multis in locis atra carbonaria, sulphuris particeps, terra, fabris ferrariis & Vulcano domestico conservando admodum utilis, ex qua globos, quos *Cluten* nuncupant vulgo, efformant. Effodiuntur ibidem etiam ex occultis terræ visceribus varii generis lapides, instar Namurcensium, marmoris & jaspidis speciem præ se ferentes, candidis, nigris, fuscis, variisque maculis venuste conspersi, ex quibus mortaria, mensarum tabulæ, ad speculorum nitorem politæ: magnificarum ædium camini, columnæ, earum capitula, coronides, bases, scapi; Principum illustriumque virorum monumenta: aliaque ædificia, videndi sensum oblectantia, constructa videntur.

Mineralia.

Fossilia.

Fluvii.

In magna convalle, ad montis, in quo Limburgum est situm, basim, fluvio Wesa, seu ipsorum lingua vulgariter Wesdo, maximo accolarum emolumento, irrigatur. Is ex Arduenna silva prima origine scaturiens, per Limburgensem agrum, grato delabitur murmure, ac Mosæ tandem juxta Eburonum Augustam miscetur. Multis ac variis conducit usibus, maxime molitoribus, & pannorum tinctoribus, qui in suburbio Dolhen plurimas officinas habent. Præstantissimis etiam magna copia nobilitatur piscibus, trutis nimirum, tam prodigiosæ magnitudinis, ut vulgaris fluviatilis salmonis appellationem mereantur: umbris, anguillis, mustelis, cancris, & id genus aliis, qui sub cavernosis petris latitan-



DVCATVS LIMBVRGVM
Auctore
ÆGIDIO MARTINI.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
IVLIACENSIS DVCATVS PARS.
LEODIENSIS DIŒCESIS PARS.
LEODIENSIS DIŒCESIS PARS
PARS LVXEMBVRGENSIS.
Milliaria Gallica
Milliaria Germanica
Amsterdami
Apud Guiljelmum et Joannem Blaeu
Maestricht
Luyck vel Liege
Limborch
Aquisgranum vel Aix
Sittart
Gelekirchen
Aldenhouen
Gulick
Monioe
Rolduc
Dalem
Visel
Hoey
Bois de Fangne

tes, summa cum voluptate & delectatione capiuntur. Cæteri quibus irrigatur hic Ducatus fluvii sunt, Berninus sive *le Bernin*, qui Dalhemium aquis suis beat; Geula, qui Falcoburgum alluit, & Worma, qui Rhodam Ducis transit.

Aquæ. Quin etiam in agro Limburgensi scaturiunt erumpuntque salientes aquæ, tam domesticis quam voluptariis usibus servientes. His autem omnibus infinitis parasangis præstat fons ille acidus Arduennæ silvæ, secundo à Limburgo lapide in pago *Spaa*, toti orbi nunc celebratissimo, erumpens, quo tam indigenæ, quam ex remotissimis mundi partibus exteri, recreandi & sanitatis recuperandæ, ac ab imminentibus morbis præcavendi studio, frequenti numero se conferunt. *Fons Spadanus.*

Limburgum urbs. Ducatui nomen tribuit Limburgum oppidum ac metropolis ad Wesam fluvium situm, situs montosi, muro & idoneis ad defensionem turribus clausum, arce etiam munitissima validum, cujus turres, muri ac propugnacula vivo ex saxo (quod nativum suppeditat solum) constructa, ac prærupti montis dorso imposita, nec occultis terræ cuniculis everti, nec muralium machinarum ictibus concuti possunt, eo quod durissimæ rupi insistant, & præcipitibus naturæ claustris maxime tuto sint loco. Silvis cingitur, quercu, fago ac medicatis herbis ditissimis. Etsi porro Limburgense hoc oppidum, angustioribus circumseptum limitibus, infrequentiores incolas habeat; si tamen ea, quæ urbes ut plurimum commendare solent, & clarissimorum hominum ex eo progenitorum seriem consideres, non infimæ dignitatis oppidum esse censebis; ut de ea Virgilianum illud non immerito dici queat, *Pauci numero, sed vivida virtus.* Neque adeo refert, quali sint urbes structura, situ, numero, atque frequentia civium, sed qua animorum inveniantur concordia, quo virtutum nitore, qua religione sint imbuti. Et quemadmodum fructuum dignitas arboris commendat præstantiam; ita urbes maxime illustrant viri, qui virtutibus, eruditione, & dignitate præstantes ex iis prodierunt. Quales hic sunt nati Reverendus vir D. Hermannus Ravius, Abbas S. Iacobi, Nicolaus Bilstein, Bellireditus, ordinis Præmonstratensium, ejusdem apud Leodios infulæ, D. Lambertus, Vallis Dei in Ducatu Limburgensi, ordinis Cisterciensis, Cœnobiarcha, vir admodum hospitalis, & bonus: Guilielmus Vilkinius, Gilbertus Limburgus, Medicus, Guillielmus Gulpen, Nicolaus Westenradius, Canonicus, Archidiaconus & Cancellarius Leodiensis, eruditione & virtutibus ornatissimus Præsul: & Ioannes Flemingus civis Antverpiensis, eruditissimus vir & Poëta insignis. *Viri celebres.*

Falcoburgum. *Falcoburgum*, Gallice *Fauquemont*, oppidum est mediocriter lautum, ac valide satis munitum, in agros & pagos aliquot circumjectos imperium obtinens, & Aquisgrani tribus majoribus, Trajecto vero ad Mosam duabus minoribus leucis abjunctum. Subegit hanc ditionem Brabantiæ Dux Ioannes, ejus nominis tertius, ademptam armis & vi Reinoldo Falcoburgensi, homini inquieto ac turbido, ac Trajecto finitimisque locis infesto; ideoque à Duce Brabantiæ in ordinem redacto, & in carcerem tandem compacto.

Dalemium. *Dalemium* perexiguum aliàs oppidum, munitissimam habet arcem, & Aquisgrani tribus majoribus, Leodio duabus prægrandibus leucis disjungitur. Habet titulum Comitatus, & jurisdictionem in agros & pagos aliquot Transmosanos. Imperio suo adjecit Brabantiæ Dux Henricus Secundus.

Rhoda Ducis. *Rhoda Ducis*, Gallice *Rhode le Duc*, Belgice *'s Hertogen-rode*, concinnum est, etsi parvum oppidulum, & veteri arce conspicuum. Falcoburgo leucæ circiter spatio dissidet; estque quarta ex Transmosanis Brabantiæ ditiunculis, quæ omnes quidem exercent supremam jurisdictionem, sed unde ad Cancellariam Brabantiæ tamen conceditur provocatio.

Carpia. *Carpia* inter terram Iuliacensem & Coloniam sita, duabus Rheno leucis abest, estque amplus imprimis & oppidulo pene similis pagus, collegiatâ (ut vocant) Ecclesiâ, item mercatu & nundinis anniversariis celebris. Assidet pago arx, valide satis adversus hostiles insultus munita, & junctim constituunt peculiarem nec pœnitendam utique ditionem, cui & suus olim peculiaris Dynasta. at enimvero Dux Brabantiæ Ioannes, reputans quam utilis atque oportuna ditioni suæ futura esset hæc ditio, oblata forte occasione, à Gymnicis Dominis eam mercatus est, & cum reliquis Transmosanis conjunxit: etsi peculiarem tamen sibi habeat præfectum, & valido semper præsidio communiatur.

Præter multos insuper pagos, domorum populique frequentia cultos, villas duas (oppida diceres) eleganter exstructas, Limburgense hoc territorium exhibet, *Vpen* ac *Herviam*; utrasque mercatoribus inhabitatas ditissimis, qui mercibus suis, potissimum vero panno & clavis, nundinas Francofurdianas, bis annuatim, maximo emolumento quæstuque uberrimo frequentant. Primo ab urbe lapide insigne ac pervetustum est Cistertiensium monasterium, Vallis Dei nuncupatum, à Duce Henrico Secundo fundatum, cujus etiam ossa ibidem lapideo sarcophago continentur. Estque ibidem nobilium de Rosmel sepultura. *Pagi Vpen & Hervia.*

Limburgum & Ditiones Transmosanæ Falcoburgum, Dalemium, & Rhodia Ducis iisdem, quæ in Brabantiæ descriptione recensuimus, utuntur Privilegiis.

Ordines vero Limburgensis Ducatus, & ditionum jam descriptarum tribus perpetuo constant membris; Antistitibus nempe, Nobilibus, sive Equitibus, & conventibus, sive foris juridicis.

Trajectum ad Mosam, vulgo *Maestricht*, quamvis nulli quatuor Brabanticarum Tetrarchiæ subjungi solet, nihilominus sub Brabantiæ censetur Ducatu. Cumque eam Leodicensis Diœcesis adeo ab ipsa Brabantia separet, ut mappis Brabanticis contineri nequeat, hoc loco ejus mentionem facere visum est. Est itaque urbs oportuno ad flumen Mosam, unde ei nomen, cuique hic superstratus pons è lapide vivo pulcherrimus, situ, ampla, antiqua & probe munita, quæ varias belli vices experta, tandem anno 1632 Fœderatorum armis à Frederico Aurasionensi, ditionibus eorundem adjuncta est.

LVT-

LVTZENBVRGENSIS DVCATVS.

Nomen.



Dvcatus Lutzenburgicus nomen habet à primaria totius regionis civitate. Terminant eum ad Septentrionem Leodienſes & Namurcenſes, ad Auſtrum Lotharingi: ad Ortum Moſella cum Epiſcopatu Trevirenſi, ad Occaſum Moſa cum ſilva Arduenna. Regio omnis montoſa & ſaltuoſa eſt, maximamque partem ſilvæ Arduennæ complectitur, quo fit, ut pars altera Lutzenburgi vocetur *Fammenna*, altera *Arduenna*. *Fammenna* fertilior eſt ſegetis & vini: *Arduenna* aſperior: ſed quæ aſperitatem venationum bonitate & ferarum optimi generis mirifica abundantia compenſet. Metalla ferri ſunt haud procul à *Manderſcheid*, in dominiis Keyla, Cronenberch, & Sleida, ad vallem, cui nomen eſt *Hellenthal*. Conflantur hoc loco ab iſtis Cyclopibus incudes, fornaces ferreæ, pyreteria, quæ per totam Germaniam & Belgium ingenti lucro diſtrahuntur. Ambitus totius regionis continet plus quam 70 milliaria.

Fines. *Qualitas terræ.* *Metalla.* *Ambitus.*

Fluvii. Fluviis quamplurimis Ducatus hic magno cum incolarum commodo eſt irriguus & permeabilis: Nobiliſſimus vero horum eſt Moſella, ab hoc commoda non parvi momenti percipiunt Theonisvilla, Kônings-Macheren, Greven-Macheren & ſub Egel uſque, nec non multi intermedii ejuſdem diſtrictus pagi ab alterutra hujus fluvii parte alluti. Profert Moſella piſcium diverſorum optimorumque multitudinem non minimam.

Sara fluvius valde piſcoſus ex cognomine Lotharingiæ pago originem ducens, pedetentim per collium declivia multis receptis rivulis decurrens ad Monaſterium Benedictinorum Mediolacenſis navigabilis efficitur, atque Sarburgio Trevirorum municipio *Wiltingen* & *Lanſem* Luxemburgicis pagis viſitatis apud *Lontzem* ſub Ponte lapideo ſeſe in Moſellam evomit.

Soura in *Soure* Arduennæ pago è limpidiſſimo ſcaturiente fonte naſcitur, qui ſub diverſis montibus decurrens in amnem evadit, ſicque per duo fere milliaria labens non procul à Buddingo caſtro fluminis jam inſignis nomen acquirit, inde Dietkirch oppidum jam navigabilis alluit; deinde multo incremento à rivulis receptis auctus Epternacum piſcibus & undis ſuis beat, poſtremo in Waſſerbillich ſub ponte à Moſella abſorbetur.

Alzet apud *Adjuth* Lotharingiæ Caſtrum oritur, unde oppidulum Eſch præterlabens alteroque fluvio Keyl recepto Luxemburgum tendens jam mediocris fluvii meretur nomen: Luxemburgi inter montium radices admiſſus molarum agitationi, conficiendæ cereviſiæ, pannorum mundationi, coriorum præparationi aliiſque civium commodis ſe præbet opportunum, hinc pergens prope Ettelbrucke, Suram majorem fluvium ingreſſus deſinit.

Sumois piſcium varietate abundantiſſimus ex amœno juxta Arlunum oritur fonte, iter hinc verſus Chinenſe caſtrum proſequitur, & Lotharingiam verſus tendit.

Prumia latitudinis & profunditatis haud contemnendæ Prumienſi Abbatiæ nomen dans, prope eam oriens juxta Epternacum Suram ingreditur.

Our circa S. Viti oppidum ex inſigni fonte naſcens per Viennam labens piſcibus, præſertim Salmonibus egregiis è Sura aſcendentibus copioſus, in eandem prope Epternacum ingreditur.

Ourt fluvius inſignis, in Eyfliæ partibus oritur, per *Hoffalize*, *la Roche & Durbny* Luxembergenſia oppida fluens, multis rivulis auctus prope *Ayvaille* poſt abſorptam Ambliviam Leodium uſque, ubi ſe in Moſam præcipitat, navibus ferendis onuſtis idoneus. Sunt præterea haud magni nominis fluvii, *Siere*, *Mammer*, *Ernſt*, *Attert*, *Petris*, & ſimiles

Vrbes. Vrbes viginti vallo & foſſa munitæ: quarum nomina hæc ſunt: *Lutzenburgum, Arlon, Rodemarc, Theonis villa, Gravemakre, Koninckmakre, Dichrich, Vireton, Eſſerwere, Viandalem, Baſtenac, Mommedi, Neufchaſtel és Ardennes, Danvilliers, Marveil, la Roche en Ardenne, Durby, S. Vit, Marche en Famenne & Sleide.* Earum deſcriptiones habes in Vrbium Belgicarum Theatro à nobis ante annos aliquot edito. Sunt & urbes aliquot, quarum mœnia ſolo æquata. Necnon arces, urbium pene æmulæ, S. Ioannis, & *Manderſcheid*, quibus titulus eſt Comitatus. Pagi ſunt 1169.

Arces. *Pagi.*

Ducatus etiam iſte ſub ſe habet Comitatus ſeptem, Baronatus plurimos, Dominia plurima, in quibus nobiles plus juris habent in ſubditos, quam per reliquam Belgicam.

Status Politicus. Status reipublicæ eſt penes Antiſtites, Nobiles, & urbium Lutzenburgi, Arluni, Theonis-villæ, & Rodemarchiæ optimates.

Incolarum mores. Lutzenburgenſis Ducatus incolæ prout lingua vel Gallica vel Germanica utuntur, linguæ ſuæ habent congruentes mores; ii enim qui Germanice loquuntur gravitatis plus aliquid, Galli vero levitatis amplius habere feruntur; quamvis non deſint qui liberalius educati utriuſque qualitatis optimum retineant temperamentum, quorum numerus haud exiguus in ipſa metropoli, tum quibuſdam proximioribus, uti ſunt Theonis-villa, Arlunum, reperitur; quibus tamen vix cedere neceſſe habent Gallicæ regionis cives Baſſonienſes & alii, qui aulicam ſeſe urbanam præ Germanis quandam vitam profiteri videntur. Nobiles in hac provincia plurimi ex antiqua proſapia geniti, qui nullo fere modo in animum inducere poſſunt, ut connubia cum iis jungant, quibus noviter nobili-


LVTZENBVRG
DVCATVS
Amsterdami
Apud Guiljelmum et
Ioannem Blaeu.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
LEODIENSIS PARS
LIMBORG DUCAT.
DUCAT. GULIC.
STIFT COLN.
NAMURCI PARS.
LUTZENBURG.
BAR ROIS
PALATINATUS PARS.
LOTHARINGIÆ PARS.
Arduenna Sylva
Luyck
Limburg
Namen
Dinant
Bouillon
Arlon
Lutzenburg
Trier
Coblentz
Metz
Astenay
Mouson
Esdain
Douchery
La Frette
Ville Franche
Zweibrucken
Lauterek

8

nobilitas contigit, ne dedecus familiæ inde aliquod accedat. Cæterum generosi sunt, Principi suo fidelissimi, humani, laudis avidi, & virtutis amantes, laborum imprimis & inediæ patientes; in nuptiis contrahendis, puerperiis, parvulorum suorum baptismatibus, & in exequiis propinquorum ultra modum splendidi, in quibus etiam de magnitudine sumptuum & splendoris invicem certare videntur. In subditos autem iis competit non solum jus dominii fundalis, sed etiam bassæ, mediæ, & altæ jurisdictionis: sic ut de criminosis judicia per se constitutos judices morti etiam per diversa tormenta, violenter quoque addicendo exerceant; sic ut quandoque non immerito coloni de nimio eorum querantur rigore. Quod ad Cives attinet, eorum, qui majoribus facultatibus pollent, & aliqua valent industria, mercaturæ operam dant: ii, quorum fortunæ angustiores sunt, diversis opificiis diligenter incumbunt; infimæ vero sortis homines victum oneribus ferendis sibi quærere solent; horum vero durissima est conditio, utpote quibus vix panis siccus in cibum quotidianum aqua maceratum suppetit. Rustici rure, sive in pagis degentes minus habent in moribus civilitatis; qua tamen ut plurimum magis carent Germani, quam Galli, stupidæ nimirum & agresti avorum suorum vitæ consuetudini inhærentes, toti in agricultura occupantur: cæterum sunt tam corpore quam rebus ad Dominos suos vel sæculares vel Ecclesiasticos spectantes, ut nec hereditatem aliis vendere, nec alio migrare, inscio Domino possint; ita ut potius servorum quam liberorum hominum, secus quam in cæteris Belgii provinciis, conditionem obtinere non immerito videantur.

Lingua.

Hujus vero Ducatus incolæ non uno utuntur idiomate; Luxemburgi enim, quod Provinciæ caput est, sermo communis est Germanicus, qui idem etiam est, Arlunensibus, Theonisvillanis, Epternacensibus, Macherensinis, Virensibus, Viendanis, & aliis quibusdam oppidulis, una cum circumjacentibus vicis & pagis. At vero ii, qui Bastoniam, Marchiam, Rupem Ardennæ, Novum Castrum, Houffaliziam, Durbutum, Ivodium, Damvillerium, Mommedium, Chiniacum, Vertonum & circumvicinas partes, sive rura inhabitant, Gallica utuntur lingua.

Lutzenburgum.

Lutzenburgum creditur esse Ptolemæi Augusta Romanduorum. Guicciardinus dici vult, quasi Lucisburgum, hoc est arcem Solis. Enimvero pleraque alia hujus tractus loca à Gentilium Diis denominata videri possunt: *Arlon*, quasi ara Lunæ: *Ivois* à Iove: *Marche* à Marte. Vrbs ipsa sita est loco peramœno, parte altera montoso, altera plano. Templum in ea sacrum S. Nicolao: Cœnobium S. Francisco: in quo sepultus Ioannes Lutzenburgicus Rex Bohemiæ, filius Henrici VII, Imperatoris. Porro urbs ista initio titulum duntaxat habuit Comitatus; atque adeo Henricus VII, Imperator, Comes fuit Lutzenburgensis, non Dux: Wenceslai vero regis Romanorum atque Bohemiæ tempore, factus est ex Comitatu Ducatus. Ei ortum debuit Nicolaus Navius Præses ejus Provinciæ, cujus filius tanta apud Carolum V, Imperatorem gratia fuit, ut ob summas ingenii dotes Cancellarii Vicarius per universum imperium ab eo fuerit constitutus. Vrbs ipsa non semel belli injurias experta est. Anno 1542 capta & spoliata à Gallis, quibus ductor erat Dux Aurelianensis. Sequente anno iterum ab iisdem. Sed & postea vicinorum bellorum mala sensit. Imprimis anno 1552, Henrico II, Francorum rege contra Carolum Quintum ducente exercitum in Germaniam, & omnia longe lateque igni & ferro vastante.

Consilium Luxemburgense.

Provinciale Consilium Ducatus Luxemburgensis, & Comitatus Chinensis, in hac Metropoli residet; componitur ex uno Præside Iurisconsulto, & Consiliariis togatis ejusdem professionis, quinque ordinariis, itemque quatuor ordinariis nobilibus, quos ad differentiam cæterorum chlamydatos appellare solent. Ad hoc Consilium spectat unicuique per totum Ducatum Luxemburgensem, & Comitatum Chinensem in causis civilibus, in prima vel in secunda instantia, prout casus exigit, vel institutiones præscribunt, jus dicere; & huc undequaque provocatur, quo sententiæ perperam fortasse latæ correctio à parte læsa obtineatur, iis quibus rursus integrum est ad Senatum Mechliniensem provocare. Processus autem coram Tribunali Luxemburgico promiscue vel Gallica vel Germanica solent fieri lingua; prout ex Belgica vel Gallica litigantes sunt hujus provinciæ parte.

Arlunum.

Arlunum edito monti superstructum est, in quo templum olim & ara Lunæ, unde corrupta paulatim voce, derivatum vocabulum Arluni, vulgo *Arlon*. quod Lutzenburgo quatuor, Mommedio vero sex leucis abest. oppidum alias lautum satis, sed bellis vastatum, etsi hodie paulatim restauretur, veteremque Marchionatus titulum studiose retineat. Patria hæc fuit Bartholomæi Latomi, viri egregie docti. Multa hujus oppidi monumenta antiqua, sed vetustate attrita eruit Provinciæ Gubernator Petrus Ernestus Comes Mansfeldicus, eaque in ædes suas, quas in suburbio Lutzenburgensi habuit, dum vixit, amplissimas, transferri curavit.

Marchionatus.

Ducatus Mosellanus.

Extitit antiquitus Ducatus Mosellanus, sic dictus, quod Mosellam una cum adjacentibus utrinque territoriis à Metensi civitate usque ad Treviricam urbem complecteretur. Celebris autem semper ab origine sua habitus fuit in annos circiter quingentos & viginti. Tum enim Fredericus castri Barrensis fundator, suppresso titulo Mosellanico, totum hunc tractum à Castro prædicto nuncupari voluit, ipseque Comes Barrensis indigetari. Successu porro temporis Ducatus Mosellanus in quamplurimas fuit divisus partes, multisque ac diversis Dominis (secundum illas) subjacuit, quemadmodum & hodie videre est. Metenses namque à sua incipientes civitate, Marengiam usque imperium circa Mosellam obtinent. Hinc vero Luxemburgensis Dux ad oppidulum Regis Macræ vulgo Koningmachern / utramque fluminis ripam suprema cum auctoritate possidet. Inde descendendo ad dexteram Sirquense oppidum cum adjacentibus terris Lotharingiæ sive Barri Dux, ad levam vero Luxenburgensis Dux agrum Mosellanum Principali itidem jure usque in Comitis Macram sibi vendicant, ac denique isti oppidulo, & quicquid

ejusdem

ejusdem agri usque in pagum *Egell* restat ab utraque parte fluminis, Dux Luxenburgensis principatur; tum progressu paulisper à læva facto; reliquum hinc & inde Trevirensi Archiepiscopo obtemperat.

Principatus Ardennæ.

Nobilissimi olim Ardennæ Principatus originem ad Merovingorum tempora non improbabiliter quidam referunt; necnon præclarissimos Principes ex Clodione Capillato fluxisse affirmant. Regio hæc nemoribus initiò, dumetis, ac sterili solo constans, modò maxima sui parte hominum industria ad vitæ præsentis usum commoditatemque redacta est: silvis nihilominus & multis, & densis, diversis in locis, persistentibus.

Comitatus Chinensis.

Comitatus Chinensis, olim Chiniacus appellatus & S. R. Imperii membrum, postmodum extinctâ Comitum lineâ Ducibus Luxemburgicis accrevit, nec inde usque ad hæc tempora fuit separata. Est in eo Abbatia Aureæ Vallis. Falluntur qui feudum Barri Ducatus, Chiniacum esse contendunt, eo scilicet partim argumento persuasi, quod eadem utriusque Ducatus, & Comitatus prælibatorum sint insignia: quasi inde consequatur, feudum Chiniacum à Barro Domininium directum accepisse. Verum ejusmodi conjecturas infirmo niti fundamento, vel ex eo liquet, quod insignia istorum minime eadem sint, sed longe dissimilia; cum Chinensia duos pisces, trutas nomine, in aureo campo crucibus consito præferant; Barrensia vero binos barbiones in campo cæruleo, sive azuratio crucibus resperso conspiciendos exhibeant.

Comitatus Sancti Pauli alias de Roussy.

Comitatus de Roussy situ est medio inter Luxenburgum & Thionisvillam itinere, à quibus æque duobus distat milliaribus. Nomen huic erat antiquitus à sancto Paulo, dum Comitatus Sancti Pauli appellaretur: quæ quidem nomenclatura evanuit omnino substituto in ejus locum Roussy vel **Ruttick**/ ea (ut quidam conjiciunt) ratione, quod vir quidam olim præpotens, ex Russia oriundus, hujus loci filia hærede in uxorem accepta, Comitatum ex tunc Rusly, in patriæ suæ memoriam, voluerit nominari. Rustici, qui hujus districtu coercentur, interrogati cuinam pareant Domino, respondere solent; sese & sua spectare ad **Simperherren**/ quod corruptè æstimatur idem velle ac **Sanct Paulherren.** Hodie Comitatus hic ad Marchiones Badenses & Comites de *Manderscheydt* spectat indivisim.

Comitatus Rupensis in Ardenna.

Rupensis Comitatus à perantiquo castro, rupi excelsæ superextructo, atque eatenus Rupis nomine designato, nomenclaturam accepit; complectens suo sinu urbem ejus nominis & territorium satis amplum, atque ad aliquot milliaria extensum, attamen infœcundum valde pro maxima sui parte; quanquam hominum industria & improbo labore sic reddatur ut plurimum fructuosum, ita ut incolæ siliginem, avenam, & alia in sui, & pecorum alimentationem opportunam exinde percipiant, utcumque abundanter. Hæc vero sæpius tali evenit modo, ut locis à verpibus, dumis, aliisque lignis ipsa occupantibus repurgatis, terram diversis proscindant instrumentis, & in partes pene ejusdem formæ divisam componant cumulos ad modum clibani, ac denique vepres & alia minutiora ligna & sarmenta subjicientes, ignem admoveant, cujus vi totus iste terræ globus aduratur, & eam consequatur alterationem, unde aptus admodum reddatur producere grana superseminata multipliciter aucta. Inde autem quidam affirmant, hanc & alias adjacentes ejusdem naturæ regiones, Ardennam nuncupari ab *ardendo*, quod scilicet terram ardere necesse sit, priusquam debitos fructus proferat. Hinc etiam fit propter ejusmodi continuos labores, simulque summum frigus, & victum sobrium, quo utuntur istorum locorum inquilini, eos esse corpore perquam robusto, & longævæ durationis. Antiquitus, dum Franciæ limites huc etiam extenderentur, solebant Reges (dum laxandi animi causa Ardennam silvam ad venandum peterent) in castrum Rupense (tum etiam percelebre, & antiquum, utpote à Romanis mediis in silvis excitatum) divertere, ubi & totius illius regionis, nomine suo, Gubernatorem habebant constitutum, qui communiter Magnus Venator, propter venandi continuum exercitium eis in locis usurpatum, dici solebat. Monstrant adhuc hodie Rupenses sedem quandam in rupe excisam, asserentes ea usum fuisse Regem Pipinum, dum vel lassus aliquantulum requiescere vellet, vel populo terræ audientiam daret, vocarique ea de causa sedem ejusmodi Regis Pipini cathedram. Fuit autem jam inde longissimo tempore castrum hoc per ipsos, ut creditur, Franciæ Reges, Comitatus titulo honoratum, cui quamplurimi nobiles ratione feudorum, quæ exinde ipsi tenebant, feudales habebantur. Nunc Comitatus hic cum Luxemburgensi Ducatu est conjunctus, eique submissus.

Ardennæ nomen unde.

Magnus Ardennæ Venator.

Durbutense Dominium.

Durbutum, amplum Dominium, arce munitum insigni, & urbe ejusdem vocabuli, Ducibus Luxenburgensibus modò paret, quod olim per se separatum habebat sui ipsius juris possessorem.

Sunt præterea Dominia Marvillæ & Aranceii.

Comitatus Salmensis.

Extat in Luxenburgensi Ducatu, & partibus Ardennæ castrum perantiquum, Salma dictum, à Salmone ejus auctore, & primo Domino, qui anno post Christum natum 770, ei loco præerat, non quidem Comitis titulo insignis, sed tantum Domini præcellentis. Porro, ut aliqui autumant, Dominium idem Comitatus dignitatem obtinuit circa Ottonis Primi Augusti tempora, scilicet dum 900 aut circiter Dominicæ Incarnationis annus ageretur. Habuit olim prædictum castrum adjunctum sibi oppidulum satis egregium, eodem gaudens vocabulo; quod temporum injuria, seu bellorum clade sensim urbis perdidit speciem, cujus tamen hodieque extant alicubi ruinæ, quas indigenæ veterem Salmam nuncupant. Paret Comiti huic etiam non ignobile Dominium **Reyberscheyd** nomine, non procul à dicto Comitatu situm.

Comitatus Vrsimontensis.

In ea parte Ducatus Luxenburgensis, quæ Galliis contermina est, non procul à Mazeria, Dominium quoddam habetur satis amplum, *Vrsi mons* vocabulo. Fuerunt autores qui voluerunt Vrsi montem nunquam Comitatus titulo fuisse insignitum, sed tantummodo nudum Dominium, Chinensi Comiti feudale: ideo fortassis, quod quamvis ejus districtus sit satis amplus, reditus

reditus tamen eo ſpectantes ſatis exigui ſint. Falluntur tamen hi opinione ſua, quod probatur ex eo, quod ipſi Comites Luxenburgenſes Vrſi montis Dominos Comitum titulo compellent.

Comitatus Manderſcheidt.

Manderſcheidt inſigne & munitiſſimum caſtrum in Eifliæ partibus conſtitutum, & Comitatus honore ſublimatum: Domus eſt unde Comites eam denominationem ſortiti originem ducunt, nobilitate generis & opum affluentia plurimum præſtantes. Eſt autem Manderſcheidt Comitatus Duci Luxemburgenſi feudalis: à quo proinde ipſum ejus poſſeſſores ſub homagii exhibitione ſuſcipiunt, & retinent.

Comitatus Virnenbourgh.

In confiniis territorii Trevirenſis caſtrum viſitur antiquiſſimum, & nobiliſſimum ad Comitum de Manderſcheit poſſeſſionem ſpectans, Virnenbourg nomine, Comitatus titulo inſigne; quod quidem prius ſui juris erat, nulli majori ſubditum poteſtati; & anno Dominicæ Incarnationis 1270 Comitibus Luxenburgenſibus pro ſumma ducentorum librarum denariorum mutuo data, feudale effectum. Cur autem nomine Virnenbourg hic deſignetur Comitatus, id ideo accidiſſe fertur, quod cum multiplicatæ eſſent Comitis proles, adeo ut earum quaternis hic Comitatus pro parte legitima ſufficere deberet, ab eis ob hoc vocabulum ſortitus ſit, & vernaculo idiomate Virnenborgh, quaſi **vier herren-burg**/ id eſt, quatuor ſcilicet Dominorum caſtrum dictum.

Comitatus Viennenſis.

Quando Viennenſis Comitatus initium ſumpſerit, quiſve ejus fuerit primus Comes, non conſtat; eſſe tamen valde antiquum, vel ex eo liquet argumento; quod quidam monachus Rancherus nomine Comitis Viennenſis filius anno Domini 928, in monaſterio Lobienſi profeſſus vixerit. Vt tamen nonnihil de hujus origine Comitatus à vero minime abhorrens proferam, ſciendum, quod cum anno Domini 883, Ludovicum Secundum Romanorum Imperatorem in fata conceſſiſſe percepiſſent Imperii hoſtes, qui vivum valde expaverant, Northmanni ſcilicet & Wandali, hos eoſdem coactis maximis armatorum copiis expeditionem verſus Rheni partes ſuſcepiſſe; quo tranſmiſſo, ſtatim Tungros, Trajectum, Iuliacum, Aquiſgranum, Noveſium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Tolbiacum, aliaque ejus tractus oppida & loca munitiora ferociter invaſerunt, necnon ſimul monaſteria quævis obvia, itemque eccleſias, & alia ſacra loca ferro, flammis, direptionibus, & prædationibus impetierunt; atque iſtis in extremum pene exitium redactis, oras Moſellæ fluvii proſequentes, ad urbem Trevirenſem caſtra metati ſunt, eamque poſt dierum aliquot circulum vi capientes, immani clade affecerunt, eccleſias, & alia loca igne injecto diruentes, necnon perſonas quaſvis ſævitia incredibili perimentes, prædas agentes, & ea denique perpetrantes, quæ à truculentis ſolent fieri tyrannis. Bertulphus Trevirorum tum Archipræſul malum hoc declinare præveniens, cum aliis plurimis ad Metenſem civitatem confugit, ubi, à loci Epiſcopo Walone honorificentiſſime exceptus & habitus, permanſit, donec Northmannos, vaſtatis quæ obviam fiebant omnibus, ad Metenſes itidem expugnandos, & ſimili clade afficiendos advenire intelligerent. Tum enim, conſilio de reſiſtentia mature facienda inito, concluſum eſt, ut Duce Metenſi, Comiti Adelhardo, adjunctis duobus Epiſcopis, aliis Principibus viris, & armatorum exercitu prævalido, in occurſum iretur adverſariis Chriſtiani nominis. Dum igitur ad campum Remich oppido vicinum pertigiſſent, ecce hoſtes ex adverſo venientes Catholicis facti conſpicui, ad certamen cum eis ineundum ſeſe obtulerunt. Vnde ſtatim noſtri genibus flexis auxilio Dei devote implorato, cum hoſte fortiter congreſſi, conſtanti animo inſimul ad duodecim horarum ſpatium depugnant. Tandem cum multi utrimque ea in ſtrage mortui cecidiſſent, inque iis à Catholicorum parte Walo Epiſcopus, & Comes Adelhardus, ceſſit victoria à parte Northmannorum, qui iter inceptum proſequentes, Metenſem civitatem adeunt, eamque tanta crudelitate invadunt, ut in ſuam poteſtatem redactam igne, ferro, direptionibus totam depopularentur. Inde Auſtraſii Regnum, nec non Moſellanicum Ducatum peragrantes, nulli loco, perſonæ, alterive rei pepercerunt, quin ei quantam poſſent, inferrent moleſtiam. Porro ut nihil à tyrannide ſua intactum in iſtis partibus viderunt, in triumphi ſignum, caſtrum quoddam ad rupes vaſtas fortiſſimum extruxerunt, cui ipſi Wandali nomen Vandalen à ſua natione deductum indiderunt; atque ſic locus iſte, ſive caſtrum, initium, & vocabulum ea ratione accepit. Cum vero poſt plurimorum annorum ſeriem Wandali dictum caſtrum, una cum adjuncto territorio poſſediſſent, vicini Principes, hos barbaros loca ejuſmodi occupare diutius non ferentes, collecto exercitu eos partim trucidarunt, partim fuga ſibi conſulere compulerunt. ex quo accidit, ut ex tunc in hæc uſque tempora ad Chriſtianorum jura caſtrum ipſum una cum ſuis appendicibus ſpectaverit, relicto tamen ei primo nomine à Wandalis impoſito; quod hodieque, quamvis nonnihil immutatum, perdurat, dicitur namque Vienna, aut Vianden, aut denique Vienthal, quæ omnia ex uno priore oriuntur vocabulo. Anno 1248. Philippus Viennæ Comes cum ab Henrico Comite Luxenburgenſi, amico ſuo conjunctiſſimo pecuniæ ſummam ingentem mutuo accepiſſet, ut à reſtituendo debito liberaretur, eidem & ſucceſſoribus Luxembergenſibus Ducibus Comitatum Viennenſem ſuum feudalem fecit. Hodie jure ſucceſſionis Comes legitimus eſt Guiljelmus III Naſſavius, Princeps Auriacus. Huic arci Viennæ adjuncta eſt à Comitibus loci oppidulum *Vyenthal*, quaſi Vallis Viennæ; ſitum autem eſt inter montes & altiſſimas rupes, continens ducentas circiter domos, clauditur portis duabus, & regitur à Iudice & Scabinis ſeptem, qui omnibus jus dicunt, & juſtitiam adminiſtrant.

Rodemacria.

Rodemacria Lutzenburgo diſtat trium leucarum ſpatio, oppidulum lautum & arce conſpicuum.

Theonisvilla.

Theonisvilla denotat urbem Deorum, ſita ad lævam Moſellæ ripam in loco amœniſſimo, plano, agroque multum fertili; urbs munitiſſima, quæque nullam vim hoſtium expaveſcit. A Carolo Magno inſtitutam volunt, ut tertia Imperii

perii sedes esset per Germaniam Inferiorem.

Epternacum. *Epternacum* oppidum Luxemburgo ducentis & sexaginta annis antiquius, Monasterio celeberrimo, cujus Abbas oppidi dominus, conspicuum: circulari pæne forma ad Suram fluvium situm est, in aëre benigno, & ita temperato, ut in circumvicinis montibus vinum, quamquam acerbius, progignatur, quod in annis fertilibus utcumque dulce gustuque delectabile evadat: domos circiter ducentas comprehendit.

Bastonacum. *Bastonacum* sive Bastonia à Luxemburgo ab occidentali parte octo milliaribus dissitum, oppidum est oblongum, & ad unius plateæ normam plurimis ædificiis exstructum; ob civium frequentiam, & mercium distributionem, eam aliter vocant *Parys en Ardenne*, quasi dicas Arduennensis Lutetia. *Diekirch.* *Diekirch* oppidum peramœno agro undique cinctum, & ad Suræ fluvii ripam situm, Luxemburgo ad quinque circiter milliaria dissitum, à qua plaga altissimis montibus absconditur; in quibus magna vini crescit copia: mercibus vero humano usui commodis non parum abundat.

Novocastrum. Mommedium. Danvillerium. *Novocastrum*, etsi modicnm, pulcrum satis est oppidulum. *Mommedium* in monte altissimo ac pæne inexpugnabili situm, cujus radices alluit flumen Chirsus. *Danvillerium* oppidum in loco paludinoso ac pæne inaccessibili situm, 12 Lutzenburgo abscedit milliaribus, bellis captum, direptum ac solo æquatum, posteaque restauratum; sex sub se habet pagos, & amplas adeo sylvas possidet ferarum fertiles, ut agrum longe remotum Verdunensem terminare perhibeatur. *Marvilium.* *Marvilium* ad eundem Chirsum est, quod pro altera sui parte Hispaniarum regem, pro altera Lotharingiæ Ducem Dynastas agnoscit; unde *Ville commune* appellari solet.

Fanum S. Viti. *Fanum S. Viti* oppidulum est peramœnum, portis, turribus, & fossis munitum, insigni ornatum Castro, ad Principem Auriacum jure successionis pertinens; uti & *Sleida*, muris carens, titulo Comitatus & insigni in aliquot pagos jurisdictione superbiens. *Marchia.* *Marchia*, vulgo *Mars en Famine*, oppidum mire antiquum, nec minus elegans: agro enim gaudet gramine & arboribus fertilibus abundanti; ædificia quoque majori pro parte in sublime eleganter sunt ducta, & tegulis lapideis contecta; cui accedit quod murorum Oppidi ambitus, turribus plurimis, & ab invicem spatio exiguo & bene proportionato distinctis adornetur; unde & per jocum *Florence la Belle* à quibusdam vocari solet. *Durbutum.* *Durbutum* oppidulum ante aliquot sæcula à Normannis conditum, ad fluvium Ourt situm est, loco opportuno, & quotidie à mercatoribus è Brabantia in Germaniam, & vicissim ex Germania in Brabantiam commeantibus frequentari solitum: Castrum habet in præexcelsa rupe situm, & Comitatus gaudet titulo.

Vertonum *Vertonum* oppidum muris, fossis, portis, & turre heroica munitum, in summæ pulchritudinis loco ædificatum est, Luxemburgum à meridie respiciens.

Biedburgum. Est & *Biedburgum* oppidulum in agro fertili, & admodum jucundo, inter Eufalicium Trevericum, & Luxemburgensem agros, ad instar termini situm

Grevenmacheren. *Grevenmacheren* oppidum amœno in agro situm, & montibus plurimis circumcinctum; in quibus annis fertilioribus optima vina nasci solent: quondam urbs sat ampla, nunc vero, postquam anno 1552 à Brandenburgensi Marchione esset depopulata, ob tenues civium opes huc usque desertum jacuit: Mosellâ alluitur.

Koninxmacheren. *Koninxmacheren* oppidum non adeo magnæ famæ, aut magnificentiæ est: in ejus tamen circuitu omnis generis frumenti copiam, & à latere cum Mosella alluitur, plurimum vini cives percipiunt.

Ivodium. *Ivodium* Gallis *Ivois* oppidum in finibus Chinensis Comitatus situm est, Mouzon Galliæ oppidum ab uno milliari respicit: olim urbs sat bona & munitissima, donec ab Henrico Gallorum Rege anno 1551 superatum, & dein anno 1557, inter Galliæ & Hispaniæ Reges pace facta, Hispano redditum, ea tamen ratione ut cum muri tum fossæ solo æquarentur; in quo statu usque ad hodiernum diem permansit.

Chiniacum. *Chiniacum* oppidum ad fluvium Sumoiis situm, olim murorum ambitu, portis, ac propugnaculis egregie fuit munitum, sed bello sæviente iis spoliatum. Titulo Comitatus gaudet, & jurisdictionem in alias quasdam urbes, pagos, agros exercet; adeo ut in mandatis Curiæ Provincialis hujus Ducatus, titulus Comitis Chiniacensis, Duci Luxembergensi adjungatur.

La Ferté. *La Ferté* ab Ivodio uno milliari dissitum, oppidum mediocre, itidem muris carens. Atque hæc de urbibus tam muris ornatis, quam iis carentibus cursim dixisse sufficiat: de arcibus pagisque, brevitati consulentes, dicere supersedebimus.

Principes Luxemburgenses. Primus Luxemburgi Comes fuit Sigefridus Ricuini Ducis Mosellani filius; cujus tempore, annuente Brunone Archiepiscopo Coloniensi, Ottonis Magni Romani Imperatoris fratre, & summa cum autoritate Vicario, Comitatus Guerræ nomen cum Luxemburgi commutatum est circa annum 960; ei successit filius Giselbertus, huic Fridericus, quamvis & Conradus & Godefridus titulo Comitum Luxemburgensium quoque usi sint; Frederico relictâ unicâ tantum filiâ Ermesindâ, Godefrido Namurcensi Comiti nuptâ, quem perperam in Comitatu Luxemburgensi Friderico successisse, & sequentes tres Comites titulum tantum usurpasse, quidam volunt autores, extincto successit Conradus II. Conradi fratris ejus filius: in Conradi II locum suffectus fuit ejus ex Clementia Henrici IV Imperatoris filia, filius Guiljelmus anno 1086. Princeps liberalis & affabilis, & rerum bellicarum peritissimus, ex Frederici Cœci Sueviæ Ducis Filia Mechtildâ Conradum III, sibi successorem suscepit; hic benevolus & mansuetus Elisabetham Godefridi Namurcensis Comitis & Ermesindæ Luxembergensis filiam uxorem duxit, ex qua Henricum Episcopum Leodiensem procreavit. Conrado anno 1174 fatis functo, & filio ejus unico Ecclesiasticis muniis mancipato, linea Comitum Luxemburgensium extincta est; ideoque Comitatus ipse proximitatis jure ad Henricum Cœcum Namurcensem Comitem, dictæ Ermesindæ filium, devolutus est; hic filiam unicam Ermesindam nomine Theobaldo Comitis

mitis Barrensis filio despondit; Henrico autem extincto Cæsar Comitatum Luxemburgensem Otthoni cuidam Burgundio assignavit, qui eum pro ingenti pecunia Ermesindæ & Theobaldo restituit: Theobaldo sine prole susceptâ in bello Sancto extincto, Ermesinda sese Walramo, Henrici Ducis Limburgensis filio nuptui tradit, cui Henricum II peperit, qui patri in hoc Comitatu successor fuit; eum autem rursus sequutus est Henricus Tertius ejus filius, qui Ioannis Avenionensis, Hannoniæ Comitis filiam Beatricem matrimonio sibi copulavit, ex qua suscepit Henricum IV, qui patri in acie contra Brabanticos occiso, in Comitatu successit; Vir strenuus, virtuosus, prudens, adeo ut anno 1308 Francofurti Rex Romanorum à Septemviris Electoribus creatus fuerit, & postmodum Alberto Imperatore rebus mortalibus exemto, in Imperio successerit: dum autem Henricus Imperii moderaretur habenas, filius ejus Ioannes Comitatum Luxemburgensem rexit, cui Bohemiæ Regum, copulatâ ei Elisabethâ Regni hærede acquisivit anno 1311. Ioannes liberos reliquit Carolum IV Imperatorem, & Wenceslaum sibi in Comitatu Luxemburgensi successorem; qui ducta Ioanna Brabantiæ Ducis filiâ, Brabantinum Ducatum obtinuit. Hoc Luxemburgensis Comitatus habenas moderante, anno 1353 Comitiis Imperialibus hic Comitatus in Ducatum erectus. Wenceslao principe optimo prole nullâ sibi superstite humanis exemto anno 1383, Ducatus hic proximitatis jure Wenceslao Romanorum Imperatori obtigit, qui Iudocum Marchionem Brandeburgensem sibi in consortem Ducatus ascivit, qui spe prolis suscipiendæ destituti Elisabetham Ioannis Moraviæ Ducis filiam Anthonio Burgundiæ Duci uxorem dederunt, pro dote 120 mille florenorum aureorum Rheni, Ducatu hoc oppignerato. Elisabetha viro defuncto Ducatum hunc sibi retinebat oppigneratum, sed à Saxoniæ Duce & Poloniæ rege sibi Ducatum proprium asserentibus impetita, Philippum Burgundum in auxilium evocavit; qui bello egregie ad finem perducto, Ducatum Luxemburgensem Elisabethæ ex integro tanquam veræ & proprietariæ Dominæ restituit: illa grati animi significationem in cognatum adeo beneficum vicissim ostendere volens, eidem Philippo Duci Burgundiæ & suis successoribus Ducatum Luxemburgensem & Chinensem Comitatum ultro donatione irrevocabili contulit, ea conditione, ut ubi Wenceslai Regis Romani posteri summam Elisabethæ dotis loco addictam numeraverint, iisdem sine ulla tergiversatione illi restituantur. Philippo mortuo successit in oppignoratitio titulo filius ejus Carolus cognomento Audax, qui numeratis aliquot florenorum millibus dictis Wenceslai heredibus, fecit ut ei juri ad redimendum Ducatum renuntiarent, atque Burgundis non tam oppignoratitio titulo, sed jure hæreditario tanquam veris & absolutis Dominis in posterum cederent. Carolo vero ad Nanceiam Lotharingiæ cæso successit Maria, quæ matrimonium cum Maximiliano Austriaco iniens, dominium totius Belgii ei in dotem contulit, & hoc modo ad Austriacos Ducatus hic devolutus est, qui successione haud interruptâ, fasces hujus Provinciæ tenuerunt; nunc autem ejus moderatur habenas Philippus IV Magnus, Pacificus Hispaniarum & Indiarum potentissimus Monarcha, Caroli V pronepos.

FLANDRIA COMITATVS.



LANDRIÆ etymon, minus certâ ſcientiâ, quam variis conjecturis ſubnititur, non ſecus quam Brabantiæ, Geldriæ, Hollandiæ, Walachriæ, aliarumque plurimarum regionum Etymologia. Et quanquam non pauca hactenus, nec obſcura, ingenia inſudaverint, ut veram nobis ac genuinam Nominis Flandriæ traderent rationem: illius tamen certa hactenus, & indubitata ratio (quantumvis non adeo magnæ ſit antiquitatis nomen) laborioſa licet inveſtigatione quæſita, dari non potuit: aliqui Flandriæ nomen & Flamingos, à Flamindo & Flandberto ortum eſſe credunt. Illos Belgicæ reges Bavaci in Hannonia ſedem habuiſſe, & inde à Cajo Cæſaris Legato pulſos, ad Menapios Morinoſque fugiſſe, novamque iſtic Belgicam, quæ nunc Bella ſeu Balliolum foret, condidiſſe exiſtimant: alii Flandriam à Flandrina quadam Liderici Secundi conjuge dictam putant. Tertii à crudelitate Phinardi cujuſdam Principis Bucani, qui ob cædes & latrocinia **Vlaminck** dictus, voce à **Vlaen/** & **Mincken** compoſita, nomen hoc Flandriæ inditum fuiſſe: ſed diu ante Phinardi & Liderici Secundi tempora in annalibus mentio Flandriæ & Flandrorum fit. Illorum ſententia mihi magis arridet, qui Flandriam à flatu & fluctibus quaſi Flanterraniam ita nuncupatam tradunt. Meyerus Flandras neſcio qua lingua, fuiſſe putat æſtuaria ea forma, qua poldras vocamus, unde mare per aggeres excludimus; Venit in eam conjecturam, ideo quod omnia quæ æſtus aliquando alluit marinus, in pago Flandrenſi ſita legamus, reliqua in Menapiſco. Archiva Cœnobii Benedictini Aldenburgici ab æſtuante ventoſoque mari dictam eſſe Flandriam: & ad ſitum naturamque regionis, ventis in objectas ſylvas reſonantibus obnoxiæ, à nomine ubi ad Boream vergit, non abhorrentem, reſpexerunt. Scepperus, Nanniuſque à **Flendzen** ſeu **Flaidozen/** qua voce Germani ſagittas denotant, nominis fontem eliciebant, quod in belli paciſque exercitiis arcus tenderent. Marchantius à multorum, aliorumque ſubinde ex Germania populorum adventu **Vlaendzen** contracte quaſi **vele aenderen** nomen fortè accepiſſe autumat: ut Allemanniam ab *Alleman*, ceu omnis generis virorum colluvie, Agathias in bello Gothorum interpretatur. Antonius Sanderus, quem in hac deſcriptione potiſſimum ſequuti ſumus, autumat Provinciam hanc vel ab æſtuariis, ac flatu fluctibuſque marinis, (quibus Flandrenſis pagus perquam obnoxius, ac plurima ſæpe graviſſimaque damna perpeſſus fuit: adeo ut etiam, anno CIↃ CCC XL. in agrorum cenſu ac venditione caveretur; ut ſi intra annos decem mare in ea loca exæſtuaret, caſſus irrituſque contractus eſſet;) vel à Flandberto Bleſindis filio Flandriam nominatam. Vixit Flandbertus ille ad annum Chriſti CCCCXLV.

Flandriæ Nomen.

Termini. Hujus regionis appellatio latius olim patuit, complexa Arteſiam, quæ poſtea avulſa, claudebaturque mari Oceano ac fluminibus Scaldi ac Somona. Hodie Flandriam ad occaſum reſpicit cum nonnulla Arteſiæ portione Oceanus Britannicus, ſeu mare Germanicum: ad ſeptentrionem idem Oceanus cum Honta ſive oſtio Scaldis, quod Flandriam à Zeelandia diſterminat; ad ortum jacent Hannonia & Brabantia; ad meridiem denique Arteſia Hannoniaque, cum parte Picardiæ occurrunt. *Magnitudo.* Patet ergo in longitudinem itinere tridui à Scaldi, Antverpia ad novam foſſam millia paſſuum XXXIII. Latitudo ab ortu in occaſum, id eſt, Ninovia Gravelingam uſque, tantundem ferè itineris, id eſt, triginta circiter milliaria complectitur. Sunt qui Flandriam olim cum Anglia cohæſiſſe,

Sed loca vi quondam, & vaſta convulſa ruina
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus utraque tellus
Vna foret, venit media vi pontus, & undis
Anglum Flandriaco latus abſcidit, arvaque & urbes
Littore deductas anguſto interluit æſtu.

Sed hoc non magis verum eſſe arbitror quam quæ de Sicilia & Italia, Hiſpania, & Africa, quidam nugantur, ſcilicet & eas aliquando cohæſiſſe: illud quidem probabilius puto, connexam aliquando cum Flandria noſtra Zelandiam fuiſſe, & perpetuos antea ſabuloſos utriuſque Provinciæ colles anno Chriſti 980. intermedia foſſa diſtinctos, juſſu Othonis ejus nominis Tertii Imperatoris Romani, Galliam interfinio iſto ab Imperio ſeparantis.

Partitiones Flandriæ. Flandria, ab Oriente Brabantiam, à Meridie Hannoniam, à Septentrione Britannicum mare, ab Occidente Arteſiam reſpicit, & inferioris Germaniæ parte comprehenditur. Flandria partim Franciæ Regibus, partim Cæſaribus fidelitatis jusjurandum dabat: partim ſuperiorem, præter Flandriæ Principem, non agnoſcebat, quam *Proprietariam* appellant. Ad Francos multo maxima Ditionis pars, *Comitatus* titulo, reſpiciebat; reliquiæ puta dotis Balduino Ferreo cum Iuditha, & hoc titulo attributæ: Scaldi, Tenera, Agniona, novaque foſſa & Scarpo circumſcripta: Si Waſiam & quatuor Ambachta excipias; quæ licet cis Scaldim jaceant, nunquam Gallis hominium debuere: Hæc in *Teutonicam*, quam abſolute *Flandriam*; & *Gallicam*, quam *Galloflandriam* appellamus; Liza fluvio, ac idiomate ſejungitur. Translizana enim in Meridiem extenſa, Gallice loquitur. Integram Carolus V Imperator, cum Franciſco


FLANDRIA
ET
ZEELANDIA
COMITATVS.
Apud Guiljelmum Blaeuw.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
MARIS GERMANICI PARS.
Vlaemse Bancken
De Spleet
De Wielinge
Innerwielinge
WALCHEREN
SCHOVWEN
Duyuelandt
TOLEN
CASSEL
BELLE AMBACHT
Gradus Longitudinis
Gradus Latitudinis.

9

cisco Primo Galliæ Rege Madriti anno 1526 in Octobri, & tertio post anno Cameraci in Augusto iterum pactus, perpetuo emancipavit ab omni fidei juramento, patrocinii jure, supremo Imperio, ultimæ cognitionis potestate, & qualicumque obsequio, quibus Franciæ prius obstringebatur: non secus ac Artesiam, Tornacum ejusque agrum: exemta etiam Gallo-Flandria ab omni retractus jure, quod ex conventione Ludovici Maleani (quoties hærede masculo Flandria careret) in illam sibi Galli arrogabant. *Imperialis* vero Flandria Alostanos, Wasios; cum quatuor Ambachtis, & Transcaldia complectitur, quam vulgo Dominatum vocant; tum quod antiquitus distinctis Dominis, ut Wasia Hollandis, Alostana suis privatim Comitibus parebant: Quatuor Ambachta Vltrajectino Præsuli, (si vera sint illius Sedis archiva) beneficium debebant; tum quod supremæ cognitionis auctoritate, mero in omnibus imperio, liberiusque quam in parte Gallis obnoxia, Flandriæ Comites ibi pollerent: Vnde Ludovicus Maleanus Flandriæ Comitem Dominumque sese inscribebat. At *Proprietaria*, hoc est, Principi Flandriæ tam propria & peculiaris, ut neque Galliæ Regi, neque Cæsari, neque, præterquam ipsi, mortalium ulli subjectionem fideique sacramentum debeat, Teneramundam, Gerardimontium, Bornhemiumque cum illorum agris continet. Quæ distinctiones non impediunt, quo minus ex illis membris unicum Flandriæ corpus compingatur, tam in generalium tributorum Consiliorumque consociatione, quam συμμαχίᾳ. Porro quod Flandria in *Occiduam* & *Orientalem* dispescitur, non tam exactæ cœli posituræ tribuitur, quam præcipuo usui est, ut duo Generales Canonis, Patrimoniique Dominici coactores, sub Carolo V Cæsare discreti, cum antea unius id munus esset, distinctius, expeditiusque suis quæsturis perfungantur.

Aëris ac terræ indoles.

Cœlum regionis totius temperatum, clementissimum autem ac saluberrimum, qua Austrum spectat. Terra passim fere plana aut collibus non difficilis, inutilisve: si qui sunt montes, aut impositis urbibus habitantur, ut Casletanus & Gheersbergius (ad quem tractum sæpe Flandria intumescit) aut opportuni sunt superstructis molis sive granariis, sive oleariis assiduo vento agitatis, velut Mons Acutus, Cattorum, aliique. Neque hyemis rigore nimio exasperatur, neque æstatis fervore exuritur, aëre salubri, auris marinis terrestres noxiosque spiritus eventilantibus.

Fluvii.

Scaldis.

Fluminibus lacubusque navigabilibus ac piscosis irrigua est. Sunt ea, Scaldis semel atque iterum Cæsari, ut Sabis, memoratus. Is inter arces *Chastelet* ac *Beaurevoir* juxta Abbatiam D. Martini apud Veromanduos ortus, rectaque Cameracum petens, inde Bouchainum tendit, ubi Senseto amne auctus, Valencenas mox secat, ibique navigationi factus idoneus recepto Sella amne fluit Condetum, & ejus oppidi mœnia lambens, Hainæque & Honnavii fluviolorum aquis intumescens delabitur Mortaingnam, ubi cum Scarpa Atrebatensi ac Duacensi mixtus, venit Tornacum, inde Aldenardam, & mox Gandavi Legiam, Lievam, Mouramque recipiens, sinuoso lapsu Teneramundam tendit, ubi Tenera recepto, pauloque post ad arcem Rupelmondanam, Durmam cum humili suscipiens Rupella jungit se Demeræ, & aliis è Brabantia venientibus aquis, recta contendit Antverpiam, cui portum insignem tutumque præbet, atque inde ad aliquot lapsus milliaria, & salsugine maris admissa, in duo ingentia, facto aquarum divortio, se scindit membra, duobusque in Oceanum ostiis properat. Post Scaldim maximus Flandriæ fluvius Legia sive Liza. Oritur is è media Atrebatum ditione in Comitatu fani D. Pauli, juxta Abbatiam Rousseanvilleam, unde placide labens, mox pago Lisburgo ex se dat nomen; indeque pluribus receptis rivulis, Morinorum Teroanam nunc excisam lambit, inde Ariam veniens, & duobus amnibus auctus, mox Flandriæ limites ingressus, ejus longitudinem Gandavum usque in duas fere partes æquales secat, Flandriam efficiens cis & Translizanam. Aria fluit Haveskerckam, inde Mervillam, tum Armenteriam, ubi ad pagum Dulcemontium Duelam Insulensium amnem recipit, cum quo Warnestonium Cominiumque, Busbecam, Viroviacumque progressus, alluit Menenam & Halewinum, ac dulcibus aquis rigans Wevelghemy asceterium venit Cortracum, & recepto in itinere Mandera torrente sexto inde milliari, Gandavo illabitur, ubi nomen & alveum Scaldi cedit, à fonte milliaria circiter Brabantica 34. emensus.

Legia, sive Liza.

Aria.

Minores fluvii.

Præter hos, minores licet, Flandriam beant fluvii, Tenera, Livia, Ipra, Aa, Scarpa, Rupela, Isara, Colma, Pæena, Durma, Mandera, Deula, & quæ nuper magno Flandrorum, ac præcipue Brugensium commodo fossa Gandavo Brugas diducta est.

Flandriæ Sylvæ.

Habet & Flandria suas Sylvas, easque utiles valde, & amœnas, inter quas Niepa & Nonna principem locum tenent; habet nemora ex laciniis Arduennæ, quam à Rheni ripis usque ad Eburones, Menapios, Nervios, Morinos, Atrebatesque fuisse protensam, Cæsar asserit atque Strabo.

Soli fœcunditas.

Ager in Flandria fertilis, sationi & agriculturæ nusquam fere non idoneus, alibi vero & præsertim qua Oceano & Galliæ vicinus est, raræ cujusdam fœcunditatis.

Feræ.

Cervorum etiam & aprorum, leporum, & cuniculorum, apum, variarumque alitum:

Fructus.

Copiosa poma fert quoque exotica, ut cotonea, persica, bericoccia: Cytriorum etiam, Aurantiorum, Limoniorum, & ficuum interdum calidioribus in locis nec inops, nec omnino insuavis. Granorum, olerum, leguminumque omnis ferè generis fertilis. Frumentum tamen domesticum sæpe tantæ multitudini non est nutriendæ, absque subsidiario exterorum. Butyri præstantia atque excellentia summa est in agro Furnensi & Dixmudano, de cujus bonitate cum quibusvis etiam nationibus Flandria in certamen venire non erubescat. Pascua enim uti in Flandria passim læta, ita hoc in tractu lætissima, à quibus, ut dixi, Butyrum sapidissimum, caseus multiplex, ac præstans, tam vaccinus, quam ovillus; luxuries herbarum, abundantia fœni, ac probitas graminum tanta, ut ad opimandos boves, aliaque enutrienda animalia, paucæ comparari, nulla fere per

re per circumvicinas regiones ditio Furnensibus, Dixmudanis & Loensibus pascuis anteferri possit. Quibus non immerito conjungatur ad occidentem Boreamque obversa Franconatium terra, tam fortunata ac benigna animalium parens ac nutrix, ut pulli equini ex vicinis regionibus quotannis eo delati ab equisonibus, pabuli bonitate atque aëris suavitate ex strigosis & macilentis pingues fiant ac generosi. Et quos ille tractus producit equos, ut ad ferendam panopliam robusti, ad aratra & alia onera fortes, ita forma insignes; & quamvis obesiores aliquanto, crassioresque, citi tamen ac pernices sunt, multique ad nothos illos Hispanienses proxime accedunt. Ovium quoque tanta hic fœcunditas, ut unâ fœturâ sæpius quinque vel sex enitantur, tres aut quatuor fere semper, Furnensi nimirum Castellania, ubi ea vulgaris, in cætero pene Belgicæ tractu incomperta. Alit & Flandricus ager animalia domestica varia saporis delicati & exquisiti; nec desunt aves cum aliæ innumeræ, tum Phasiani, Perdices, Pavones, Ardeæ, Ciconiæ, Anates, Anseres, Sturni, Turdi, Columbæ. Ex Oceano alluente, ex fluminibus, & lacubus magna omnis generis piscium copia, tam indigenis, quam Artesiis Hannonibusque suppeditatur. Sed & urbium pagorumque numero, situ, & opulentia nulla Belgii Provincia Flandriam antevertit. Etenim si acto per Ludovicum Guicciardinum censui subscribimus, Flandria, oppida partim muris saxeis cincta, partim illis destituta 62, pagos 1154 comprehendit: qui pagorum numerus verisimilior erit, si dynastias plusquam ducentas quinquaginta, pagis inclusas templi communione, jurisdictione separatas, pagorum nomine vestias. Quantum vero reliquas præiverit Canonis Dominici aliisque emolumentis annuis, palam est ex regesto Ipris asservato: ubi videre est, quomodo Maximilianus Austrius, statim post aditum per uxorem Belgii Principatum, ut indicaret Belgii Ordinibus dotalium redituum decrementa, demonstrat ad Carolum socerum anno 1475 liquide pervenisse; ex Burgundiæ Ducatu Comitatuque junctis 27 millia 40. lib. Turonens. ex Brabantia 12. millia 754. Luxemburgo 1180. Gelria 13. mill. 883. Hollandia 14. mil. 300. Zelandia 2685. Artesia 17. mil. 683. Hannonia 12. mil. 199. Namurco 5936. Ex Flandria autem 42. mil. 390. rediisse. Præ cæteris etiam Belgii regionibus, à Principibus Belgicæ & culta & honorata fuit. Quum etenim Aurei Velleris comitia maxime nobilia sint atque solemnia, nunquam alibi toties habita esse non ambigitur. Nam in aliquot Belgii provinciis nunquam: in Hollandia, Zelandia, Utricesio, Tornaco, Burgundia & Hispania semel. In Artesia bis & Hannonia. In Brabantia quater. Verum in Flandria & primum instituta sunt, & septies celebrata. Omnesque ferme Belgii Principes Burgundici nominis, ac inprimis Brugis Carolus Audax cum Margareta Anglicana tanto apparatu, ut Barlandi & aliorum testimoniis, *nihil à condito ævo sol viderit eo splendidius*, & ipse Maximilianus Austrius nuptiarum suarum festa hic potius quam alibi exhibuere.

Equi. *Oves.* *Aves.* *Pisces.* *Oppida.* *Pagi.* *Comitia Aurei Velleris.*

Porro quod cæteri Belgæ in Flandriæ nomen apud Italos, Hispanos, Gallos, multosque alios usucapione transierunt, & *Nobiliore omnes censentur nomine Flandri*, pervulgatum est, neque prætermissum vel Ambrosio Calepino, scribenti Flandriam esse Germaniæ regionem ad littora Oceani Septentrionalis, habentem varios populos veterum Cimbrorum; vel Francisco Guicciardino, Pauloque Iovio, Historicis Belgicam Flandriæ voce designantibus. Neque illud magnopere mirandum est: nam, ut omittam emporii Brugensis, à totius fere orbis mercatoribus, præterquam Iudæis, olim frequentati ac cæterorum luminibus obstruentis, celebritatem; ut sileam quoque bellorum à Flandris domi, in finitimos, in Gallos, in Constantinopolim, in Saracenos hostes & Mahumetanos in Oriente gestorum; quorum etiam Annales Græci Zonaræ, Choniatæ, Gregoræ sæpe meminerunt, famam longissime propagatam; certe Germaniæ inferioris, regnorumque deinceps ipsi annexorum veluti compages, suam Flandris basim non temere debet; Margareta Tertia Malensi, Flandriæ, Artesiæ, Burgundiæ, Nivernii, Retheliique Comitatus, Mechliniam, Antverpiamque, & certum in Brabantiam, terrasque Transmosanas succedendi jus Philippo Audaci in dotem adferente.

Nomen Flandrorum cæteris Belgis commune.

Marchantius, rerum Flandricarum postremus & accuratus scriptor, sic mores Flandrorum fere describit: Gens *Vlamingorum*, inquit, moribus est, ex Germanica gravitate, & alacritate Gallica temperatis: totam aut servitutem, aut libertatem pati nescia: ædificandi eleganter & commode, curiosa: interstitio parietum metiente longitudinem cantheriorum, in culmine sic conjugatorum, ut angulos faciant acutos ad juvandum pluviarum præcipitium, ventorumque impetum extenuandum: domesticæ suæ supellectilis copiosæ, vestitus apti, sumptuosi & variabilis, culinæque in longum tempus, bovina, porcinaque salitis, providendæ, studiosa: manu prompta & bellicosa, nisi opibus luxuque enervaretur: nativo & exotico sermone diserta, artium capax: neque, ut quædam fruges, degenerans, imo permaturescens in alieno solo, cunctis sese nationibus facillime accommodans. Pictura, sculptura, agricultura, cæterisque artibus manuariis, ac Musicorum acri dulcique norma efflorescit. Innotuit tum suis, tum fere totius Europæ foris, equorum præstantium, boum optimorum, butyri sapidissimi, halecum, aliorumque piscium apte salitorum mercimoniis: telarumque partim linearum, varietate, candore, subtilitate, & quasi flosculis; partim Xylinarum, quas Arabes Bombaxinas vocant, diversimodis textrinis expetitis, sericisque textis non omnino contemnendis: partim pannorum laneorum tum densorum, tum levidensium textura tinctura que proba, & ubique terrarum jam olim laudata, cæterisque mechanicis artibus ingeniosis ac laboriosis. Aulæorum denique tapetiumque artificiis & velut picturis admirandis. Viri sunt statura decenti, vultu flammeo, ingeniisque ad omnes scientias & disciplinas appositis. Plerumque aperti, promptumque vultu

Populi ingenia & mores. *Virorum mores.*

vultu cor gerentes; sanguinis enim spirituumque motu genuino fit, ut cito & virtutis purpura erubescant, & aliis perturbationibus commoveantur: at humidiore corporum calore efficitur, ut ad accipiendam, & deponendam offensionem sint molliores: Symposiis mutuisque invitationibus gaudent, & incalescunt, sæpe ad ebrietatem, rixasque, sæpius ad benevolentiam ineundam, aut recuperandam, ceu caristiis & philothesiis efficacibus, usque adeo ut illis gravissimæ simultates cædesque datis mutuis dextris obruantur, & absque illis nulla reconciliatio firma sit, & velut sigillata. Non abhorrent à subitariis conflictibus, longius absunt ab homicidiis præmeditatis: quæ, nisi tutelæ inculpatæ necessitate eluantur, cujuscumque modi sint, supplicio non eximuntur, nisi vel fuga, templorumve asylo, vel Principis condonatione, occisique proximo consanguineo transactione, & supplici ingeniculatione placato. Vinum, licet uvas maturas habent, aliunde accipiunt magna copia & diversitate. Vinique ad imitationem, largissime conficiunt siti ac hilaritati, ex melle aquato coctoque, Medonem: aut ex pomis & pyris contusis expressisque: Siceram, juxta ac Byriam, sive cerevisiam; quam non esse tam aspernabilem, ut Byrrhiæ Terentiano relinquenda sit secundum Andream Lacunam Medicum Hispanum; sed salubritate, robore, & forma, bibentes imbuere, Manardus Italus insignisque Medicus asserit. Hæc, velut Cereris vinum; communis gentis potus ex hordeo avenaque madidis, dein torrefactis, triticeo farre, lupoque salictario commixtis, in aqua concoquitur. Improbam mendicitatem plurimi Magistratus excludunt: senio, morbo, vitiove corporis laborantem, admittunt: Civium tenuiorum liberos orphanos ex publico alunt, vestiunt, literas aut opificia docent: Alienigenas Xenodochiis recipiunt, validos unam noctem, ægros quoad revalescant. Pecunias in usuras expendere infame; sed ne otiosæ maneant, fundo hypothecæ opposito, neque luendo nisi debitoris arbitrio, servatur usura semissis; excepta Mercurii prole, in amplis emporiis mercaturam faciente, cui plus licet, aut lubet.

Fœminarum mores. Fæminæ pari fere colloquiorum conviviorumque virilium familiaritate atque pudicitia, formæ, sermonis, amictusque suavitate, œconomiæ procuratione, solertique labore commendantur. nam aut pensa trahunt, aut rotula versatili in cannas fila agglomerant, aut pepla spectabili arte consuunt exornantque, aut lineas vestes ad solem, undarum aspergine, candore inficiunt; aut ruri, lacti emulgendo, butyroque extundendo, versandove, & formando, aut caseo coagulando comprimendoque operantur. Literarum formandarum, rationumque subducendarum, præsertim in oppidis non imperitæ.

Mensuræ. Mensuram gravitatemque justam minus hic desideres, quam earum æqualitatem consensumque, sive res siccas liquidasque, sive terras metiamur. Granariæ mensuræ passim differunt nominibus juxta ac vasis mensoriis. Vlna Brugensis 28 pollices longa, nunc duobus, nunc uno pollice Gandensem superat: è diverso Gandavi 28 sextarii vini, aliorumque liquidorum, implent Brugæ 29. Milliare perticas sive virgas Geometricas 1400, virga pedes 14 efficiunt: quamvis virgæ terras demetientes in Flandria Meridionali varient. Neque in pedum longitudine concors ubique symmetria est. Gandavi enim, Brugæ, Ipræque, & pluribus in locis quisque pedum pollices undecim: in magna parte occiduæ, Boreæque obversæ Flandriæ, decem tantum constituit. *Pondera.* Nec in ponderibus æquilibrium est: ubique enim libra uncias quatuordecim explet, præterquam Brugæ, aliisque paucis in locis, ubi sedecim unciarum est: communi libra quibusdam in mercibus Brugæ non exclusa. Quæ varietates & inæqualitates tolerantur, quia inveteratæ, atque mercaturæ ejusque subtili & quæstuosæ Arithmeticæ sunt sustinendæ. *Numisma.* Libra pecuniaria, licet discordiam ponderis non admittit, utpote certis normis legibusque constricta, diversas computandi voces, modumque non recusat. Guldi sive aurei, libræque Turonenses sex, libras Parisiacas duodecim; scellingi viginti, libram Flandricam constituunt, quam grossorum vocant, quorum bini stuferum, ducenti quadraginta libram illam efficiunt, exacta ad genus ponderis, quod Trojum Campaniæ dicunt, ubi libra duas markas valet; marka octo uncias, quæ Romanæ libræ bessis erat, libripende. *Auctiones.* Auctiones, hoc est, publicæ rerum privatarum venditiones, aliæ auctore, præsenteque Iudice fiunt, aliæ non item: sed hæ ordinariam solam actionem, illæ paratam executionem, manusque injectionem adferunt, in non solventem tempestive debitorem. Exercentur autem utraque diversis locis, diverso modo. In quibusdam enim bona venalia addicuntur propositum à præcone pretium augenti, & plus cæteris offerenti; unde auctionis nomen: In aliis vero præco institutum à se pretium tamdiu gradatim diminuit, donec ex circumstantibus emacibus quispiam indubitate acclamet, meum est, quod vernacule vocant mijnen. Quo genere auctionis piscatoria fora, mari proxima, in distrahendis primo appulsu piscibus potissime utuntur. *Lanificium.* Adde inventam telarum pannorumque, tum texturam, tum tincturam, Iprensem illam & Cortracensem; quam excogitavit sibi Flandricum illud ingenium; & primum Britannis ea jam arte celeberrimis populis tradidit. *Aulæa.* Adde aulæorum tapetiumque, sive Gandensium, sive Brugensium, sive Viroviacensium mira artificia, & quasdam quasi picturas admirabiles: sine quibus nullæ domus, nullæ aulæ, nulla palatia, nulla divorum templa ornata esse putantur; Quibus, quocumque illa per orbem deferantur, Flandrorum opificum singularis industria, & nomen quasi inscriptum legitur. *Linificium.* Atque ex hoc utroque genere, quid Cortracena in urbe primo excogitatum à Flandris, ad hominum stuporem dicam; ut panni linei textores illi ingeniosissimi, elegantissimas non simplices modo, sed belluatas, sed quarumvis rerum figuris & varietate, vel aulæorum vel picturarum simillimas telas, non acu, non penicillo, sed radio suo contexant? Atque his artificiosissimos lignicidas,

Leges.

gnicidas, lapidicidas, Architectos subjungere infinitum esset: architecturam unius Petri Couckii Alostani opera jam demum omni numero completam esse, satis est vel indicasse.

Leges.

Legibus, inquit Marchantius, Flandri fere utuntur municipalibus, & cuique oppido ac Castellaniæ assuetis, tam in judiciis, quam in familiis herciscundis, & ubi illæ desunt, Iustineaneis. Peculiare hic est quod ad imitationem Senatusconsulti Orphitiani, nullus ex matre nothus perhibetur, hoc est, nemo ob illegitimos natales materna hæreditate privatur: unde ne illustris quidem fœminæ concubinæ liberos Flandriæ leges eximunt: nisi illis statutum municipale à Principe sancitum deroget. Quemadmodum Cortracenses ad annum 1557, & sexto post anno Gandenses à successione materna liberos adulterio, aut incestu natos, exclusere. Etenim anno 1532, Provinciale Flandriæ Concilium sententiam tulit, ut notho in feuda matris successio competeret, cum Privilegio ætatis sexusque, etiam extantibus legitimis. Et anno 1573, Bergæ S. Winnoci Magistratus ex consilio nostrorum Iurisperitorum decrevit, ut filia sacerdotis hæreditate matris non excideret. Durum, nec à lege Iulia de vigesima hæreditatum apud Romanos, cujus vi hæreditatum, legatorum, causa mortis donationum, ad extraneos devolutarum, vigesima ad fiscum pertinebat, alienum est Ius Issuarum, exitusve, quod appellant, quo hæreditate civis non civi delata, etiam filio fratrique, urbium curatores ex ea decimam bonorum non feudalium, in publicum vertunt: & quo nemo in alterius cujuscunque urbis aut Castellaniæ Ius corpusque cooptari permittitur, præterquam decimis, eo quo diximus modo, persolutis Magistratui loci à cujus Iure, & quasi complexu disceditur, nisi ea societas locorum contracta (quam Hansam vocant) interveniat. Quod ex iis exemplis est, quæ aliquid ex iniquo habent, quod publica utilitate compensatur: quod tributum Plinius secundus extraneis dicit esse tolerabile, domesticis grave: itaque his remissum, ne lacrymæ parentum aut filiorum sint vectigales. Videtur enim primitus invaluisse ad alendam frequentiam populorum in suis sedibus & ad familias ibi conservandas, velut Israëlitis bona filiasve extra tribum transferre non licebat. Testamento supra tertiam, bonorum quibus feuda continentur, partem legare Flandriæ leges prohibent; exterisque ad Magistratum hic gerendum accessum, ex Caroli Quinti Cæsaris anno 1555 sanctione; illis nimirum, qui à se Flandros excludunt. Vtuntur jure sistendi, manusque injectione tam in personas, quam bona eorum, qui cives non sunt, incipientes, contra juris civilis præscriptum, ab executione: quod mercatorum peregre venientium commoditas introduxit. At peregrinis licet in Flandria adire hæreditatem sanguine conjunctorum: quod in Galliis, Anglia, Scotia illis nefas est, ubi Principes, quo jure, quave injuria, Albinagii, morientium ab intestato, nullisque ibi liberis relictis, exterorum bona occupant. A sententia in corpus capitali, omnique interlocutoria civili, reparabili in definitiva, Magistratus etiam inferioris, frustra hic provocatur.

Lingua Flandrorum.

Lingua est Teutonica, cæteris Germanis germanisantibus communis, quam eruditissimus Goropius Cimbricam, vetustissimamque dicit, & artificio humanique ingenii præstantia omnibus præferendam, atque ad sensum animi indicandum Transrhenana faciliorem, promptiorem, suaviorem: neque non quam reliquas linguas aptiorem ad quamvis cujusvis idiomatis prosodiam accurate imitandam.

Eorum erga Principes suos observantia.

Incredibilis fuit erga Comites suos Flandriæ observantia, quæ illos adeo sibi omnes devinctos habuit, tot immunitates impetravit, tot prærogativas, tot exemptiones; ut filiorum quorundam charissimorum loco habiti semper esse Flandri videantur: ut maxime, Terra Franca seu Franconatus vulgo **het Vrye** / inde nomen illud eximium sortita est, quod tanta, quanta hodie fruitur, personarum, possessionum, actionumque publicarum libertate donari meruerit, ob plurima tum officiorum in Principes varios, tum subsidiorum genera in Brugenses ipsos, dum forte annona laborarent; &c.

Ordines Flandriæ.

Flandriæ Respublica tria genera, sive ordines complectitur qui Status vocantur: quia in illorum auctoritate consiliisque salus publica statuitur, & statis subselliorum ordinibus distinguuntur, nimirum Sacerdotium, Nobilitas, Quatuor membra. Sine quorum assensu, neque pecuniam subsidiariam Comites olim exigebant, neque bella suscipiebant. Et populum quidem hæc libertatis species, quum tributa postulantur, adhuc consolatur: Principi verò moderate imperanti nihil detrahit. Horum autem Statuum comitia indicuntur scriptis à Principe, aut ejus nomine à Concilio Flandriæ litteris ad Antistites, Optimates, & urbium Magistratus: ut illi nominatim evocati & Magistratuum delegati præfixo loco, dieque conveniant; Comitis, aut ejus Vicarii voluntatem audituri, & post aliquot dies, utrimque præfinitos, ubi domi deliberatum fuerit, responsum relaturi. Ita de Ordinibus universim Marchantius. Eundem nunc particulatim de classe status Ecclesiastici audiamus. Cum Flandria, inquit, Galliis innexa Constantino Magno, ejusque posteris paruerit templa Idolorum occludentibus, Christique propalandi cupidis, semina Christianæ religionis hic depacta fuisse non abs re existimatur. Quod annalibus etiam probari potest, asserentibus Victoricum Fuscianumque Morinis Teroanensibus Christum annuntiasse, ac Piatonem & Chrysolium, illum Tornaci, hunc Cominii prædicationem Euangelii Martyrio obsignasse sub Diocletiano Augusto, qui circiter annum 285 ad Imperium pervenit. Neque ambigitur, quin Eleutherius circa annum 484 Episcopatum Tornacensem administraverit, & Agricolaus ex custode Flandriæ ceu Ardennatis Sylvæ, cui partem Nervia faciebat, genitus teste Ioanne Placentino, à Synodo Aurelianensi in Episcopum Tungrorum ad annum 512, Divi Remigii suffragio electus sit. Verum seges boni seminis videtur tam aruisse aut delituisse, ut ejus initia illustria, & ex proventu consideranda ad Amandum

Status Ecclesiasticus.

dum ejusque socios deducantur. Amandus Aquitanus Tungrorum, Eligius Lemovix Noviodunini, & Audomarus Constantiensis Teroanæ Morinorum Episcopi cum Levino Scoto Hyberniæ Antistite Flandros pro falso Mercurio (quem plurimi venerabantur) veri sincerique Mercurii, hoc est paternæ mentis ac voluntatis interpretis cultu imbuerunt, Ecclesiæque Romanæ ritibus circiter annum Servatoris nostri unici sexcentesimum trigesimum: unde Flandrorum Apostoli denominati sunt. Tanto proventu sanctimoniæ, ut multi in Flandria nati ob virtutum celebritatem, vel inter cœlites fuerint à Romanis Pontificibus indigitati, vel ut indigitarentur, promeriti. Et post pauca: Ex hac Religione, anxioque Salutis æternæ desiderio, & hinc orta profusa liberalitate, scaturiit sumptuosa magnificentia templorum, amplitudine, fenestris vitreis, picturis, statuis, vestibus pretiosis, organisque pneumaticis (quæ Pipino primum à Constantino Græcorum Imperatore missa feruntur) ingentibusque in turribus, Campani æris vasis, ornatorum: atque inprimis hierarchia Ecclesiastica varia & opulenta: quæ primum inter Ordines Flandriæ consessus classem obtinet, tum propter dignitatis, tum ob redituum ex possessionibus ac dynastiis numerosis amplitudinem: distincta in Episcopatus, Abbatias, Præposituras, Decanatus, aliosque honores Collegiorum Canonicalium. Episcoporum nulli Flandria præterquam Noviodunensi per Ioannem Octavum Papam, anno 879. illi adscripta, principio addicebatur. At postea diœceses & Iurisdictiones quinque illic Episcopi exercuerunt, Tornacensis nimirum atque Teroanensis: Ille à Noviodunensi disjunctus, atque sibi postliminio restitutus per Eugenium Tertium Papam anno 1146. Theodorico Alsatio impetrante: Hic Teroanæ vetustique Comitatus Alkini dominatum anno 1156. Ludovici Septimi Gallorum regis beneficentia adeptus, & sese Morinorum Episcopum semper inscribens. Quibus primaria & latissima Flandriæ pars Comitatus titulo insignita obsequebatur. Atrebatensi Duacum subest, Armenteriaque. Qui ad annum 1090, à Cameraceno separatus per Vrbanum Secundum Pontificem rogatu Roberti Hierosolymitani, & ex nata de successuro Episcopo controversia inter Canonicorum Collegium & Henricum Quartum Cæsarem Vrbano odiosum. Cameracensi Flandria Imperialis & proprietaria parebat. Vltrajectino quatuor ambacta subdebantur: quod modico angustoque undarum interstitio tunc à Zelandis disparata per Willibrordum Clementem Vltrajectinum Antistitem, circiter annum 691. initiata fuerint ritibus Christianis. Horum omnium in Flandria potestas atque jurisdictio, usque ad annum sexagesimum primum supra millesimum & quingentesimum perduravit: quo tempore sub Philippo Regum potentissimo, illis prætermissis & per Pium Quartum Papam restrictis, ac quoad Flandriam exauctoratis, Flandria Teutonica Episcopis, quorum nominatio in arbitrio Flandriæ Principum est, Gandavi, Brugis & Ipræ institutis, sedesque collocantibus, suis cuique limitibus à Pio Quarto præscriptis, obtemperat, præter Alostum ejusque Terrenum, quod Archiepiscopo Mechliniensi: Cortracum ejusque Castellaniæ magnam partem, quæ Episcopo Tornacensi adhuc; & Casletam. Burburgiique tractus portionem non exiguam, quæ Episcopo Santodomarensi obsequitur. Episcopis aliquot Archidiaconi, plurimique parochialium Curionum Decani succenturiantur & obediunt. Quæ vero Abbatiæ, Prioratus, Præposituræ, alia sacra seu virorum seu mulierum per Flandriam sint hac ætate Collegia, nimium esset hoc loco recensere. Cæterum primarum omnium Sacerdotii functionum dignitatumque nominatio atque dispositio ad Principem regionis; confirmatio vero & expeditio ad Pontificem Romanum pertinet. Neque status Flandriæ Ecclesiasticus oneribus regalibus, aut ullis sanctionibus Ecclesiæ Gallicanæ unquam obstrictus fuit. At Sacerdotibus olim sive intestatis, seu testamento facto morientibus, in semissem, aut (si aliis credimus) assem bonorum mobilium Comites succedebant, usque ad Robertum Frisium: qui licet idem usurparet, assereretqne sese jure suo utentem, nemini injuriam facere; jus autem suum, antiquo continuoque usu majorum suorum niti: tamen hoc illis onus remisit atque servitutem, excommunicationis metu & Vrbani Secundi Papæ anno 1091. Roma datis litteris perturbatus, præsertim hisce earum verbis: *Scire debes Creatorem tuum dixisse, Ego sum veritas, non autem usus, vel consuetudo.*

Episcopatus Flandriæ.

Nobilitas secundum sibi in Statibus Flandriæ occupat locum. Nobilium vero alii Baroniis, quidam Toparchiis, alii muniis feudalibus, hæreditariisque insigniuntur. Porro præcipua vexilla militaria erigunt Barones, quos nos **Baender-heeren** seu Bandæ Dominos vocamus: Procopius Bandophoros Romæis ait nominari; unde Banderi ditio sive Baronia obligata erat ad sequendum illud signum quo Dux Bandæ jusserat: quales Baroniæ sunt Pamele, & Heyne: Boulaere cum Cisonio, quæ quatuor Flandriæ insigniores Beræ sive Baroniæ jam olim vocitantur. Sunt & alia hoc titulo insignia in Flandris loca. *Nevele, Scoorisse, Winendale, Bevere, Rode, Praet & Woestine, Haveskerke, Maldeghem, Poucke, Ingelmunster, Rassęghem, Ghistele, Busbeque, Lidekerke, Rotselaer, Ronse, Maale*, quæ Principum aliquot Flandriæ domicilio, deliciisque ac natalibus splendida, & cum Zizela in Baroniam erecta, nunc possidetur à Ludovico Lopes Gallo. Ad Toparchias vero quod attinet, sive oppidorum pagorumque dominatus, unde nobilium familiarum cognomina derivantur, aut assuuntur, sæpius cum ingratitudine quorundam, qui hisce splendidioribus genuina majorum cognomenta supprimunt, tanto numero sunt, ut citra tædium lectoris exigi nequeant ad libripendem. Pene omnes autem beneficium possessionis, & quasi animam, motumque accipiunt ab aliqua feudalium Comitis curiarum, consuetudinibus sæpius inter se dissidentium; sed in hoc convenientium, quod beneficiarius fidelitatem juratus, & sic possessioni actorumque registris asscriptus, alienare feudum suum neutiquam potest, nisi vel Principis, vel proximi

Nobilitas Flandriæ.

Baroniæ.

Toparchiæ.

proximi hæredis assensu, vel inopia juramento testificata apud curiam, unde feudum pendet, decimisque nummorum ex alienatione provenientium Ballivo Curiæ persolutis, aut in novis successionibus proventu anni trium proxime antecedentium copiosissimi: aliisve juribus, ex formula feudali repræsentatis. Feudorum hæreditas ad primogenitos adfluit: si trientem excipias secundo loco natis, si velint, accedentem, modo suam, in non feudalibus, ratam primigeniis deferant. Nefas est Toparchis, quocunque titulo & jurisdictione polleant, subditis suis tributa imperare, nisi volentibus, Flandriæque Principis assensione. Sunt & qui dicuntur Vassi, & Vassalli, quorum illi superioris, hi autem inferioris ordinis clientes sunt. Porro Curiæ feudales Comitis hac nomenclatura insigniuntur: Vetus Burgus Gandensis; Burgus Brugensis, Furnensis, Sala, quod atrium denotat, Iprensis, Castellum Cortracense, Curia Casletana, Harlebecana, Bellana, Tiletana, Ghiselhuza, Burburgia, Petra Alostana, Aldenardia, Bergana, Domus Teneramundia, Deinzana, Terrenum Wasium. Est autem incredibilis numerus varii ponderis feudatariorum ab aliqua illarum curiarum immediate dependentium: unde Comes (ubi vel alienatione, vel hæreditate transferuntur) tam pecuniaria emolumenta, quam diversi generis operas militares, aliaque servitia ex formula (quum opus est) percipit: quibus Valvasoribus hoc prærogativæ est, ut ubi Magistratus Scabinorum in reos gladio animadversurus est, bini illorum, quasi Comitis vice interesse debeant. A primariis beneficiis moventur secundarii, & ab his vicissim alii infiniti. Curiis Comitis feudalibus, cæterisque omnibus feudorum matricibus, præest Camera legalis, unde beneficium & investituram absque medio recognoscunt omnia feuda ex corpore Flandriæ avulsa, dotationique, cognationi, aut familiæ Principis herciscundæ, concessa.

Curiæ Feudales.

Camera legalis.

Munia feudalia & hæreditaria, quibus nobiles illigantur, & illustrantur, vel jurisdictioni consilioque Principis: vel rei militari terra marique gerendæ: vel Dominicis rationibus reditibusque procurandis, vel aulæ ministeriis destinantur. Inter primos eminet Flandriæ Cancellarius. Quæ dignitas perpetuo adfixa præposituræ Collegii Canonicorum S. Donatiani Brugensis nunc ab Episcopo possessæ, majoris olim functionis usuque erat, ante Principum tanta incrementa, erectumque Flandriæ Concilium. Emicant dein Burgravii, quibus in Burgorum arciumve, judiciorum publicorum & custodiarum, moderamine, additis prærogativis, multarumque pro rata, quæ plerunque triens erat, commodis, vices suas Comites permittebant: unde aliis Vicecomites nuncupantur. Gandavi nimirum, Ipræ, Alosti, Feurnæ, Bergæ, Harlebecæ, Burburgi, Neoporti, Rousselariæ. Illorum vero ingentem antiquitus fuisse auctoritatem, ac administrationem, quæ jampridem ex prærogativa militari, in civilem jurisdictionem commutata est, hinc manifestum est, quod Philippus Roberti Comitis Frisii filius, Ipræ Burgravius erat, atque vocabatur. Burgraviorum quoque, qui & Castellani, & Vicecomites vocabantur, non eadem ubique præeminentia & jurisdictio est; sed per Comites pro meritis aut imminuta, aut amplificata. Militiæ præerat Conestabilis; quod vocabulum genuinum nobis est, diciturque **Coninckstapel:** quasi columen regis ejusque statum conservans: neque hic deerant Almyralus, cui maris, rerumque maritimarum suprema cura incumbebat; neque Mariscalcus, à peritia totius artis equestris ita dictus & Seineschalcus. Prima dignitas Genti Meluneæ Antomianæ: secunda Hugerslusiis, tertia Marescalcorum Zoeterstediis, ac Vichtiis cessit: postrema domui Wauriniæ. Illorum verò militarium officiorum titulus familiis illis plerisque mansit, functio decessit. Ad Dominicas rationes procurandas pertinent Quæstores, sive receptatores feudatarii, Spicariæ, Vacciariæ, Lardarii, Brevium, similiumque Principis Canonum proventuumque: quæ tributa sunt agrorum perpetua, & possidenti inevitabilia: spicarum, hoc est frumenti & avenæ, vaccini Casei, & lardi, nummorumque culinæ Comitis importanda. Sed jampridem pretio pecuniario, per Insulense computationum conclave singulis annis varie statuto, illa alimentaria redimuntur. Hac in classe quæstoria emicant, Præpositus D. Donatiani, ob eam dignitatem, quæ amplissimæ potentiæ est, atque hæ familiæ *Croy, Walle, Beer, vander Eycken, Vtenhove, Zomerghem*, Illustres fuere: ob spicarias Cortraci, Harlebecæ, Furnis, Dixmudæ, Alosti, Rupelmondæ; *Nivers, Claerhout, Ghent:* ob breves sive litteras, de *Lokeren, Maldeghem, Atren; Noyelles, van der Burch, Scott* ob Lardarium Brugæ, Furnis, Bergæ: *Laurin* ob Vaccariam Furnensem. Aulæ Ministeriis præficiebantur, Magnus Magister domus sive œconomiæ: Camerlingus, cubiculo ejusque ornamentis: Pocillator poculis Principis præpositus: ille Armentariæ, hic Aldenburgi, & Merkem, tertius Ledæ Comarchus. Venationum vero aucupiique præfectura, atque Watergravia, nulli familiæ affixa munera, pro libitu Principis conferuntur. Prima per Balduinum Securiculam, ut nobilium de venandi jure, limitibusque altercationes præcideret erecta, cervos, aprosque; quod cæteris severe prohibetur; lepores, cuniculosque retibus, canibus, viverrisque venatur & insectatur: quod posterius nobilibus venationi assuetis liberum est, aliisque si præfectus assentiatur, qui præter alios fuit ante annos aliquot è Montmorentia stirpe Baro de Croisilles magnus Brugæ, Terræque Francæ Balivus, post eum gener Middelburgi Comes, nuper Dux Arscotanus, Arenbergæ Comes è Ligniaca & Croja domo Princeps egregius. Obtinet autem potestatem eos apprehendendi, qui in leges venaticas committunt: & ex duorum Comitis beneficiariorum sententia castigandi. Neque aucupium Phasianorum, Buteonum, Ardearum, Perdicumque concessum est, præterquam nobilibus illi deditis, aut à præfecto Falconum Principis, facultatem prece, vel pretio impetrantibus. Watergravia magisterium præcipuamque curam in lacus fluviosque exercet, contra hos præsertim qui cygnis Principis nocent, ova, nidos, pullos rapiunt, aut ibi olores nu-

Munia feudalia.

Flandriæ Cancellarius.

Burgravii, Vicecomites.

Conestabilis Flandriæ. Admiralius.

Mariscalcus.

Quæstores.

Aulæ Ministeriis præfecti.

Venatio.

Venationis præfectus.

Aucupium.

Watergravius.

nutriunt, citra ipsius Watergravii voluntatem: qua in functione jampridem fuit Ludovicus Blaserius Eques, post illum filius, & modo nepos Ludovicus itidem Blaserius eques, Idewalli Dominus, vir Patricius & Consularis Gandavensis. Balthei equestris Riderorum sive equitum, qui à calcaribus aureis aliisque ornamentis attributis, aurati vocantur, decus pro virtutis sagatæ, & sæpe togatæ hostimento à Principe indulgetur: humero lævo ense nudo perstricto, additis verbis solenni more conceptis: tanto splendore, ut hominibus novis, eorumque posteris nobilitatem adjiciat, nobilibus augeat. Quin vero nobilitatis dignitatem inprimis dilatavit Balduinus Pulcrobarbus: nam equestris aurataque militiæ prærogativis, ac distinctarum Comarchiarum titulis, emolumentisque plurimos honestavit: Illius exemplo posteri nobilitatem amplificarunt: quæ in Flandria numerosa existit, utpote quæ sub Principibus generosissimis Europam, magnamque Orientis partem armis pervagata est, multisque honoribus fruitur: studium pecuarium agrorumque cultum à professione sua non eliminat: mercaturam, opificium, artificiumque manuarium dedignatur, ad exemplum Germanicæ, Gallicæ, Anglicæ, & hodiernæ Romanæ nobilitatis: nullam tamen immunitatis præeminentiam, ut in Gallo-Flandria, vicinaque Artesia & Hannonia, ex sese gignit, pari cum cætero populo, tributorum, indictionum, vectigaliumque onere vivit: prudenter sanè atque circumspectè, ut multitudinis tumultuosæ & quæstu insolescentis, nobilibusque ferè semper obtrectantis aversionem turbasque, ea velut symmetria mitiget atque æqualitate.

Equestris dignitas.

Nobilitas.

Classis quatuor membrorum.

Præcipuam in Flandria, aut verius reipsa omnem jam auctoritatem potentiamque obtinent quatuor Regiones: Gandavum, Bruga, Ipra, Terra Franca, ceu Tetrarchia, quæ quatuor membra vocantur: quia instar corporis membrorum ad Reipub. validam compagem, directionem, functionemque sub Comite, velut sub Capite in primis adhibentur. Quod quatuor partium æquilibrium Terræ Francæ associatione sub Philippo Bono ad Annum 1437 cœpit in usu esse: quum antea in tribus illis urbibus, Tripoliticus statuum gradus stabiliretur. Cæteræ urbes & Castellaniæ, etiamsi Magistratus suos, leges, ærariumque seorsim habeant, tamen cum in commune vel consulto vel tributo, vel milite opus est, illorum quatuor subadjuvæ sunt, atque subsidiariæ, eorumque in generali ordinum Flandriæ, vel Belgicæ conventu decretis, reliqua Flandria obstringitur. Nam in universalibus quidem Flandriæ Comitiis, Sacerdotii ac Nobilitatis proceres, Magistratuumque cæterorum delegati, una quidem consultant, sed quatuor Membra autoritatem sibi vindicant; & in generali totius Belgicæ conventu, sola, Flandriæ corpus repræsentant, & in rebus majoris momenti non consultant modo, sed etiam definiunt atque decidunt. Porrò singulis illis membris quædam oppida, & Castellaniæ subcensentur, hoc est, postulatam addictamque Principi pecuniam sub illis pro rata conferunt, arma & consilia publica consociant: subjectionis cæterà immunes, licet quædam jus illinc petant relatione, unde illis membris auctoritas gliscit, & Principi compendium rerum expediendarum: quum ante Artesiæ à cætera Flandria divulsionem Atrebati, Gandavi, Brugis, Ipræ, Santodomari, Lilæ, Duacique scita reliquos præcederent, atque devincirent. Quæ res sub Gulielmo Normanno, quum de illius rejectione anno 1128. ageretur, exemplo claruit. Et post illam disjunctionem, prius quam Gallo-Flandria pignori Francis opponeretur, Gandavi, Brugæ, Ipræ, Insulæ & Duaci conjunctio, auctoritasque eminebat: quod Guidonis Dampetræ sanctione manifestum est, jubentis, dum inter Comitem & quampiam illarum urbium de intelligentia alicujus Privilegii controversia oriretur, ut judicium ad cæteras quatuor, litis non consortes pertineret. Singulis autem quatuor membrorum, à bonorum confiscatione exemptio competit, vetusto Privilegio constitutione Caroli Quinti Cæsaris ad annum 1549. confirmato. Ante paucos vero annos in hanc etiam classem, adnitente cumprimis Carolo Rodoanio Brugensium Episcopo, auctoritate Principis adlectus fuit Ecclesiasticus ordo, seu sacerdotes aliqui ex unoquoque Flandriæ Episcopatu deputati, qui partem in administranda Flandrorum Rep. cum deputatis aliarum illarum urbium potestatem haberent, eoque munere ad biennium, vel triennium, ad hoc ab Episcopis, Canonicorum Collegiis, Abbatibus, ac Præpositis quibusdam, suffragiorum pluralitate (ita enim fieri debet) electi, fungerentur, in quorum locum tunc alii venirent, vel, si ita Reip. expedire videretur, in aliud biennium, vel triennium iisdem eligentium suffragiis, vel partim, vel omnes permanerent.

Alii Flandriæ Magistratus.

Magistratuum alii majores sunt, alii minores. Pro majori, Flandria Comitem dominumque suum habet, cæteri qui ab eo vim suam acceperе, minores sunt. Horum alii ad Principis celsitudinem patrimoniumque pertinent conservandum, alii cujusque loci subditos respiciunt: priori loco habentur Cameræ (sic vulgo nominantur) Legalis, **Hooffredenenga**/ Computationum & Flandriæ Concilium. Legalis cæterarum curiarum quasi vertex, Parium olim (nam antiquitus proceres Pares exemplo Gallico in Flandria emicuisse scimus) jam Valvasorum & Consiliariorum Comitis, est eo loco & numero, quo illi visum est, Gandavi inprimis congredientium, ad quam deducebantur res gravissimæ, & ad amplitudinem curamque Principis proprie spectantes: quæ jam pridem ad Concilium Consistoriumque Principis assiduum, aut ad Flandriæ Concilium, Gandavi fixum, adfluunt; & ad quam etiam omnes feudorum controversiæ à curiis Comitis feudalibus appellatæ, intromittuntur judicanturque absque provocatione, præsente Comite & submonente, aut ejus absentis Bailivo: Pulvino seu justitiæ lecto, aulæis instrato, ubi ipsemet Comes aderat, enseque nudo ad meri supremique Imperii testificationem, illi superposito. In hunc conventum, quo Ioannes Aldenardæ Dominus fatebatur Dynastias suas Lessinam, Flobecam, Podsbergæ nemus, homagio Flandriæ attineri, ipsemet Guido Flan-

Camera legalis.

Flandriæ Comes anno 1281, vocavit submonuitque Robertum filium, Ioannem nepotem, proceresque Ghistellanum, Mortaignium, Hiesselium, Vormeselium, ejusque notæ alios, unde vetus illius Concilii splendor innotescit.

Curia ratiociniorum. **Hooftredenenga**/Gallicè contracteque **Renenga**/ hoc est caput, supremaque curia ratiociniorum, consistit ex Quæstoribus Comitis beneficiariis & hæreditariis, de quibus antea diximus. Hi annuatim evocati mense Iulio ad diem festum à conclavi computationum præscriptum, triduum, eoque amplius Lilæ congrediuntur: causasque omnium, sese à receptatoribus dominicæ pecuniæ injuste vexatos, aut postulatos conquerentium, omnesque actiones personales, patrimonium, canonemque Principis respicientes, atque reales etiam, exceptis de proprietate & successione feudorum quæstionibus, cognoscunt, deciduntque amotâ appellatione: rescribunt ad libellos supplices, novosque peculii Dominici Quæstores feudatarios, ad fidelitatis juramentum confessumque admittunt, primum locum obtinente Præposito Donatiani, utpote perpetuo Flandriæ Cancellario; Bailivo, Procuratore fisci, Scribaque per Principem delegatis. *Computationum curia.* Computationum curia, ex Præside, quattuor Magistris, quinque Auditoribus, & duobus Scribis jam pridem ordinariis, coalescit, Lilæ stabilita. Examinat, expungit, sancit rationes calculosque fructuum, exorientium ex Dominicis prædiis, sylvis, portoriis: ex obventionibus confiscationum, mulctarum, bonorum pro derelictis habitorum, mari ejectorum, nothorum absque liberis morientium, ex juribus feudalibus homagiorum, aliarumque recognitionum: ex Bailivorum pensionibus, similibusque Principis emolumentis. Cui curiæ imprimis Quæstores illi hæreditarii, duoque receptatores generales mandatarii, alter Orientalis, alter Occidentalis nuncupati, ad rationes reddendas obnoxii sunt; non secus atque peculii dominici coactores atque debitores in Artesiæ, Hannoniæ, Namurci ditionibus, Mechliniæ, Tornacique. Quibus omnibus illi rationum indices, nihil absque gravi causa acceptum ferunt. Olim quidem majorem potestatem, Philippo Audace auctore illa curia nacta erat: nam duobus justitiæ administrandæ consiliariis aucta, omnia, quæ spectabant ad amplitudinem Principis, & qualescumque delatas querelas, decidebat; jus illinc relatione petentibus decernebat, Officiarios sive justitiæ, sive Patrimonii Principis administrandi, culpæ affines amovebat. Sed Ioannes ejus filius, ut cæteræ Flandriæ gratificaretur, consiliarios illos Iudices Aldenardam, & postea Gandavum transtulit: hanc ratiociniorum curiam Lilæ reliquit, originalia etiam Edicta & Privilegia publice à Principibus indulta, regestis asservantem.

Concilium Flandriæ. *Concilii Flandriæ* (sic enim vulgo nominatur) Lila Gandavum transducti, & amplificati, occasio nata est, partim ex origine & imitatione curiæ per Ludovicum Maleanum institutæ, quam *Audientiam* vocabat, judicantis de litibus auctoritati Vrbanorum Magistratuum non subjectis, præsertim de Scabinorum & Bailivorum corruptelis flagitiisque: post tamen extabescentis, quod Principi subditisque nimis esset sumptuosa; partim, ut Flandria paullatim à jurisdictione & resortitione curiæ Parisiensis dissueretur, & in integrum restitueretur. Constat enim ante Philippi Pulchri Gallorum Regis tempestatem, Parlamenti statarii Parisiensis jurisdictionem longissime extendere ambientis, Guydiumque Dampierrum subdolè evocatum detinentis, non Comitem modo, verum etiam omnes in Flandria Magistratus judicasse, amota provocatione; Gallisque dicentibus clientelæ à Flandris Regi debitæ, jurisdictionem, resortitionemque Gallicam includi, obnitebantur; tum ex antiqua & perpetuata Flandriæ judiciorum in contrarium consuetudine, tum exemplis Brabantiæ, Hannoniæ, Ditionisque Alostanæ: quæ licet in hominio S. Imperii sint, non pertinent tamen ad ejus jurisdictionem. E diverso Dendremondam & Gheersbergam (quamvis feudalem clientelam Flandriæ Comiti non debeant) subjectione tamen & Iurisdictione ejus comprehendi. Itaque Homagium & jurisdictionem esse res natura, interque se, disjunctas. Negari tamen non potest quin Philippus Austrius Primus Atrebati anno 1499, tunc cum pacis dotalisque Regni Hispaniæ invisendi avidus, Guydo Rochefortio Galliæ Cancellario fidem Flandriæ nomine daret, se submiserit veteri & usitatæ resortitioni; sed non semel controversum deinceps fuit, quid, quantumque per eas voces Gallo deberetur. Postremo, potissimam huic Provinciali Flandriæ Concilio causam præbuit, Philippi Audacis, ejusque filii, ob Caroli Sexti Galliæ Regis curatelam, frequens una cum Consiliariis absentia: eamque ob occasionem, Senatum certo quo ipsis placuit loco (fuit enim Aldenardam, Curtracum, Teneramondam, Ypramque subinde traductus) constituentium: qui Gandavi demum stabilitus est: ad quem, omnia quæ celsitudinem, & jura, auctoritatemque Principis in Flandria respiciunt, & Bailivorum, Monetariorum, Ecclesiæ, Provinciæque noxiorum, & Salvaguardifragorum crimina, cunctæque Vrbium & Castellaniarum inter ipsas, aut cum exteris controversiæ; ab illarum, cæterorumque Magistratuum sententiis appellationes, ac gratiarum remissionumque à Principe criminibus indultarum, verificationes deferuntur: cæteraque, quæ institutione & mandato Caroli Quinti Cæsaris ad annum 1522, undecimoque post anno supra ter quingentesimum publicato, continentur. *Nunc auctum.* Qui Senatus ex Præside, cui equestris dignitas statim adjicitur, Consiliariis octo, Commissariis quatuor jampridem constituitur: illis honoraria annua, his illorum vice, inquisitionum sive informationum emolumenta capientibus: additis & assidentibus Procuratore & Advocato Principis, Quæstore obventionum, Scriba Notarioque. Quibus omnibus, causarumque Patronis, Procuratoribus, accensis, ostiariis & nuntiis Concilii illius membris immunitas Gandavi suppetit ab oneribus urbicis vectigalibusque impositis esui & vino, cerevisiæque, non petitis poculatim ex popinis, sed in vasis penuque conditis.

Magi-

Magistratus, qui ad cujusque loci subditos respiciunt. Scabini.

Magistratus singulis in oppidis, Castellaniis, Dynastiis, potestatem obtinentes, partim Scabini, partim Baillivi nominantur: Quos Scabinos Latine efferimus, vulgo nostris *Schepenen* vocantur. Leges etiam, vulgo *de Wet*, quia Magistratus lex animata est, aut esse debet, communiter appellantur. Scabini jura & Privilegia populi defendunt. Lites in judicium deductas, ex norma statutorum & consuetudinum municipalium, aut illis deficientibus ex jure scripto decidunt: tormentis quæstionum adsunt, crimina examinant, vitæ necisque jus & facultatem habent: submonentibus, per concepta verba, Principis officiariis, populo audiente, sed supplicii condemnatos noxæ eximere ipsis nefas est: soli Principi permissum magis quam usurpatum. Politica edicta scissere illis licitum & usurpatum, Comite sanciente: at tributa similiaque onera subditis inducere, nisi Principe causas necessitatis cognoscente, imponendique oneris facultatem largiente, prohibentur: primum Ludovici Maleani, deinde Caroli Quinti Cæsaris ad annum 1516 constitutione. Illorum Præsides (quibus Senatus convocandi & dimittendi, ad eum referendi, primi consessus, & sententias circumrogandi jus & potestas est,) nuncupantur Gandavi, & in Yprensi, Bergensi, Burburgiaque Castellaniis, Primi Scabini: Ypræ, Bellæque Voegti, sive tutores: Bergæ Portmagistri: In Feurnensi Castellania Lanthouderi, quasi terræ custodes, adjunctique illis Scabini etiam Keurheri, seu electi Domini appellantur: Brugæ, cæterisque fere in Oppidis, & in terra Franca, Burger-Magistri, hoc est, quibus præcipua civium cura incumbit, nuncupantur: Antiquitus Scabini, licet ob justitiæ, largitione redemptæ, corruptelam, Comitis punitioni cum bonis suis semper subjacerent, dignitatem ante mortem non exuebant: nullamque pecuniæ publicæ administratæ rationem Principi, at inter se tantum reddebant: neque ab eorum sententiis provocare licebat, imò appellantibus sexaginta librarum Parisiacarum mulcta imponebatur. Verum Ioannæ Constantinopolitanæ, Guydique ex sorore nepotis industria, aulica prudentia, multoque labore effectum fuit, populo novitatis avido suffragante, ut quotannis per commissarios Comitis ordinarios, aut removeantur, aut prorogentur, atque ad rationes coram illis populoque purgandas, teneantur. Neque illuc admittebatur ullus manuoperarius, ut vocant, nisi jam anno diutius sese ab opificio removisset. Tandem Flandri, & Philippi Regis, quem diximus, cupiditate ambituque, Lutetiam sensim attrahebantur: & Philippi Boni circumscriptione pedetentim illinc erepentes, hujus contra Gandenses ad Gaveram victoria potentiaque gliscente, coacti sunt, Concilio Provinciali Gandavi fixo, parere: eoque res devenit, ut à cunctis Magistratibus ad Senatum Principis, Gandavi collocatum, appellare licitum sit, & Flandria diffusius litibus inundaverit; fori tabe, pecuniam Causidicis ut vi morborum precia medentibus, adferente. Porro singulis tum oppidorum, tum Castellaniarum Magistratibus in cogenda, expendenda, & annotanda publica pecunia, subserviunt Quæstores: illi Thesaurarii: hîc Receptores vulgo nuncupati: in oppidis frequentius bini, hîc singuli sunt; quos in plerisque urbibus, præterquam Ypræ, Principis Vicarii, uti Scabinos, eligunt: neque non Magistratibus perpetuo assistunt Assessores & Consiliarii per illos cooptati: quos partim Graphiarios, aut Secretarios, partim Pensionarios vulgo nuncupant. Quibus utpote juris tam scripti quam municipalis peritioribus, & in continuo, annuæque mutationi non obnoxio rerum usu versantibus, multum defertur: neque nobilibus id munus indecorum est. Extra ordinem etiam Magistratibus vocati adsunt, ejusdem antea ordinis (quos Notabiles appellant) unaque deliberant plerumque magis quam definiunt: neque cum opus est, illinc absunt Decani opificiorum, & Sodalitates quædam, quas nostri confratrias dicunt, gladiatorum & sagittariorum. Illi enses ancipites, longos, utraque manu peritè tractant: hi arcubus, sive chalybeis, sive acernis, spicula; aut sclopis manuariis, plumbeas pilulas ejaculantur; vel saltem illis classibus asscribuntur. Quibus pridem vestis erat bicolor, adjecto emblemate argenteo, ut noscerentur: Illorum usus in subitis periculis & terroribus tam intestinis, quam hostilibus opportunus est. Flandriæque Comites, antequam tot finitimarum ditionum accessione, aulicisque stipatoribus augerentur, ab uno oppido in aliud, honoris defensionisque causa, ab illis deducebantur: etiam pridem ad ornandum Principis vel adventum, vel inaugurationem adhibentur.

Cæteri Magistratus.

Bailivi.

Non minus Bailivi, quam Scabini per Principem committuntur, mutuasque operas tradunt. Quibusdam in locis, Brugæ imprimis, Sculteti vocantur, à Germanico vocabulo, **Schultessen** / Flandrico **Schultetten** & **Schoulteten**: nunc autem in aliquot Helvetiæ urbibus, publici Concilii caput, penesque Germanos Principes locorum Præfecti, vocabulo **Schuthessen** designantur. Nostris vero moribus, Bailivi, Schultetique, hoc modo, his officiis, à Scabinis differunt: Scabini judicant, Bailivi judicatum, & Scabinorum scita, Principumque constitutiones exequuntur; illi vocationem habent, hi prehensionem, missionem in carcerem, accusationem: illis quotannis honorarium: ab his Principi annua pecunia dependitur, ex mulctarum sorte computata; illi annuæ aut biennii mutationi obnoxii sunt: hi mandati diuturnioris limitibus. Denique Scabini jura populi; hi Principis magis respiciunt, eorumque Dynastarum à quibus committuntur: & Scabinos ad jus in propatulo tribunali dicendum ritè, & necessario submonent, atque tribunalis locum, potestatemque velut aperiunt: unde etiam tribunalia nostrati vocabulo **Vierschaaren** / hoc est, quatriturbæ nominantur: quia nimirum quatuor personarum illic usus est, Actoris, Rei, Iudicis, & Baillivi. Scabinos Baillivi dignitate & loco præeunt. In aliquot Castellaniis, præsertim Feurnensi, & in terrâ Francâ, Baillivis additur Crichouderus, sic dictus, quasi custos ligni, suprema sui parte transversarii, quod axillis subjectum, imbecilles sustentat: cujus forma argentea pedalis magnitudinis illi Magistratui, munere suo in publico fungenti, rite gestatur. Is Sca-

Is Scabinos in tribunali publicè tempeſtiveque ſubmonet, verbis conceptis: pupillares facultates inquirit, inſcribit, mulctatque earum interverſores: & auctiones rerum, præſente Iudice, venalium, maxime nobilium palam proclamat annotatque. Neque (ruri imprimis) deſunt Amanni, quaſi, Amptmanni, hoc eſt, viri officiarii: quorum partes ſunt, diebus Dominicis, peractisque ſacris, in cœmiterio, edicta Magiſtratus, privatorumque mandata præconari, triconibuſque debitoribus domi denunciare ut ſolvant, aut uti ultra legis municipalis præſcriptum cunctabundos, ad ſolvendum cogant; eorum bonis, mobilibus imprimis, venundatis in auctione. Poſtremo quemadmodum cæteris omnibus Bailivis certæ metæ unius vel oppidi, vel Caſtellaniæ, pagique circumſcriptæ ſunt: ita Ludovicus Maleanus quendam ſupremum rerum capitalium Quæſtorem, vindicemque, quem Souveranum Bailivum nuncupavit, anno 1374 inſtituit ad homicidas exuleſque vagabundos tota Flandria, & Antwerpiæ, Mechliniæque (quæ illi tunc parebant) apprehendendos, & ex ſententia duorum Comitis beneficiariorum morte plectendos, aut ex merito caſtigandos: cum prius illud muneris à Receptatore Generali Flandriæ gereretur, & uni utrumque onus nimium eſſet; tantis præſertim illius ævi commotionibus. Permiſſa illi muneri jam pridem, & à Carolo Quinto Cæſare anno 1543 approbata, auctoritate atque facultate relegationis abrogandæ, & furti, neque non homicidii ex caſu aut defenſione, ſimilique occaſione, magis quam inſidiis & præmeditatione reis, cæſique proximo conſanguineo, paſſiſque furtum, conciliatis, largiendi non ſolum ultro citroque commeandi quadraginta per dies ſecuritatem; verum etiam criminis condonationem: modo mulctæ pecuniariæ, ſecundum facultates, enormitateſque illorum reorum, ab ipſo imponendæ, fructus, non ad eum, ſed Principem redeat: Flandriæ Concilium de reis an vera faſſi ſint, cognoſcat. Sin autem Magiſtratus loci, cujus jurisdictioni reus, qui traducitur, obnoxius eſt; ſuæ illum cognitioni ſiſti petat, obtemperandum eſt.

Ammanni.

Souveranus Bailivus.

FLANDRIÆ PRINCIPES.

PRimus qui Flandriæ imperitavit, tituloque & jure Domini gaviſus eſt, fuit *Lidericus*, Comes Harlebecenſis, mari littoribuſque Belgicæ tutandis à Carolo Magno præfectus, ab eodem anno 792, in virtutis & fidelitatis mercedem perpetua littoris, mariſque, & etiam nemoris Flandrici ditione donatus eſt; & ab hac Caroli Magni donatione Flandriæ Princeps ab eo tempore non ſolum maritimus Imperator, & littoris præfectus, ſed etiam Saltuarius Sylvæ Flandricæ dictus eſt, ſive Foreſterus; huic vita conceſſo ſucceſſit filius

Engleramus Princeps optimus, quique talem ſeſe omnibus rebus geſſit, ut rem longe auguſtiorem quam acceperat, filio relinqueret; fuit is

Odoacer, vir ſtrenuus cum primis & Reipub. utilis, Principatum Flandriæ adiit circa annum 824, cumque per annos tredecim magna prudentiæ & fortitudinis laude ei præfuiſſet, vitam cum morte commutavit. Filius & ſucceſſor ei fuit

Balduinus Arduennenſis, cognomento *Ferreus*, ob inſigne corporis robur, & virtutem militarem; Iuditham Caroli Calvi Galliæ Regis filiam Navarræ Regis nuptiis deſtinatam, lubentem inſcio & invito patre ejus domum duxit, tandem à Socero in conjugium aſſentiente in gratiam receptus, ab eodem in Comitem, Paremque regni aſſumptus, Flandriæ præfuit annis ſedecim, & anno 879 è vita demigravit, ſucceſſit ejus filius

Balduinus Secundus, ab avo materno *Calvi* cognomen conſecutus, vir optimus, anno 39 imperii moriens, ingens populo ſui deſiderium, nec minora virtutum exempla poſteritati reliquit, deceſſit anno 918.

Arnulphus filius Balduini primogenitus, cognomine *Magnus*, Flandriæ per annos 48 præfuit. Obiit anno 964.

Balduinus Tertius jam à Patre vivente, ſed annis feſſo, gubernaculo admotus eſt, artem textoriam Flandriæ invexit, & Mercaturæ commercia auxit anno Imperii 3, poſt bellum in ſubſidium Lotharii Regis contra Normannos fortiter geſtum obiit 961. Balduino autem defuncto Arnulphus ejus Pater rerum curam pro nepote reſumſit, fuit autem is

Arnulphus Secundus anno Imperii 28, ſalutis noſtræ 988 ſupremum diem clauſit, ex Roſela Berengarii III, Italiæ Regis filia ſucceſſorem reliquit

Balduinum Quartum, *Pulchrobarbum* cognomento, virum probum juxta ac magnanimum, qui poſtquam per annos 48 Flandriæ tenuiſſet habenas, deceſſit 1036.

Balduinus Quintus, *Inſulenſis*, filius ejus, majorum amplitudinem ſuperavit, Guiielmum Normannum generum ſuum Angliæ regno introduxit. Relictam ab Henrico I Galliæ Rege, liberorum & Regni tutelam diutiſſime & integerrime adminiſtravit, Imperium ſuum Zelandiæ inſulis & terra omni inter Scaldim & Teneram fluvios ſita auxit. Regnavit annos 32, mortuus anno 1067.

Balduinus VI *Montanus* dictus, quod per conjugem Comitatum Hannoniæ, qui Montium ab urbe primaria dicebatur, obtinuit; Princeps bonus, juſtus, & pacis amans, deceſſit anno Imperii III, anno 1070. Filius ejus

Arnulphus III ſucceſſit, hunc matris in Flandros atrocitas & arrogantia, patruique violentia & victoria fortiter dimicantem vita & imperio ſpoliavit, cum annum ætatis attigiſſet 17.

Robertus I Friſius vir ambitioſus, liberalis & militaris, tutelam Arnulphi III, & Flandriæ adminiſtrationem ex fratris Balduini Montani teſtamento petens, cum ei hanc Pupilli Principis mater recuſaret, bello eam aggreſſus eſt, Flandriam ſibi vindicavit nepote in acie cæſo. tandem obiit poſt 21 Imperii annos, anno 1093. reliquit filium,

Robertum II *Hieroſolymitanum* à capta Hieroſolyma ſic agnominatum, qui anno 1111 è vulnere recepto exſpiravit.

Balduinus VII, à parva securi nomen *Securiculæ* adeptus est, Princeps celebri fama in Deum religionis, fidei in patriam, amoris in subditos, justitiæ in omnes severæ, decessit anno 1119, nihil liberorum relinquens, sed successorem amitinum proximum hæredem nuncupavit

Carolum Primum, Pium cognomento, è Canuto Daniæ Rege, & Adela Roberti Hierosolymitani filia natum, principem cunctos pietate & sublimitate corporis antecedentem. Interfectus autem est à suis (qui omnes postmodum sceleris hujus luerunt pœnas) admodum scelerate, dum Deo in templo preces fundit, anno 1126.

Guilielmus Normannus, cui Mathildis, Balduini Lilani Flandriæ Principis filia, avia, avusque Guillelmus Normannus Angliæ Rex, à Ludovico Crasso Galliæ Rege Flandriæ Imperio fuit intrusus, quamvis alii essent, qui eum proximitatis jure antecederent; sed cum Flandriam inique adeptam, improbius regeret, subditi eum ejecerunt, advocantes Theodoricum Alsatium; quem cum Guillelmus Alosti obsideret, ballistæ ictu interiit anno 1128. Successit

Theodoricus Alsatius, ex Gertrude Roberti Frisii Flandriæ Comitis filia, & Theodorico Alsatiæ Lantgravio natus: hic in alloquio blandus, in negotio justus, in Imperio moderatus, postquam Flandriam annos 40 feliciter gubernasset, obiit anno 1169.

Philippus Alsatius Magnus Imperium strenue gessit; ditionumque amplitudine majores antecessit, Terram Wasiam ut & Comitatum Alostanum Flandriæ perpetuo annexuit, primus antiqua Flandriæ Comitatus insignia atri Leonis signo commutavit, præfuit Flandriæ annos viginti tres, in obsidione Acræ Ptolemaidis peste absumptus; Margareta sorore herede nuncupata interiit anno 1190.

Margareta I, ejus sexus, Balduino IV Hanoniæ Principi, Balduini Lilani atnepotis ex Balduino Montano legitimo Principe originem ducentis uxor, Princeps summa formæ, morumque bonitate laudatissima, post quatuor Imperii annos obiit, anno 1194. Filius ei successor

Balduinus VIII, qui Constantinopoli bis capta, & Alexio Imperatore sine liberis defuncto, ob res præclare gestas communibus suffragiis anno 1202 Orientis Imperium est consecutus; magna prudentia, & moderatione Imperium administravit, à Bulgaris (anno Imperii Occidentis ejus secundo, Flandriæ undecimo, Salutis nostræ 1204.) captus, in carcere membratim dissectus est. Successit in Flandriæ Comitatu ejus filia

Ioanna Constantinopolitana Ferdinando, Sanchii Portugalliæ Regis filio minori natu, dein eo extincto, Thomæ Sabaudiæ Comitis fratri nupta, vigesimo regni anno, salutis vero nostræ 1244, nullis relictis liberis, naturalem fati conditionem implevit.

Margareta II *Constantinopolitana* ejus soror vidua ad principatum pervenit, Princeps Patris augustæ memoriæ, vigilantiæ ac fortitudinis æmula, trigesimo sexto principatus anno mortalitatem explevit, ad annum 1279, hæredem relinquens filium, ex marito Guillelmo Borbonio Dampierræ & San-Desirii Dynasta, genitum

Guydum Dampetram, à paternæ familiæ Dynastia sic nuncupatum, hoc Principe nihil afflictius, nihil fuit fœcundius, conjuges efflorescens varios procreavit liberos; sed belli sorte ab Hollando captus est, dein à Rege Galliæ bis iniquæ deceptus custodiæ mancipatus, in qua anno 1304, Principatus 25 Compendii supremum diem clausit.

Robertus III *Bethunius*, ejus filius & successor, ex Yolanthide Nivernii Domina, Odonis Burgundiæ Ducis filia, secunda uxore, (nam primis nuptiis Blancam Neapolis & Siciliæ Regis filiam uxorem duxerat,) binos procreavit filios, Ludovicum præ patre mortuum, & Robertum Casletanum, qui Ludovico ex fratre majore nepoti, avo per transactionem nuptialem successuro cessit, mediante certo proventu annuo: obiit Robertus III anno salutis nostræ 1322, principatus vero ejus decimo octavo.

Ludovicus I, *Cressiacus*, non ordine naturæ, neque regionis more, sed conventione, in Flandriam avo paterno successit, in Galliis educatus, illisque quam Flandriæ commodis addictior, Flandrisque eam ob causam invisus & despectus, seditionibus miseriisque causam dedit, infeliciter turbideque Flandriam administravit annis 47, mortalitatem explevit anno 1383.

Ludovicus II, Cressiaci filius, à Mala pago genitali cognomen *Malensis* consequutus est, Princeps in libidinem pronus, luxu impendiisque infinitis populo gravis, cæterum potentiam Gallo-Flandriâ recuperatâ non parum auxit: primus monetam auream cudi jussit; tum obiit anno imperii 37, salutis vero nostræ 1383, unicam legitimam filiam reliquit, plurimorum illegitimorum liberorum parens,

Margaretam III, Philippo Valesio Audaci, Burgundiæ Duci nuptam: hic Caroli VI, Regis Galliæ nepotis sui gessit curatelam, Princeps magnanimus, moribus victuque temperatus, affabilis, providus; latronibus & grassatoribus inexorabilis, ingeniosus tributorum exactor. è vita discessit anno 1404. Margareta altero post maritum anno apoplexia, aut certe morte subita ac inopinata oppressa est, post annos principatus 21.

Ioannes Burgundus, *Intrepidus*, præcedentium filius, anno 1405 ad Principatum pervenit, Princeps animi ingens, pace & bello insignis, & Flandris percharus; cæterum ejus jussu occiso Ludovico Aurelianensi Duce semina jecit longissimi & funestissimi Francicam inter & Burgundicam regias odii atque belli, in ejus cædis vindictam Monstrolii ad Yonam jussu Caroli Delphini Franciæ necatus est anno salutis nostræ 1419, regni vero ejus 15.

Successit *Philippus* à morum facilitate *Bonus* dictus. Reliquos Flandriæ Principes pete ex Generali nostra Belgii descriptione, ubi reliquos usque ad hodiernum Philippum IV Hispaniarum & Indiarum Monarcham, Flandriæ Comitem, invenies deductos.

EPI-

EPISCOPATVS GANDAVENSIS.

Epiſcopatus Inſtitutio.



Hilippus Bonus Burgundiæ Dux, Imperii Belgici Princeps, cum multa ad novi in Belgica Imperii dignitatem verſare in animo conſilia conſueſſet, tum illud agitare ſolitum fuiſſe accepimus, uti cum tot Provinciis unum modò haberet Epiſcopum Atrebatenſem, loca cætera peregrinis Epiſcopis parerent, novos ſuis Provinciis dari à Romano Pontifice Epiſcopos poſtularet. Verum cum perficere rem eam Philippus non potuiſſet, neque filio Carolo à bellis ocium exſtitiſſet, factum eſt uti Cæſar Carolus hoc abavi ſui conſilium animo ſæpenumero ſecum repeteret, quod ad Imperii dignitatem perutilem eam rem futuram judicaret. Verum cum neque ipſe à bellis otium inveniret, & modo Cardinalis Erardi à Marca, modo Georgii ab Auſtria patrui nothi, Epiſcoporum Leodienſium gratia atque auctoritate impediretur, factum eſt uti, antequam imperio decederet, conficere rem eam Cæſar non potuerit. Suſcepta inde ejus cogitatio à filio Philippo. Mandata eſt itaque à Rege ea res Legato, quem Romæ apud Paulum Quartum habebat, miſſus etiam è Belgio, qui Legato operam in eo negotio præſtaret, *Franciſcus Sonnius* Theologus Lovanienſis & Canonicus Vltrajectinus. Propoſitam ſibi rem Pontifex ſeptem Cardinalibus examinandam committit; referunt delecti Cardinales licitam eam eſſe diviſionem, tum quod ex rationes ſeſe offerrent quæ jure ſcripto continentur, tum quod hæreſibus ea pars Germaniæ infecta eſſet. Expedire quoque uti ea trium videlicet Archiepiſcopatuum & tredecim novorum Epiſcopatuum inſtitutio ac diviſio, cum Atrebatenſi & Tornacenſi quoad limites aliqua facta mutatione admittatur: eſſe enim per ea loca eam territoriorum atque idiomatum diverſitatem, ut neque extra ſuas provincias in jus vocari, neque vocati niſi per interpretem intelligi à ſuis Epiſcopis homines poſſint; eam quoque provinciarum atque urbium multitudinem, eam doctorum hominum copiam iſtic reperiri, uti eccleſiæ univerſæ hominumque per ea loca ſaluti utiliſſima ea res ſit futura. Ob illas itaque rationes Paulus Quartus anno 1559 diploma, quo præcipua ac jam dicta hujus inſtitutionis motiva continentur, ad Regem & Provincias Belgicas miſit.

Sic igitur cum aliis in Belgica novis, novus etiam Gandavi in eccleſia D. Bavonis, quæ antea Divo Ioanni Baptiſtæ ſacra erat, & urbis illius primaria, Epiſcopatus inſtitutus, & è bonis monaſterii Bavoniani, cujus Monachi ob alias ante cauſas facti fuerant in eadem eccleſia Canonici, dotatus fuit.

Diviſio Epiſcopatus Gandavenſis.

Diviſus eſt Gandavenſis Epiſcopatus in Archipresbyteratum ejuſdem urbis unum, & Decanatus rurales ſeptem. Sub Archipresbytero civitatis decem conſtitutæ ſunt Parochiæ. Prima in eccleſia Cathedrali S. Bavonis. Altera in Collegiata S. Pharahildis. Tertia S. Iacobi Majoris. Quarta S. Nicolai. Quinta B. Mariæ Virginis in monte Blandinio. Sexta D. Michaëlis Archangeli. Septima S. Martini in Ackerghem. Octava S. Salvatoris; de quibus in urbis deſcriptione fuſius locuti ſumus. Nona Ghentbrugghe, ubi Patronatum habet Gandavenſis Epiſcopus, & Dominium Temporale Baro de Rode; eccleſia ſacra eſt Apoſtolis Sanctis Simoni & Iudæ. Decima Ooſtackere, quæ eccleſiam habet D. Amando nuncupatam, Patronum Gandavenſem Epiſcopum, & eundem Dominum temporalem.

Decanatus Rurales,

Decanatus autem rurales ſunt Everghemienſis, Waſiæ, Hulſtenſis, Teneramundenſis, Aldenardenſis, Donſanus, & Tiletanus.

Everghemienſis,

Sub Everghemienſi Decanatu Parochiæ ſunt 25.

Sleydinghen	Zelzate
Lovendeghem	Eertvelde
Vinderhoute	Cluſen
Somerghem	Aſſenede
Ronſele	Saffelaere
Ooſtwincle	Wincle
Mariekercke	Seven eecken
Wondelghem	Loo Chriſti
Waerſcot	Deſſelberghe
Ooſteeclo	Heuſdene
Baſſenelde	Mendonck
Bouchaute	Deſſeldonck.
Querghem	

Waſiæ,

Sub Decanatu Waſiæ Parochiæ 23.

Belſele	Melſene
Burcht	Nienkercke
Beveren	Rupelmonde
Baſele	S. Nicolai
Crubeke	S. Pauli
Dackenam	Sinay
Exaerde	Stekene
Aeſdonck	Temſche
Elverzele	Tielrode
Kemſeke	Waesmunſter
Lokeren	Swyndrecht.
Moerbeke	

Hulſtenſis,

Sub Decanatu Hulſtenſi Parochiæ 21.

Hulſtum eccleſia S. Willibrordi, Dominium temporale habet hic Comes Flandriæ; eccleſiæ Patronatum Decanus & Capitulum B. Mariæ Virginis Cortraci. Extra oppidi muros ſe Parochia extendit in Abſdale, Clynghe, Stoppeldyck, Dullaert, Lamſwerde & Grouda.

Beooſtenblye	Saemſlacht
Zuytdorpe	Axele patronatum ec-


EPISCOPATVS
GANDAVENSIS.
Iohannes et Cornelius Blaeu
Excudebant.
Rev.mo et Ill.mo Dn̄o.
D. ANTONIO TRIEST, Episcopo Gan:
davensi, Comiti de Heverghē, Eprendonck, Mendonck;
Domino territorij Sancti Bavonis, etz. hanc
accuratissimam sui Episcopatus tabulam
D.D. Ioh. et Corn. Blaeu.
1 2
1000 2000
2 Milliar. Flandr. sive 2000 Virgæ Flandr.
Noord zee
Vlissingen
Brugge
Oudenburg
Oostende
Sluys
Aerdenburg
Middelborch
Ter Goos
Den Hont
Wester Schelde
De Ooster Schelde
Axel
Hulst
Santvliet
Antwerpen
Gendt
Deynse
Cortryck
Audenaerde
Aelst
Nienove
Gheersberghe
Dendermonde
Toten
Decanatus Deynsanus
Decanatus Aldenardensis
Decanatus Denrmondanus
EPISCOPATVS MECHLINENSIS PARS

10.

clesiæ habet Dominus de Heule.
Olene & Triniteyt
Willemskercke & Vrodyck
Aendyck
Poldere van Namen
Saeftinghe B. Mariæ
S. Ioannis ad Lapidem
Saeftinghe B. Laurentii ubi Patron. Episcop. Gandavens.
Kildrecht
Verrebrouck
Calloo
Ossenesse
Heynsdyck
Pauwels Polder
Viacene
S. Ægidii
Wachtbeke
Hontenesse.

Teneramondanus,

Sub Decanatu Teneramondano Parochiæ 21.

Ecclesia Collegiata & parochialis B. Mariæ Virginis. Oppidi Dominium habet Comes Flandriæ; curam Pastoralem dat Decanus & Capitulum ejusdem ecclesiæ.

Parochia S. Ægidii ubi patronatum habet Abbatissa de Zwyveke

Gremberghe	Scellebelle
Zele	Wettere
Hamme	Lebbeke
Moesche	Vlassenbrouck
Nieuborch. *Sed ecclesia nunc est diruta.*	Baesroode
	S. Amandi
Beerlaer	Manekercke
Wtberghe	Bornhem
Overmeere	Hinghene
Calkene	Hoboke.
Laerne	

Aldenardensis,

Sub Decanatu Aldenardensi Parochiæ 26.

Ecclesiæ S. Walburgis in oppido Aldenardensi, cujus Dominium temporale habet Flandriæ Comes, simul & ecclesiæ patronatum.

Pamele itidem in oppido, ubi Dominium temporale spectat ad familiam de Locquengien; ecclesiæ patronatus ad Abbatem Eynamensem: ecclesia dedicata est Virgini Matri.

Beveren	Cruyshautem
Heyne	Woorteghem
Heurne	Peteghem
Singem	Elseghem
Asperen	Vivia S. Eligii
Eecke	Olsene
Gavere	Oycke
Mullem	Nokeren
Auweghem	Ghiselbrechteghem
Huysse	Mooreghem
Leda	Wareghem
Wanneghem	Zulte.

Donzanus,

Sub Decanatu Donzano Ecclesiæ 25.

Ecclesiæ Parochialis B. Mariæ Virginis & S. Ægidii in oppido Donzano habet personatum.

Zeveren	Merendre
Nevele	Vorselaere
Hansbeke	Leerne B. Mariæ
Landeghem	Baerle
Bachten	Afne
Leerne B. Martini	Laethem
Dronghene	Zeeverghem
S. Denys	Nasareth
Zwynaerde	Astene
Messene	Machelen
Meyghem	Duerle
Poesele	Peeteghem.

Tiletanus.

Sub Decanatu Tiletano Parochiæ 22.

Ecclesia Tiletana dedicata S. Petro in oppido Tiletano, quod tria millia jugerum continet, extraque illud duo millia octingenta, sub Dominio est Comitis Flandriæ, patronatum ecclesiæ habet Capitulum Harlebecanum.

Ruyslede	Aelteren
Knesselaere	Vrsele
Bellem	Loo ten Hulle
Vinct	Caneghem
Aersele	Wouterghem
Grammene	Gotthem
Denterghem	Markeghem
Oesselghem	Waecquen
Vivia S. Bavonis	Wielsbeke
Roosbeke	Muelenbeke.
Emelghem	

Verum ante annos aliquot permutatione ecclesiarum inter Mechliniensem Archiepiscopum & Gandavensem Antistitem facta sub titulo Sancti Levini in Holthem ad Gandavensem diœcesim accessere,

Ghysteele	Gouterode
Holthem S. Levini	Lemberghe
Merlebeke	Melle
Oosterzele	Vlierzele
Baveghem	Lanscoutere.

Episcopi Gandavenses.

I. Cornelius Iansenius.

Primus Gandavensi Ecclesiæ præfuit *Cornelius Iansenius* Hulsta Flandriæ oppido natus. Lovanii in Castiensi Gymnasio Philosophiam, dein sacra studia in majori Theologorum Collegio sectatus est. Post lectoris munus in Tongerlo Præmonstratensis in Brabantia ordinis Abbatia, per annos plus minus duodecim implevit, tantoque fere tempore apud Cortracenses pastor ecclesiæ S. Martini fuit. Lovanium reversus laurea Doctorali insignitur, & Decanatu ad S. Iacobum donatur. Tridentum à Philippo secundo missus, ac tandem in patriam redux, primus Gandavensium Episcopus designatur. Senio confectus obiit Gandavi, anno 1576.

Post Iansenium à Rege Catholico designatus fuit Episcopus Gandavensis Ioannes Funccius, rerum Belgicarum in Hispania præses, sed ante confirmationem obiit. Post Funccium Matthæus Ruckebusch Metropolitanæ Cameracensis ecclesiæ Decanus & Archiepiscopi Barlaymontii Vicarius generalis, qui Cameracena civitate ab hostibus occupata terrenos honores Montibus Hannoniæ anno 1586, die 19 Aprilis, cum cœlestibus commutavit.

II. Gulielmus Lindanus.

Wilhelmus Damasi Lindanus Dordraci in Batavia nobili loco natus, primus antea Ruremondensis Ecclesiæ antistes. Secundus Gandavensem Cathedram tenuit: Adolescens varia Christiani orbis gymnasia lustravit. Adpulit autem ingenium ad sacras litteras tanta sedulitate, ut earundem professor eximius in Dilingana Suevorum Academia renunciaretur. Vnde reversus Lovanium laurea donatus, primus apud Geldros Ruremondensium Episcopus constitutus est; sed ob grandes temporum motus septimo demum post anno in possessionem admissus, arduum inprimis ac periculosum disciplinæ Ecclesiasticæ, ac reformandi Cleri negotium aggreditur. Semel iterumque exul, dum militum rabie, & tumultu

multu plena sunt omnia, anno 1578, relictis ovibus, pastor Romam proficiscitur. Altera Romam instituta profectione anno 1584, & absoluta anno 1588, ad Gandavensem Cathedram promovetur, ubi cum vix manum clavo admovisset, annis sexaginta major decessit.

III. *Petrus Damantius.*

Petrus Damantius Mechliniensis I. V. Doctor, germanus frater Nicolai Damantii I. V. Doctoris Brabantiæ quondam Cancellarii, Episcopatum insigni cum laude administravit. Vir candidus imprimis & animi apertus; Præposituram antequam Episcopus fieret habuerat ad S. Salvatorem Vltrajecti, Decani etiam dignitate in Ecclesia Gandavensi illustris, obiit anno Domini 1609.

IV. *Carolus Masius.*

Carolus Masius è nobili & generosa Masiorum prosapia, primum Antwerpiensium Decanus, post Serenissimorum Archiducum Austriæ Alberti & Isabellæ Belgicæ Principum eleemosynarius, exin Iprensium Antistes, ac demum ad supremum hujus D. Bavonis ecclesiæ culmen evectus, vir magnis animi corporisque dotibus exornatus diem supremum obiit anno Christi 1612.

V. *Henricus Franciscus vander Burgh.*

Henricus Franciscus vander Burgh, I. V. Licentiatus Lovaniensis, Gandavi natus, & in D. Nicolai Parœcia salutaribus Baptismi undis tinctus, patrem habuit Ioannem vander Burch, post varias & illustres alias in Repub. functiones sanctioris in Belgio Concilii Præsidem; primum Decanus Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis fuit, ejusdemque diœcesios Vicarius generalis, post ad Episcopatum Gandavensem assumptus est, eandemque provinciam magna etiam prudentiæ & pietatis laude gessit. Synodum Diœcesanam celebravit, & edidit, demum ad Cameracensem cathedram evocatus est.

VI. *Iacobus Boonen.*

Iacobus Boonen, I. V. Licentiatus Lovaniensis, paucis annis, sed insigni cum laude, Gandavenses Infulas tulit, decessit anno ætatis 82, 30 Iunii 1655.

VII. *Antonius Triest.*

Antonius Triest Comes Evergemiensis, Mendoncque & Sprendocque dominus temporalis dominii S. Bavonis ratione Episcopatus sui, & plurium parochiarum, aliorumque locorum sub potestate Provinciarum Vnitarum sitorum. Ex nobili Triestorum prosapiâ apud Gandavenses, filius videlicet Philippi Triest Equitis Aurati, & domini d'Auweghem, frater Iodoci Baronis d'Auweghem. Canonicus primo Ecclesiæ Cathedralis Gandavensis, exin ab Archiducibus Alberto & Isabella assumptus fuit ad Oratorium aulæ Bruxellensis tanquam Capellanus honorarius; tum factus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ Cathedralis: posteà ad nominationem eorundem Archiducum promotus ad Decanatum Ecclesiæ Cathedralis S. Donatiani Brugensis, ac demum an. 1617 designatus Præsul Brugensis, dignitatis illius Episcopalis possessionem iniit eodem anno, solemniterque in dicta Ecclesia consecratus 2. die mensis Iulii à Matthia Hovio Archiepiscopo Machliniensi; denique anno 1620 ab iisdem Archiducibus destinatus ad hanc vacantem Ecclesiam Gandavensem; in qua, post confirmationem Apostolicam solemniter receptus fuit 1621, die 7 Aprilis: quo anno memoratur in funere Alberti Archid. lectus postmodum testamenti executor, Elisabethæ item Archiducis anno 1633, Kalend. Novembr. mortuæ. A multis annis nomine dictorum Archiducum legationem obivit apud Henricum Lotharingiæ Ducem anno 1617, mense Novembri, pro matrimonii promotione inter Ducem Carolum & Nicolæam ejus conjugem, aliisque magni ponderis negotiis. Isabellæ Hispaniarum Infanti Belgii Principi, ac deinde Gubernatrici imprimis carus fuit, & ob fidelem operam in difficillimis Reipublicæ negotiis diu præstitam, ab eadem assumptus fuit ad Consilium Status Belgici.

VIII. *Carolus vanden Bosch.*

Carolus vanden Bosch natus Bruxellis 21 Martii 1597, educatus Namurci & Ruræmundæ sub disciplina parentis viri Amplissimi Francisci vanden Bosch, dum illic Præsidem Concilii, hîc Geldriæ Cancellarium ageret. Profectus Romam in comitatu Amplissimi viri Philippi Maes avunculi sui, quem ad Sedem Apostolicam Agentem legarunt Seren. Principes Albertus & Isabella; ibi per plures annos studiis operam dedit: in Belgiam reversus Iuris utriusque Lovanii factus Licentiatus anno 1621: mox Capellanus Aulæ, Canonicus Gandavensis, ac Montensis, demum Decanus Ecclesiæ Cathedralis S. Donatiani Brugis renuntiatus 5. Iunii 1630. Exinde novus Brugensium Episcopus inauguratus 5 Iunii 1651: ac postea translatus ad Episcopatum Gandavensem, cujus possessionem adiit 8 Iunii 1660.

CASTELLANIA VETERIS BVRGI GANDENSIS.



Astellaniæ veteris Burgi Gandavensis à vetere Burgo sive Castro Ganda originem esse, vel nomen ipsum indicat. *Remanet*, inquit Gramajus, *ex diruta Gandæ arce peculium* XLVI *vicorum, qui in quaterna distributi membra, duobus obnoxii tribunalibus Castellania Audenburgi Gandensis vocantur*, qui, eodem asserente, post eversum, aut à monachis S. Bavonis occupatum vetus Burgum, in Petram Comitis translati sunt. Fuit autem castrum Ganda eo loco situm, ubi olim asceterium D. Bavoni sacrum fuit; ob eamque causam frequenter etiam Gandæ nomine quasi proprio indigetatum. Ita nimirum vocat illud diploma Caroli Calvi anno 865. Ita Ottonis anno 976. Ita Caroli Magni 794, & aliorum non aliter *Monasterium quod dicitur Ganda, & est constructum in honorem S. Petri Apostolorum Principis, ubi etiam gloriosus Christi confessor* (Bavo videlicet) *corpore quiescit.* Chronicon quoque S. Bavonis ad annum 828, reliquias S S. Marcellini & Petri delatas ait *ad Cœnobium Gandæ quod situm est in valle Legiæ, loco Ganda vocato, ubi idem amnis Scaldis dicto flumini Legiæ jungitur.* Hujus verò Castri Gandæ sive Veteris Burgi dominatu potitus est Flandriæ Comes post annum 1174. & mortem Theodorici Principis Alostani, unaque clientelis ac pagis Castellaniæ Audenburgicæ Gandensis nomine censitis, adeò ut juxta Gandavum, & in ipso quadrifariam oppidi dominatu fruatur idem Comes; Castello enim novo Cæsari erepto, idem gaudere cœpit & appendice Ambachtorum ad annum 1120. Tractu vero pagi Menapisci versus Trunchinium, tanquam *Comes & Advocatus* potiebatur. Vnde rescripto anni 1087 de Trunchinio ait Comes: *Condonare se ei, quidquid Comitatus & Advocationis ab antiquo antecessores tenuerant.* Blandinio denique ac vicinis titulo Principatus Harlebecani ab antiquis imperabat, ob hoc Galliarum Regis usque ad tempora Caroli Quinti, ob illa Cæsaris olim cliens fiduciarius.

Castri Gandensis Situs.

Conditor.

Situm veteris Burgi sive Castri Gandensis, à quo radicem suæ Iurisdictionis habet Castellania, invenimus, non ita initia, vel auctorem; si tamen suffragium nostratibus historiis damus, à Iulio Cæsare vel conditam, vel cognominatam arcem hanc fatebimur. Vocem Gandæ repertam in veteribus schedis etiam tomo V. Decadis rerum Flandricarum fatetur Meyerus. Vnde & Petrarcha Italus epistolâ ad Cardinalem Columnam *Gandavum* vocat *Cæsare conditore superbum.* Nec inani gloria, cum indies ager Castello olim Gandensi obnoxius, infinita Romanæ antiquitatis eruat monumenta. Sed ut ante diximus, à Castro Ganda ad Petram Comitis, arcem à Balduino Ferreo ædificatam, migravit Castellania, juxta quam, aut intra illius potius pomœria, ære collatitio hujus agri in altum educta, splendida, & egregia domus, in qua è præcipuis aliquot viri nobiles & honorati in eadem Castellania feuda possidentes, jus dicunt, Audenburgicumque tribunal moderantur; plerique eorum etiam Toparchias in eadem Castellania habent. Prætorum vero prima in hoc urbis nostræ territorio dignitas est. Pagos universim, nec male Gramajus distinxit in Curiam, ac Vasallagia. Curia à Margareta Constantinopolitana pagis alium à Comite Dominum non agnoscentibus præscripta, ad duo tribunalia, occidentale apud Sledingam, orientale apud Desseldoncam stabilitum, revocatur. Vasallagia verò à Dynastis utriusque ordinis beneficio Comitis sæculare imperium adeptis, aut capitatim possidentibus, velut erepta sunt communi, & utili Principis Flandriæ Dominio. Et prout ecclesiastici Prælati potissimum Bavoniani & Blandinienses loca suæ jurisdictionis acquisierunt emancipata, nec relevium Comiti debentia; ita sæculares fere hæreditatem suam à Castro Audenburgi in feudum accipiunt, & hominibus castri ab antiquo subjiciebantur. Cum autem ad commune subsidium aut precaria conferant, de quibus potiora Castellaniæ membra solent dispicere, tribunal ad hoc & comitia hebdomadatim habent, quæstorem item unum fere perpetuum, Iurisconsultos etiam binos, cum actuario sive scriba. Solet porro quatuor Balivorum districtus totam hujus Castellaniæ ditionem partiri, Audenburgi nimirum, S. Petri, S. Bavonis, & Nevelani, & pagos habet incolis, cum per bella licet, & omnimoda fruge florentes.

Divisio Castellaniæ.

Gandavum.

Priusquam vero particularia hujus Castellaniæ describam, operæ pretium duxi pauca de Vrbe Gandavo proferre; est itaque Gandavum urbs primaria, conditum vulgi opinione, tum Historicorum omnium recentiorum consensu, (nam apud veteres altum de ea silentium) tum Petrarchæ, aliorumque judicio, à C. Iulio Cæsare, cum in Morinis ageret. Mejerus hos versus incerti Poëtæ citat:

Hanc Clarinæam veteres dixere coloni
Gorduni, populique truces coluere Sicambri,
Mercurio Cæsar, Christo sacravit Amandus.

Enimvero Gordunorum mentionem facit Cæsar lib. 5 de bello Gallico. Postea à Wandalis dicta est Wanda, & litteræ primæ mutatione Ganda,

Ganda, ut Walli, Galli, hinc Gandavum vernacule dicitur *Gent*, Italis *Guante*, Gallis *Gand*. Constituit primum Flandriæ membrum: Sita est quarto à mari lapide, juxta tres fluvios, Scaldim, Liesam, & Levinum: è quibus in mare patet via per aquæductum, quem vocant *de Nieuvaert*, qui se ad ostium *Sassen* exonerat, cataractis ad hanc rem stupendo artificio exstructis. Decem milliaribus distat Antverpia, totidem Bruxellis, Mechlinia, Middelburgo. Ambitus intra muros est 45640 pedum Romanorum, hoc est Italicorum milliarium septem. Insulas habet XXVI, pontes majores XCVIII, molas aquarias IV, trusatiles infinitas, centum quæ vento aguntur: Ecclesias in universum LV: Abbatias V, quarum prima & antiquissima est B. Petri, in monte Blandino constituta, à Dagoberto Franciæ Rege, anno 640, post annuntiatam hic Christi doctrinam à S. Amando Episcopo Tungrensi. Cives hujus civitatis frequentia, nobilitate, opibus, animis eximii sunt. Hæc Carolum V Cæsarem orbi dedit. Opificiorum genera in hac urbe LII, textorum præterea ordines XXVII, instituti primum à Comite Balduino, filio Arnoldi Magni, anno DCCCLXV. Quarto ab urbe lapide austrum versus, inter pagos *Sottegem* & *Velseche*, ruinæ conspiciuntur murorum antiquæ, cum profundis fornicibus, è quibus numismata Romana Neronis, Gordiani, aliorumque Imperatorum, ad Constantinum usque Magnum, effodiuntur. Item vasa & signa ex metallo Apollinis & Mercurii. unde, ob tractus fertilitatem & opportunitatem situs, judicatur hic olim fuisse vel egregium oppidum, vel castrum saltem & propugnaculum Romanorum. Numerari insuper perhibent Gandavi circiter tricies quinquies mille domos, & tredecim rerum venalium fora, inter quæ potissimum eminet id, quod vulgo vocant *de Vrijdachsmerckt*; quod videlicet maxime frequentetur diebus Veneris, hebdomadario urbis mercatui dicatis. In hoc foro Hispaniarum Infans Isabella statuam posuit Carolo V, Imperatori, avo suo paterno, Flandriæ Comiti. *Politia* ejus, & reipublicæ gerundæ forma sæpius per Principes immutata est: sed præcipua magisque notabilis & durabilis ea Senatus formatio fuit, quæ Philippo Pulchro Galliæ Regi, Guidi Principis captivi Flandriæque potienti, adscribitur: is enim anno 1301 magistratum sic instituit, civium assensu, ut annuatim octo cives, per Principis legatos urbemque ipsam electi, crearent viginti sex honestos idoneosque Scabinos, quorum origo anno 1281 fuit, qui à Principis vicariis in tredecim *Curiones*, hoc est, status publici electos custodes, legislatores, totidemque, quos partitionum vocant, de hæreditatibus, tutelis, injuriis, similibusque cognoscentes, discernebantur. At plebeii, postea quæstu insolescentes, obtinuere, ut illi viginti sex Scabini ita distincti, ex tribus hominum generibus per illos octo apolectos desumerentur: *Civium* puta, de suis reditibus viventium: *Opificum* sive *Quæstus*: & *Textorum*: plebeis numero potioribus: quibus omnibus tres supremi *Decani* præerant: Primus Scabinus primis annum: alter opificum 52 Collegiis, totidemque decanis biennium: tertius annum textoribus, in 27 vicos tribusque dis-

paratis. Unde perturbatio urbis sæpissime scaturiit. Nam orta frequenter levi de causa consternatione, illi tres, ceterique inferiores decani, cum armatis collegiis, sonante classicum campana, horarum nuncia, cui Rolando nomen, undecies mille pondo gravi, in turri Bellaforti, anno 1317 primum appensa, vexillisque expansis, in forum maximum procurrebant, impares turbis reprimendis. Multitudo enim tumultuosa, novitatis studio, aspectuque virium suarum audacior, præfectis suis facillime obaudiebat: donec Carolus Bellicosus, ejusque pronepos Carolus V, Cæsar institutum illud Philippi Pulchri, quod à Maximiliani Burgensi detentione Gandavum resumpserat, abrogarunt; atque coegerunt, ut virorum 26 Scabinatus, in duo tribunalia, ut ante, divisus, per Principis solummodo vicarios ordinarios, quotannis ad decimum Maji diem, pro arbitrio crearetur. Porro tam ingentibus hæc urbs sub Guido Dampierro animis fuit viribusque, ad annum 1297, ut Eduardum Primum Angliæ Regem florentissimum cum filio, & viginti peditum, quatuor equitum millibus, qui illic, & in vicinia Mariækerkæ, contra Gallos hyemarant, non sine cæde expulerint: quia ob inducias cum Gallis pactas, discessuri, inscio Rege, ejusque consilio, ignem aliquot locis submiserant, ut urbem prædarentur: & tam enormi sub Ludovico Maleano licentia efferbuit, ut intra decem menses quadringenta supra mille ibi vicinisque in agris homicidia patrata sint in ganeis, alea, venere, ebrietate famosis: tantaque ea tempestate multitudine inundavit, ut octoginta virorum millia (si verus est Froissartus) censerentur, qui per ætatem quindecim annos excedentem, sexaginta non egressam, arma ferre poterant. Carolus Magnus, D. Ludovicus Galliæ, Eduardus Primus cum filio, & Tertius, Angliæ Reges, hanc urbem frequentarunt: uxore etiam Eduardi Tertii, filium Ioannem, cui Gandavensi, jussu patris, agnomen fuit, Lancastriæ postea Duci, ibi pariente. Plura discere de splendore, magnificentia, amplitudine, opibus & operibus augustissimæ hujus urbis qui cupit, nostram in Theatro Belgii Regii ejus descriptionem, & Antonium Sanderum in Flandria Illustrata adeat.

Pagi & dominia.

Pagi vero & Toparchiæ hujus Castellaniæ sunt complures illustres, & primo quidem loco se nobis offert

Aelteren, pagus notabili magnitudine, ad bis mille bonaria se extendit, situs ad quartum ab urbe Gandavo lapidem, arabilis & sylvosus. Dominium fuit apud Illustres Prati & Wostinæ Barones, dictos à Flandria. Insita huic loco & per viciniam se spargit nobilis Toparchia *de la Woestyne*. ecclesiæ patronatum possidet Abbas sancti Martini Tornacensis: loci dominationem temporalem illustris Baro de Tornebu Normannus.

Afsnede; pagus ad alterum fere lapidem ab urbe Gandavo situs inter Scaldim & Legiam. Sylvas habet montosas, & ab altero latere prata ad confluentem Legiæ sita, quæ miræ per æstatem sunt amœnitatis. Dominus temporalis loci Abbas Blandiniensis, & ecclesiæ Patronus. Hoc in loco situm est Dominium de *Idewalle* gentis Blaseriæ.

Baerle, pagus in ditione Nevelana situs non

S pro-


NOBILIBUS
AMPLISSIMISQ DOMINIS
D' GEORGIO DE LA FAILLE
TOPARCHÆ DE NEUELE etc.
PRÆTORI
TOTIQ COLLEGIO SUPREMÆ
CURIÆ FEUDALIS REGIÆ
VETERIS BURGI GANDENSIS
Hanc Veteris Burgi novam tabulam D.D.Cq.
Johan. et Cornel. Blaeu.
ANNO
DNI·M·C·
LXXX·PHILIPP·COMES
FLANDRIE Z VIROMANDIE
FILIUS THEODERICI
COMITIS Z MBILIE·
FECIT HANC
PORTAM
Inscriptio stans supra portam Castelli veteris Burgi vulgo Het Grauen Casteel, in Lamina ænea.
Linea A.B. continet 4400 Virgas, quæ Milliare Flandricum commune conficiunt.
PETRA COMITIS, vulgo het Graven Casteel
Ecclesia Collegiata D. Pharaildis
Domus Prætoria Castellaniæ Auderburgensis
GANDAVUM GHENDT
VAN DEN VRYE
ASSENEDE AMBACHT
BOUCHAULTE AMBACHT
CASSEL RIE VAN DER AUDER BORCH
LANDT VAN WAES
DEN DER MONDE
MALDEGHEM VELDE
DE CASSELRYE VAN CURTRYCK
SELRYE VAN AUDENAER
LANDT VAN

procul à Trunchinio, terras habet arabiles & pascua, quæ per hyemem aquis Legiæ tecta, per æstatem gratissima pecori pabula præbent. Dominium temporale loci habet Abbas Blandiniensis, ecclesiæ item patronatum. Viculus dici potest, nam sexaginta tantum sex terræ bonaria complectitur, & incolas habet perpaucos.

Bachten itidem in ditione Nevelana situs, non procul à Donza ad ripam Legiæ, cujus etiam felicibus aquis irrigatur, ad tertium fere ab urbe lapidem. Non procul hinc pons *de Rekelghem*, ubi, pugna commissa, Caputiati Gandenses, Fossores Brugensium magna clade affecerunt. Etiam viculus est, nam tantum centum bonaria terræ continet. Dominio temporali potitur familia Serclaysiorum.

Bellem pagus ad tertium ab urbe lapidem situs, nongenta continens bonaria. Est sylvosus & arabilis; spectatque ad gentem Rymiam.

Dronghene: Trunchinio ad Legiam nihil amœnius, pascua etiam habet uberrima & enutriendis bobus cumprimis idonea. Distat ad primum à Gandavo lapidem. Dynasta loci præcipuus è gente Cotrellia. Cum anno 1131 à Gandavensibus incendio Trunchinium deformatum esset, & disciplina clericorum non parum collapsa, Iwanus de Alosto septem post annos, invitis & reclamantibus nequicquam iisdem clericis, regulares ad D. Norberti præscripta viventes substituit: Eugenio P. M. rem approbante. Exinde Trunchinium cœpit esse Comitum Alosti & gentilium de Gandavo quasi Mausolæum. Fuit autem hoc Dominium, ut pleraque per Flandriam alia, primitus in familia eidem cognomine; ac sub Theodorico Elsatio invenitur Iwanus Trunchiniensis. Fuit & in Alostana & Cortracensi; in Halowina, dein & de Lannoy, denique ad Cortrelliam, ut dixi, devoluta: multam tamen adhuc in hoc loco dominationem obtinet Flandriæ Comes; Parochialis ecclesiæ patronatum habet Abbas Trunchiniensis. Ad amplissima spatia, videlicet bis mille sexcenta terræ bonaria protenditur.

Desselberghe quingentis plus minus passibus à Gandavo distat; peculium Abbatis Blandiniensis. Ad undecies centum terræ bonaria ejus magnitudo protenditur: juxta Scaldim pascuus; ab altera parte aridior. Intra parœciæ limites & non procul inde Arx prætoria eleganti opere structa, quæ ad Baronem de Rode spectat.

Desseldonck, ab hoc præcipue tractu pingues illi & tota Belgica laudati vituli Gandavenses proveniunt. Pagus est altero à Gandavo lapide situs, Toparcham habet Flandriæ Comitem; Trecenta quinquaginta circiter comprehendit terræ bonaria, & familias nuper centum.

S. Denys, Pagus aliqua sui parte sylvosus & gleba non adeo felice; nam myricetum olet; altera pascualis qua Legiam illac præterlabentem respicit. Peculium est ab antiquo Abbatis Blandiniensis, & loci Toparchus Archimandrita.

Duerle Vicus ad secundum fere situs à Gandavo lapidem, videt ab una sui parte fluentem Legiam. Trecenta terræ bonaria circuitu suo complectitur, & habet Toparcham Baronem de Nevele. Habet & hic jurisdictionem non minimam Flandriæ Comes; prætorem quoque & Scabinos, sub titulo præturæ de Duerle. Dominium vero gaudens titulo *'s Graven-Hazelare* sese extendit in *Tuerle*, *Eecke*, *Swynaerde*, *&* *Nazereth*.

Eecke pagus ad secundum à Gandavo lapidem, medio fere inter illud & Aldenardam itinere. Scaldi aliqua sui parte adlambitur: ubi prata pinguia & Legiensibus meliora.

Everghem amplissimus est ad primum ab urbe lapidem, & Castellaniæ Audenburgicæ maximus pagus, patrimonium S. Bavonis, Comitatus titulo nobile. Inter Evergemi ambitum varia sunt, & fuerunt olim plura nobilium familiarum Prætoria. Arcem quoque habet quæ spectat ad Episcopatum Gandensem: eam nuper Henricus Franciscus vander Burgh Gandavensis tum Antistes maxima ex parte restauravit, cum bellorum injuriis collapsa esset. Agrum habet non ubique pari felicitate fœcundum, variis tamen frugibus idoneum; habet & sylvas & pascua; incolas strenuos & frequentes, ut in toto illo passim Flandriæ tractu, qui cum ab agrorum cultu vacant, alia domi agunt, ac præcipue telas texunt, unde quæstus non modicus.

Knesseldaere pagus eximiæ magnitudinis, mille enim ducenta & quinquaginta terræ bonaria continet, ad quartum à Gandavo lapidem situs, medio inter urbem hanc & Brugensem itinere.

Lovendeghem pagus amœnus, arabilis, sylvosus & pascualis, ad secundum ab urbe Gandavo lapidem situs, olim Burgundicæ, nunc dominium gentis Triestiæ. Secat eum nova Fossa, quæ Gandavo Brugas fluit. Prætorium habet & arcem egregiam.

Mariakercke pagus patentibus campis conspicuus ad mediam Gandavo leucam distat, irrigatur ab una sui parte Legia, qui Trunchinio venit, ab altera vero Livia, illumque secat medium fossa nova, quæ Gandavo Brugas fluit. Ab Anglis condita fertur ante plura sæcula Gandavum obsidentibus.

Nazareth, quamvis sit partim Cortracensis, partim Aldenardensis ditionis, Castellaniæ tamen Audenburgicæ accensetur. ecclesiæ patronatum habet Episcopus Gandavensis, temporale dominium ad familiam Damantiorum spectat. Pagus est, si quis alius, tota Flandria amplissimus, at gleba steriliore, & passim sylvosus, complectitur ter mille & octingenta terræ bonaria.

Succedit Nevela Baronatus & municipium castro instructus splendidissimo, territorio duodecim vicorum late patenti, Iurisdictione amplissima, nundinis & foro, opificiis & gildis ante duo sæcula instructum, cœnobio virginali Franciscano, & hospitali ante centum quadraginta annos ornatum. Pagi autem Nevelanæ ditionis hi sunt, *Poussele*, *Hotenhulle*, *Landeghem*, ab una fluminis parte; ab altera autem *Vinct*, *Meyghem*, *Zeveren*, *Baerle*, *Vorselaer*, *Bachten* & duplex *Leerne* cum Odonca arce.

Castellum de Oydonck ante incendium anno 1491, à Gandavensibus procuratum, longe pulcerrimum, intra limites S. Mariæ Leerne situm, in ditione

ditione Nevelana, quatuor habet turres ampliſſimas, foſſis undique cinctum latis atque profundis. Auſim dicere vix ullum tota Flandria ſplendidius eſſe prætorium, quod ſuas etiam circumcirca amœnitates habet atque delicias, hortos & pomaria omni genere frugiferentium arborum conſita, etiam lucos & ſylvas, flumen vicinum, & prata per æſtatem jucundiſſima.

Somerghem pagus ad tertium ab urbe Gandavo lapidem, omni fere ſui parte in edito ſitus, paſcuis, ſylvis, pratis, agro denique frumenti & cæterarum frugum ferace felix, amplitudine ſua ſpectabilis.

Sleydingen ad ſecundum pæne ab urbe Gandavo lapidem, eccleſiam habet glorioſo Martyri Georgio ſacram. Ager pinguis, omniumque frugum, ac inprimis optimi tritici ferax. Olim Abbatiæ Bavonianæ, nunc Epiſcopatus Gandavenſis peculium aliqua ſui parte: nam altera Comitis Flandriæ juriſdictioni paret, per Curiam iſtic à Margareta Conſtantinopolitana inſtitutam: quæ Prætorem ſuum habet, & Scabinos, partemque agri in Lovendeghem & Waerſcot occupat. Curiæ Magiſtratus quotannis per Prætorem Caſtellaniæ Audenburgenſis nomine Principis conſtituitur.


Waerſcot pagus eſt tribus ab urbe Gandavo leucis diſtans. Aliqua ſui parte ſpectat ad curiam Sledinganam, à Margareta Comite Flandrorum inſtitutam. Sylvas habet, & agros uberes & aquæductum Liviæ, per quem ſua Gandavum & aliò convehit. Sui Iuris & privilegii eſt, neque Toparcham habet ſingularem. Sub Flandriæ Comite immediate conſtitutus, ad annum Domini 1404, per Simonem Wtenhovium, familiæ inter Gandavenſes clariſſimæ.

Zwynaerde ad primum diſtat ab urbe Gandavo lapidem. Dynaſtia Abbatiæ Blandinienſis, arcem per bella collapſam nuper inſtauravit Abbas Arſenius ſplendidam cumprimis, & Principis habitatione dignam. Habitavit illic Iſabella Caroli Cæſaris ſoror, Chriſtierni Secundi, Daniæ Regis uxor, quò & maritus venit profugus, & ob tyrannidem à ſuis pulſus. Habet ſylvas, agros, prata pinguia, quæ Scaldi mirum in modum hic tortuoſo & mæandros aquarum ducente irrigantur.

Cæteri Caſtellaniæ Audenburgenſis pagi ſunt, Hansbeke, Hueſdene, Landeghem, Lathem, Loo Chriſti, Loo ten Halle, S. Mariæ-Leerne, S. Martens-Leerne, Mendonk, Meyghem, Merendre, Ooſtacker, Oſtwinkel, Poeſſele, Ronſele, Saffelaere, Seeverghem, Vorſelaer, Vrſele, Vinct, Vinderhoute, Wondelghem, Zeveneecke, Zeveren; quorum deſcriptiones vide apud Antonium Sanderum rerum Flandriæ accuratiſſimum ſcriptorem.

Atque ita quidem ſunt, quæ impræſentiarum ad topographicam Caſtellaniæ Audenburgenſis deſcriptionem ſuffecerint; quæ uti vetuſtate cæteras omnes in Comitatu Flandriæ ſitas antecellit, ſic etiam loco ac dignitate cæteris in unum venientibus primas obtinet; olim hoc quoque habuit privilegium, ut, cum ad bella Gandenſes procederent, proximum à vexillo Gandavenſium, Audenburgicum eſſet, & dominii Bornhemienſis, ut in archivis curiæ Gandavenſis ad annum 1404 videre licet.

CASTELLANIA ALDENARDENSIS.





Erritorium Aldenardense, sive Castellania, ubi nonnulli veterum Belgarum ac Nerviorum Curiam fuisse, non levibus nixi argumentis existimant, olim divisum fuit in duas partes, Superiorem scilicet & Inferiorem. Vtramque gubernabant Archicensitores, vulgò **Hoochpointers** / quod videlicet essent supremi censitores, qui onera per pagos distribuerent, & ad quos à repartitione minorum Magistratuum fuit procuratio. Castellania superior continebat tres Archicensitores, dominos videlicet de *Peteghem*, *Avelghem*, *Hemsrode*. Inferior quatuor dominos, videlicet *de Cruyshautem*, *Eyne*, *Huysse*, *Aspere*, & *Singhem*, quorum duo posteriores simul juncti, unum tantum Archicensoratum constituunt. Vtrumque deinde territorium in unum corpus & collegium coaluit, quod componitur ex septem supradictis Archicensitoribus, Quæstore & Scriba. Horum Iurisdictio & auctoritas eadem est, quæ Archicensitorum & Scabinorum Castellaniæ Cortuiacensis: in eo tantum differunt, quod illi singulis ad minimum bienniis renoventur à Legatis Regiis, hi sint hæreditarii & permanentes. Porrò Castellania hæc longo tractu sinistram Scaldis ripam occupans, Nobilium frequentia, Dominorum celebritate, Castrorum elegantia, Terreni bonitate, Pascuorum lautitia meritò commendatur, & tenet veteris pagi Corturiacensis partem. Ejus rei fidem faciunt loca cœnobio Gandavensi donata, quæ olim in dicto pago, nunc in hac Ditione sita, in Cortracensibus suis Gramajus demonstrat. Liber autem Flandriæ censualis, hæc utriusque Castellaniæ loca enumerat:

Peteghem.
Avelghem.
Huysse.
Heyne.
Nazareth aliqua sui parte.
Huerne.
Wanneghem.
Cruyshautem.
Ghyselbrechtegem.
Eestert.
Beveren.
Castre.
Moude.
Mullem.
Autryve.
Wareghem.
Auweghem, Aspere &
Singhem, cum 28 terræ bonariis, de quibus olim controversia fuit cum incolis de Ermelghem.
Iselmooreghem.
Bossuyt.
Ingoyghem.
Anseghem.
Ooteghem.
Lede Dionysii.
Tiedeghem.
Vichte.
Edycke, nunc Oycke
Worteghem.
Nokeren.
Waermaerde.

Inter alia autem hujus Castellaniæ Dominia, quæ

quæ pagum per ſe non conſtituunt vel parœciam, non minimi nominis eſt Toparchia *de Aishove*, quæ multo tempore pertinuit ad familiam *de Gavere*, & ab hac devoluta eſt ad gentiles *de Rochefort*, denique per nuptias *Catharinæ de Rochefort*, cum *Arnulpho de Steenhuyſen* equite, domino de Sweveghem, pervenit ad *Margaretam* ejuſdem Arnulphi filiam, quæ eam in dotem adtulit marito ſuo *Gerardo Deſcornais*, domino de Morcourt ſuper Somanam, & de Berchem juxta Aldenardam. Ab his devenit ad familiam de Maſtaing, in qua etiamnum poſſidetur.

Intra limites hujus etiam Caſtellaniæ, ſitum eſt dominium *de Hemſrode*. In eadem quoque Caſtellania ſitum non incelebre dominium *de Landeghem*. Inſitum eidem Caſtellaniæ dominium *de la Marcke*. Nunc de ſingulis Caſtellaniæ locis ſupereſt, ut aliquid dicamus. Qua in re, ut quem natura ſitum dedit, ordinem ſequamur, ab iis auſpicabimur pagis, qui ſe Gandavo venientibus primos ſuper arcem Gaveranam oſtentant. Sunt illi, *Aſpera & Singhem*. Horum Dynaſtias à Principe nuper conceſſas poſſedit *Ioannes Richardotus* ſanctioris Conſilii Præſes. Aſperæ & Singemio adjacet *Aldengemum*, vulgo *Auweghem*, nobilium de Trieſt, à vetuſtate dicta, & commendanda Dynaſtia, ac nuper Baronatus titulo honorata. Amplitudine ſua 375 bonaria terræ complectitur. Vlterius euntibus occurrit *Cruysholtem*, à celebri olim ſalutiferæ Crucis veneratione nominatum: Gentis *de Maſtaing* Dominium, nuper arce egregia inſtructum à *Carolo de Iauſſe* dicto de Maſtaing. Pagus in vaſtam amplitudinem protenditur: mille enim & ſexcenta quinquaginta terræ bonaria comprehendit. Habet & colles, amœnaſque valles: à collibus longinquus in vicina Flandriæ mediterranea proſpectus.

Beveren pagus eſt urbi Aldenardæ proximus, ad Septentrionem ſitus. Dominio hujus loci jam potitur Dominus *de Nieuwenhove*. In hoc pago ſitum eſt dominium *de Bruwaer* valoris eximii, & caſtro perelegante exornatum, gentis *vander Meere* domicilium.

Huyſſe, amplitudine ſua mille bonaria terræ complectitur. Pagus eximie magnus præ aliis in illo tractu ſitis.

Lede, vicus eſt non admodum ſua magnitudine commendandus. Centum enim tantum & ſexaginta terræ bonaria comprehendit. Ius temporale loci ad familiam ſpectat Deynartiorum.

Wanneghem Vandalicum aliquid ſonare videtur, ad temporale itidem ſpectans dominium familiæ *Deynartiorum*. Pagus 355 bonaria complectitur.

Heurne, Dominio temporali jam potitur familia de Maſtaing, eccleſiæ patronatu Capitulum Tornacenſe. Illa ſancto Amando inſcripta eſt, & amplitudine ſua ducenta terræ bonaria tantum continet.

Oycke, pagus ad primum ab Aldenarda lapidem. Peculium fuit gentis *de Baronage*. Pagus autem 450 terræ bonaria complectitur. Nunc poſſidetur à viro nobili *Frederico de Marſelaer*.

Heyne, dynaſtia olim gentis *de Landas*, poſtea familiæ *de Boncourt & de Maſtaing*, non modo titulo Baronatus, ſed & Patriciatus Flandriæ, quos Beros vocant, cantatiſſima, nuper in familia fuit *de Langlee*, è qua magnus jampridem Gandavenſium Prætor *Philippus*, cujus filia in manus veniens cum Hoochſtratano Comite, dominium illud nuptiali jure tranſtulit ad *Lalanos*. Pagus 500 terræ bonaria complexus, amœnus eſt, & ad Scaldin paſcuus.

Nokeren, ſpectavit dynaſtia ad familiam *de la Vichte*, ab illis pervenit ad gentem *de Gras* nuncupatam, poſſeditque eam *Ioannes de Gras* eques, nuptiali jure. 400 Terræ bonaria complectitur: arcem habet hic pagus, olim dirutam, ſed jam de novo pulcre reſurgentem.

Worteghem pagus eſt in ditione Aldenardenſi, non contemnendæ magnitudinis. Complectitur enim 800 terræ bonaria. Dominium autem temporale per oppignorationem à Rege acquiſivit Conſiliarius *Boſſier*, nuper defunctus.

Mooreghem, idem cum *Iſelmooreghem*. Coloniam Maurorum vocat Gramajus, nullo fundamento, cum Belgicam ea gens nunquam viderit. Toparchia autem fuit in familia *de Heurne*, at ejus nuper dominus *Carolus van Spiere*, territorii quæſtor. Viſitur & hic templum & turris è ſolido cocto lapide, quod miram antiquitatem teſtatur, unde multi exiſtimarunt Maurorum hic aliquando Caſtra fuiſſe, indeque loco nomen inditum. ſed Gothorum ego potius monumentum aliquod eſſe crediderim.

Mullem ad familiam ſpectavit *de Cabelliau*, veterem & rebus geſtis in Flandria claram.

Elzeghem, ab Elza Ghiſelberti Lotharingiæ Ducis filia nomen habet. Loci dominium nunc ſpectat ad familiam de Aubremont. Intra Parœciæ autem Elſegemienſis limites ſitum eſt dominium de Scalda, quod fiduciario jure tenetur à Barone Anglomonaſterienſi. Mira eſt autem tum in hoc pago, tum in vicinis locorum amœnitas, qua veteres olim inferioris Lotharingiæ Principes allecti, ſua hic domicilia fixere, in aucupiis & venatione aſſidua ſe exercentes. Porro etiam in hoc pago ſitum eſt dominium *de Rockeghem*, antiquum.

Ghyſelbrechteghem, vicus, cujus in univerſum magnitudo quinquaginta terræ bonaria non ſuperat.

Waremaere, ad Gruthuſios ſpectavit. Bis per annum nundinas habet, ſed non admodum frequentatas.

Kerckhove, olim etiam Gruthuſiæ gentis peculium.

Anſaghem, Cœnobii Blandinienſis eſt hæreditas, intra cujus parœciæ limites Toparchia jacet Hemſrodiana; nuper gentis Marcanæ de Lummene, nunc familiæ de S. Genors.

Ingoyghem, hæreditas eſt familiæ de la Mote.

Mouwe, ex parte tantum Aldenardenſi territorio ſubcenſetur. Peculium eſt gentis Baronagiæ, & habet Prætorium, nec inelegans, nec invenuſtum.

Avelghem, arcem habet in multis conſpicuam, & in Feudum tenetur à Blandinienſibus Cœnobitis cum ampla Iuriſdictione; ſpectat ad Baronem de la Chaux, ceu ejus hæredes.

Tiedeghem clarus eſt pagus ſub dominio Baronis Anglomonaſterienſis.

Nazareth, ampliſſimus in Flandria pagus, in tribus

tribus Castellaniis situm habet, veteris nimirum Burgi, Aldenardensi & Corturiacensi.

Bossuyt, minima sui parte ad Aldenardensem, majore ad Tornacensem pertinet ditionem.

Aultrive, vel *Haulte Rive*, quod margines Scaldis admodum illic sint alti, dicitur, habetque eapropter rarissima prata. Spectavit dominium ad familiam vetustam *de Bracle* & *Tangry*, quorum majores admodum fuere benefici in Cœnobitas *de Elseghem*. Domicilium habet à Dynastis insessum, quod adjacet Scaldi, non tam elegantia, quam situs commoditate spectabile, quod minimo negotio possit egregie contra omnes hostium impetus muniri. Illud postremis hisce tumultibus, non parum negotii & incommodi illis partibus attulit, quibus se contrarium præbebat, à variis enim fuit possessum, nuncque huc, nunc illuc se inclinavit, ducente fortuna,& varia Martis alea.

Caestre, habet hoc in loco latifundia familia *de Waudripont*, à ponte S. Waldetrudis, ut apparet, nominata, originemque habens in Hannonia prænobilem.

Vichte, partim huic, partim Corturiacensi Castellaniæ subcensetur. Cæterum proprietarii Marescalci Flandriæ titulus Toparchiæ huic annexus est, quo etiam intuitu annue illi debetur in recognitionem census super Principis bonis apud Brugas 10 Lib. Paris. & sex librarum 10 Sol. Paris. super bonis ejusdem apud Furnas.

Peteghem, ad primum ab Aldenarda lapidem, ultimo quanquam hic loco memoretur, nobilitate tamen cæteros, & primatu superare pagos videtur, vel ob id solum, quod ab auctore non uno, antiquum Regum fuisse domicilium perhibeatur. Eo loco situs est pagus, ut amœniorem tibi natura præbere non possit, habens in vicino flumen Scaldin, juxtaque pascua lætissima, ultra flumen in conspectu sylvosos montes. Dynastia inter Flandriæ primas fuit, & arce ad venationis commoditatem circa annum 1030 ornata per Comitem. quæ quidem bellorum tempore destructa fuit, & per leges pacis secutæ reparari vetita, postmodum tamen permissu Philippi Regis anno 1286 restitui permissa. Arcis veteris magna etiamnum exstant vestigia, aut ipsa potius arx tota,si non negligatur.Neque contemnendæ pagus est magnitudinis, nongenta enim terræ bonaria continet. Visitur & in eodem pago Prætorium familiæ *Sersandiorum*, ab ea gente aliquoties inhabitatum.

COMITATUS ALDENARDENSIS.

Post recessum Normannorum, mox & Pamellam Castellani titulo, & Aldenardam Comitis appellatione dominos habuisse scio diversos. *Hildulphus* castellanus *de Pamella*, cum *Iutta* uxore in Laubienses cœnobitas reperitur munificus esse anno 920. *Ebroinus* (Heribrandum vocant annales Gallici) illustris Comes Regni Francorum Bovone Comite patre, Barmio de Ansalonia avo, Numerico Comite Narbonensi proavo, Ermengardi sorore, Bonifacii magni Principis Paduæ proavia natus, tempore Ludovici ultimi Francorum Regis (ait Codex Walciodorensis) Aldenardam inter alia possedit, sed an à majoribus acceptam, an ab uxore Elberta filia Wederici, & Evæ Comitum Florinensium, non addit. Successit filius *Gerardus Comes de Oldenarde*, cujus stirps, ait idem, apud Flandros propagata. Nec plura hic Codex ante aliquot sæcula fideli manu exaratus. Vixit autem hic Gerardus frater Elberti Comitis, Fundatoris Walciodorensium, anno Domini 922. Is infensus Francorum Regi, ob cladem quam acceperat, à Radulpho Comite Cameracensi Regiis auxiliis suffulto apud Quintini oppidum, quæ Augusta Veromanduorum censenda, duxit adfinem *Raginerii Longicollii* Comitis: unde pater effectus plurium. Ex nepotibus Fulbertus fuit Hasuigis Namurcææ vir, & ex ea pater beatissimi Arnulphi Suessionum episcopi: fuit etiam Hugo de Aldenarda, qui ducta hærede Pamelensi, cis & ultra flumen late imperavit, & Burgum Aldenardense multum nobilitavit. Hæc ex Archivo Walciodori, Florinarum, & Laubii, quæ quantum lucis dent historiæ veteri, quivis annotabit. Sed quomodo, inquies, si Hugo tam Pamellæ, quam Aldenardæ potens fuit,Comiti aditus ad ejus dominium factus? Non una ratio, aut via esse potuit: beneficium erat, ideo forsan arrogavit; opportunum, ideo forte arripuit; aut etiam, si jura requirimus, inter ecclesias ab episcopo Tornacensi anno 1030 initas, sibi Regalia servans, Pamellæ Baronem (eo enim tunc titulo honoratus) in Aldenardensis dominatus communionem denuo certa norma admisit. Et delectatus loci amœnitate, nobilitatis vicinæ frequentia, fluvii commoda, si quis à Flandria superiore motus assurgeret, securitate, Einhamo arce in cœnobium versa, Petegemio ad venationis delicias servato, in Aldenarda ornanda totus erat. Et observabis nullum fuisse Comitum, qui non illustri aliquo aut dono, aut facto, hanc urbem Regiam sæpe suam, nobilitatis sedem semper voluerit nobilitare. Balduinus Barbatus quidem triennio post donationem à Tornacensi factam, id est, anno 1030, celebrem pacis gratia hic indixit conventum, advocatis Hugone episcopo & Flandrica nobilitate, adductis corporibus sanctorum Gerulphi (cui utpote Flandro primi honores dabantur) Wandregisili, & aliorum. Ex quibus advertere est, quanta celebritate peractus sit.

Filius ejus à natali Insula cognominatus, contra Cæsarem se firmaturus, inter alia repagulum hoc Scaldis an. 1053 munivit, & alteram inædificavit,sive Burgum,quod arbitror prima oppidi esse exordia, nec dubito ubinam extiterit, cum referat Meyerus ad annum 1110. in novo Burgo structam ædem Deiparæ.Novum Burgum vocat ad differentiam veteris Gothorum ævo inchoati, quod Pamellani Barones Aldenardæ Domini incolebant. Idem Comes comitiis regalibus ad annum 1063. ubi Legati Hollandiæ Roberto ejus filio, viduam Florentii primi in matrimonium, liberos in tutelam, Hollandiam in administrationem obtulerunt, Aldenardam potissimum honoravit, ubi recenter & palatii sui sedem & Petram clientelis nobilem erexerat, primumque filium de acceptis Insulis Zelandicis, Comitatu Alostano, & Quatuor Officiis voluit beneficium profiteri, & fidei stabilitatem jurare. Hæc Petra locus erat ad columnam subdialem cruce saxea insig-

insignitam, haud procul à foro tum conspicuam, ex adverso palatii, & perseverat nomen, & ampla feudorum curia. Quia autem sedem quodammodo sui Principatus, hoc in Burgo Comes figebat, Eynhamum castrum propinquum minus usui esse putans, anno 1034 eversum, lapidibus Aldenardam convectis, Cœnobio Benedictino exstructo anno 1074 attribuit, eadem libertate, qua ipse à Montensi Comite Hermanno acceperat. Filius Insulani Montensis, æque in hunc locum propensus, turres duas fertur extruxisse ad flumen, & monetam illuc traduxisse: unde occurrit nonnunquam denarii Aldenardensis, in rescriptis donationum Eynhamensium mentio. Secuti Comites Roberti, quod foris bello sacro, aut domi intestino occupati fuerint, nihil admodum otii reliquum habuere ad respiciendum Aldenardæ decus; sub Roberto tamen patre pontem flumini injectum lego, Roberto filio autem ad an. 1110 conditam in novo Burgo à Principibus Ædem Deiparæ, ab Odone episcopo Cameracensi dedicatam, præbentibus aream Mathilde filia junioris Arnulphi Aldenardensis, & Leberto quodam, & Sigillinde conjugibus indictione 3. Vnde certo colliges Pamellanos etiam in novo Burgo Comitis jus habuisse, & privatos alios latifundia possedisse. Mathildis autem hæc Arnulphi, sive Arnoldi, advocati Einhamensis filia nupsit Gerardo Domino Aldeburgi camerario Comitis, mater facta Balduini in Libitinario Cœnobii Aldeburgensi nati. Eadem porro quæ Roberto Comiti conjugi juncta paulò ante, ut dixi, urbem ornaverat, anno post 1119. affini suo Guilielmo Iprensi post mortem filii aditum factura ad comitatum Clementia, inclementer Aldenardam invasit, incendit, cives quosdam ultimo affecit supplicio, ubi etiam Iderus Prætor tertio Calend. Decembr. legitur trucidatus. Nec solitaria fuit hæc calamitas; duplicata anno 1127. cum Balduinus Montensis à morte Caroli Noni, Flandriam sibi à Rege negatam armis arrogans, Aldenardam per iram incendit, ubi in principe æde (ait ex Floriacensi Meyerus) multi exusti feruntur mortales. Nec proclive fuit Theodorici Elsatii Principatu à tot malis respirare, quam rem miseratus Philippus Theod. filius, omnem movit lapidem, ut oppidum è pulcherrimis sui comitatus, & nobilissimis pristino nitori restitueretur. cives itaque à servitute eximit anno 1172. eosdem anno 1189, legibus, privilegiis, institutis iisdem, quibus tum utebantur Gandenses, uti frui permisit, quo factum, ut oppidum ambitu, quam antea ampliore mœniretur, turribus & ponte instrueretur, prætorio & vicis insterneretur.

Templum Deiparæ.

Vastatio oppidi.

Incendium alterum.

Ius civium & privilegia.

De ponte versus hi extant in codice Aldeburgensi:

Pons Aldenardi factus fuit ante Gerardi,
Ac ope Liberti, duplice te munere certi
Annus lætitiæ fuit octogesimus M. C.

De muris in Einhamensi codice versus extat,

Muri Aldenardo fiunt regnante Philippo.

Non parum autem ad incrementa redivivi oppidi fecit Gisliberti, Arnoldo tertio Dynasta, & Maria nati, potentia, qui, Principem se vocans, & Guisiano aliisque vocatus, Lessiniæ, Flobecæ, & territoriis inter Marcam & Rosnam imperavit, maritus Richildis Mortaignensis Everardi ex Richildi Hannonica filiæ, anno 1186, 1191 & 1199, in Einhamenses munificus, gener Rogerii & Aleydis Namurceæ, pater Arnulphi de Aldenardo, Qui anno 1225, *Oppido suo de Pamela eandem dat libertatem, quam Philippus Comes dedit oppido Aldenardo, ut qui in eodem sint Scabinatu, eadem jura custodiant, & simili gaudeant beneficio libertatis.*

VICECOMITATVS ALDENARDENSIS.

Vicecomitatus autem dominii non incelebris & antiqui, nullam fieri mentionem in Scriptis vulgatorum auctorum *Meyeri, Oudegerstii, Oliverii Marcani, Guicciardini*, & *Espinoii*, & aliorum, permirum mihi videtur. *Vicecomitatus* est emptus olim per *Gerardum de la Temerie*, à *Francisco Cruypenninck*, & *Catharina* ejus conjuge, ad investiendum eo *Gulielmum de Rechem*, ut patet è tabulis coram Prætore & Feudalibus viris Petræ Aldenardinæ exhibitis, à qua præfata Toparchia sive Vicecomitatus movetur. Possessio autem ejus Dominii capta fuit quarta Februarii anno 1422, ut tabulæ ea de re exstantes apud Toparchum de Mullem docent. Videtur ab eo tempore titulus hic neglectus fuisse per hæredes & successores ejusdem *Gualterii*, qui uxorem cepit *Catharinam de Grammez*, ex qua duo filii suscepti, quorum natu major itidem *Gualterus* Præfectus fuit Castelli Aldenardensis, à Maxæmiliano & Philippo Austriacis constitutus, uti per litteras etiam de anno 1484, etiamnum apud Toparchum eundem de Mullem exstantes constat, is uxorem habuit *Margaretam* è familia Lumenæa dicta de Marq. Secundo genitus fuit *Richardus* Scutifer, Dominus de Boulancii, sine prole mortuus. *Gualtero* autem filius fuit *Iudocus* Scutifer, Dominus de Kerckhove; Boulanci, &c. Duxit hic *Barbaram Stommelins*, è quorum conjugio unica filia superstes, quæ ultima nomen & insignia tulit gentilium *de Rechem*, nomine *Florentia*, nupsit *Philippo* Bastardo *de Lalaing*, Equiti, Domino de la Mauillerie, Masle, & causa uxoris de Kerckhove, Boulancii, &c. Hic dum viveret, nomine Cæsaris Caroli V. Legatus fuit in Gallia, & Oeconomus Ducissæ Sabaudiæ, quæ nomine Cæsaris Belgio præfuit. Habuere porro proles non paucas, quarum una *Isabella* hæres, Iuris ejusdem Vicecomitatus fuit, cum cæteris prolibus, & matri suæ supervixisset, atque in manus venit cum *Ludovico le Poyvre* Scutifero, Domino d'Hoissye, ab iisque nati sunt liberi plures. Habet autem hæc Poyvræorum familia originem suam in Gallia, quorum aliqui jam à quatuor sæculis Valentianas venere, & *Ioannes de Poyvre* Scutifer, Dominus de Hellibus, fixit domicilium Aldenardæ, à quo nati in eadem urbe, & circumcirca sedes suas habuerunt. Familia decus & vetustatem nacta est, ut è variis in urbe Valentianensi monumentis patet, tum ex sepulcris eorum & epitaphiis. Creati ex iis etiam fuere non pauci equites, Præpositi quoque Valentianenses, & Aldenardæ, multis vicibus Consules. Connubia & illis fuere honorifica cum gentilibus *de la Croix*, *Marchipont*, *Solemmes dit d'Aubenchoeul*, *Wadripont dit de Cordes*, *Dassignies*, *Desprets dit de Cipli*, *Genly*, *Grebert*, *Quarouble*, *Lignieres*, *Louchier*, *Hargies Beaufremez*, *de le Walle*, *Chastelet*, *Ranlin*, *Spalmire*, *Baron de Bouvignies*, *Huerne*, *Bette*, *Lalaing*, *La Mouillerie*, *Serlin*, *Blasere*,

sere, *Cabelliau*, *Gruttere*, & aliis in Flandria nobilibus & honoratis.

PAMELA BARONATUS.

Arnulphi Quarti Flandriæ Beri, Domini de Pamela & terrarum inter Marcam & Rosnam tempore, Dominium de Pamela titulo Baroniæ donatum est, ipseque primus constitutus Flandriæ Berus, qua de re uti & de Castello Aldenardensi, vel de Pamela Comiti fidem præstat; Dictus Arnulphus easdem oppido de Pamele donavit immunitates, quas Comes Aldenardæ dederat ad annum 1225. *Arnulfus de Aldenardo*, inquit diploma apud Baronem modernum, *tantam & talem oppido & oppidanis de Pamela concedit libertatem, quantam Philippus quondam Flandriæ Comes oppido & oppidanis de Aldenardo concesserat.*

Codex Feudalis Baroniæ de Pamele ad annum 1622, exhibitus Gulielmo Meynaertz, Supremæ & Legalis in Flandria Curiæ Prætori, sub Serenissimis Principibus Alberto & Isabella Flandriæ Comitibus, per *Gulielmum de Locquengien* equitem, Domicellum Aldenardæ, Berum Flandriæ, Dominum ac Baronem de Pamele, Toparcham item ditionis inter Marcam & Rosnam, præcipua hæc continet ejusdem dominii jura, quæ summatim hic recensebo. Inhabitat Baro vetus Castellum Aldenardense. Et quæ nunc se extendit Baronia in Parœcias de Edelaer, Leupeghem, Volkeghem, Neereename, Weldere, Rist, Coecamere & Elst, olim major fuit. Potitur omni Iurisdictione & Iustitia. Liberam habet venationem ad omnis generis feras, aucupium, piscationem à Canafle usque ad Gaveram, cognitionem super fluvio Scaldi, si quis indebita ad piscationem adhibeat instrumenta per totius Baroniæ districtum. In urbe Aldenarda intra limites Pamelensis dominii, & extra eam auctoritate sua, & per diploma sigillo suo munitum constituit Prætorem magnum, prætorem parvum, satellites & alios similes Iustitiæ administros pro lubitu, ad ejusdem dominii jura sarta tecta conservanda, eaque coram Consule & Scabinis Aldenardensibus prosequenda, sicut olim coram Iuratis Pamelensis Toparchi fieri solebat, ante concordatum 1593. Illi in Castro causas Feudales tractant in Curia illic stabilita, ad Castri carcerem captivos ducunt. Pauperes nutriuntur per collectas, quæ in Ecclesia parœciali Pamelensi fiunt. Habet Baro varia privilegia, census, telonia super Scaldi, quæ præfatus codex omnia speciatim declarat. Nullam cognitionem habet Magistratus Aldenardensis in Castro, fossis & hortis Castri. Ipseque Toparchus & ejus familia, à censuris & vectigalibus urbanis exempta, prout & Castri custos, sive ædituus. Parentes ac consanguinei, iique eodem modo liberi ab omni conventione, & Judicio Senatus Aldenardensis, tam criminali, quam civili, adeo ut in prima instantia eos omnes in Curia Flandriæ convenire oporteat. Constituit & Dominus auctoritate sua, & solus in Ecclesia Parœciali de Pamele Æedituos, pauperum Præfectos, Diaconum, Subdiaconum, Matricularium, & alios istic divini cultus administros. Salvo quod in actibus illis, ad quos olim Jurati vocari solebant, duo nunc Senatores Aldenardenses vocari debeant, idque in ipso Castello, vel alio loco qui Domino placebit. Habet item alia jura, quæ per concordatum anni 1594 abrogata non fuere, varia item & complura Homagia, obnoxiasque Baroniæ suæ clientelas. Habet inferiores item Magistratus cum potestate mulctandi, & his majorem Feudorum curiam. Est & ratione suæ Baroniæ Advocatus Eynhamensis, eoque titulo cum Abbate illius Cœnobii multis juribus gaudet. Fundi Baroniæ in variis parœciis varii, sylva item Edelariensis oppido conspicua, & per æstatem admodum amœna. Inter Feuda autem ac dominia varia, quæ ab hoc Baronatu moventur, numeratur Feudum de Hillet vel *trou d'Antoing* familiæ nuper Melodunensis, à quo plura alia cum aliis Juribus minoris notæ etiam Feuda dependent. Curia & dominium de Avelghem in gente nuper Baronis de la Chaux, cum dominiis & parœciis de Waermaerde, Ooteghem, & Heestert, quod se ad alias quoque parœcias protendit. Dominium de Roucourt gentis Melodunensis, Seignoeul in Hannonia, gentis de la Croix, Nieuwerborch in S. Mariæ Lierda gentis de la Jauce, & Comitum de Mastaing. Ommeleda dominium in Beveren & Gheyts apud Rollarium, Baronis de Tournebus & Praet, Jacobi Thesars nobilis ordinarii cameræ Regis Francorum. De Grametz gentis de la Woestyne, & nominatim Joannis domini de Grametz, unum de antiquis Flandriæ Feudis, de Imperio inclavatum in Hannonia, inter Tornacum, Lutosam, Condatum & Ticma, quod se protendit in parœcias de Grametz, Maude, Piaulx, Thieulem, & adjacentia, cui alia subsunt minoris notæ. Vollandre in parœcia de Wevelghem, gentis nuper Berlaymontiæ, vario jure munitum. Oigmont in Hannonia gentis de Marnix, in parœcia de Vleyne. Maldrighem apud Aldenardam, gentis Wijngaerden, Nokeren, gentilium de Gras, è familia de Vichte, quod multa jura, & præeminentias habet. Patronatus de Pitthem, nuper gentis Claeshoutiæ, eoque jure præsentat Episcopo curatum, providetque ceteris in ea Ecclesia beneficiis constitutis & constituendis, aliaque habet jura. Feudum vulgò het Audenaerdsche / quod de Cruyshautem protenditur usque Peteghem juxta Donzam. Duæ tertiæ duorum feudorum in Volkeghem, gentis Ketulliæ, & domini de Ryhove. Altera tertia ejusdem gentis, & nominatim nuper Henrici de Ketulle, qui Adriani filius dominus fuit de Noortsache. Moventur & alia plura, quæ sunt, vel fuere gentilium de Voocht, S. Cenoys, Yedeghem in bost, Carondelet, Espinoy, pastorum de Aldenarda, & Abbatiæ Vallis Virginum, & aliorum plurium Privatorum.

EPI-

EPISCOPATVS BRVGENSIS

Episcopatus institutio.



Vm reliquis in Belgio Episcopatibus novis per Paulum Quartum Pontificem maximum anno 1559, & mox distinctius per Pium ejus nominis etiam Quartum, anno 1561, ad preces & instantiam Philippi II Hispaniarum & Indiarum Monarchæ potentissimi, Belgicarum ditionum Domini, institutus fuit. Diœcesis, uti Gramajus notavit, ad 54 in longitudinem, & 25 millia passuum Italicorum in latitudinem porrecta, complectens illo ambitu oppida 14, pagos centum triginta sex, & in eis municipia 17. Sedes in Ecclesia D. Donatiani, ante collegiata, Brugis constituta fuit. Bona ejusdem dignitatis dotalia, è præpositura ejusdem Ecclesiæ, bonis Abbatiæ Bertinianæ in urbe Brugensi & per viciniam sitis, nec non Abbatia Thosana Ordinis Cisterciensis desumpta sunt; non tamen monasterio destructo, sed cum onere alendi Religiosos aliquot. Quod onus Reverendissimus Dominus Dionysius Christophori de consensu Capituli sui, approbante rem illam Sede Apostolica, reservata sibi certa præstatione annua cum habuisset: R. D. Bernardus Campmans, qui primus Abbatiam suam Dunensem Brugas transtulit, anno 1628, in se suscepit, unione ejusdem Thosanæ Abbatiæ, quæ Dunensis cœnobii filia erat, cum matre sua Dunensi facta. Attributus simul Episcopatui huic in vim erectionis Canonicatus & Præbenda Ecclesiæ suæ, cum titulo perpetui & hæreditarii Flandriæ Cancellarii, quo antea Præpositus sancti Donatiani gaudebat, cum maxima per Flandriam universam auctoritate, quæ etiamnum variis in locis, cum amplissima juris dicundi potestate perseverat, in occiduo præsertim Flandrorum limite, ac nominatim Brugis, Ballioli, Furnis, Hondiscoti, Bergis S. Winoci, & in ipsa denique Insulensi urbe. Quibus in locis suos Prætores, Scabinos, ceu Ratiocinatores vernacule *Redenaers* habet. Quæ jurisdictiones immediate à supremo Flandriæ Concilio dependent in caussis gravaminis, vocanturque vernacule *Het Proostsche van S. Donaes in Brugghe*. Habet potestatem statuendi in iis quæ politiæ expediunt, quoad suos subditos, quos vocant de *Proostlaeten*. Est & alia jurisdictio in civitate Brugensi & vicinis locis, quam vocant *het Canunsche*. Vbi quatuor Canonici Cathedralis Ecclesiæ per vices singulis feriis sextis induti habitu chori jus dicunt in civilibus. Potestate penes eosdem existente in criminalibus majoris momenti cognitionem caussæ committendi alteri. In caussis autem civilibus ad Capitulum à Canonicis illis Turnariis provocatur, inde ad Concilium Flandriæ, habentque potestatem similiter statuendi in politicis quoad subditos suos, quos vocant *Canonicklaten*. Cui Privilegio nihil simile aliis in locis clerus Belgicus habet. Locus autem huic Tribunali consessus juxta aulam Episcopi, & ex opposito Cathedralis Ecclesiæ visitur, ubi & carceres habet. Vtuntur communi prætore, scriba & satellitibus à Præposito, nunc Episcopo nominandis, & juramentum, quoad Canonicorum Iurisdictionem in Capitulo præstant.

Diœcesis amplitudo. *Bona.* *Dignitas.*

Distributio in Decanatus.

Distribuitur hic Episcopatus in octo Decanatus, qui sunt sequentes:

Decanatus Brugensis.

Bruga	Coolkercke
Parœcia S. Andreæ	S. Catharinæ
S. Bavonis	Assenbrouck
S. Michaëlis	S. Petri op den Dyck.
S. Crucis.	

Decanatus Oudenburgensis.

Oudenburgum	Roxem
Ostenda	Bekeghem
Parœcia S. Catharinæ	Serkeghem
Mariekercke	Snelleghem
Steene	Vassenaere
Santvoorde	Iabbeke
Snaeskercke	Ettelghem.
Westkercke	

Decanatus Thoraltensis.

Thoraltum	Loppen
Zuevezelle	Silleghem
Winghene	Aertrycke
Poucques	Ichteghem
Ruddervoorde	Vlaerslo
Waerdamme	Werkene
Oostcamp	Hantsaeme
Lichtervelde	Cortemarcke.
S. Iooris ten Distele	

Decanatus Ghistellensis.

Ghistele	Sande
Zevecote	Schore
Moere.	S. Pieters cappel
Erneghem	Mammekensvere
Cokelare	Slype
Bovekercke	Lombaertzyde
Beerst	Middelkercke
Stimekenskercke	Westende
Keyhem	Willekenskercke
Leke	Leffynghe.

Decanatus Rollariensis

Rousselaer	Eeghem
Rumbeke	Ghits
Houckene	Hoochlede
Cachtem	Staeden
Bevere	Zarne
Pitthem	Rousbeke
Hardoye	Nieukercke.
Coolscamp	

EPISCOPATVS
BRVGENSIS.
Ad Illustrissimum & Reverendissimum
NICOLAVM HAVDION
Episcopum Brugensium denominat.

2000 Virgæ Flandr. sive 2 Milliar. Flandr.

1 2

Decanatus Ardenburgensis.

Ardenburch	Watervliet
Lapscuere	Bernem
Maldeghem	Medelem
Aedeghem	Ooerkercke
S. Laureyns	Zyzeele
S. Cruys	S. Ians in Eremo
Eecloo	S. Margriete
Lembeke	S. Catelyne.
Caprycke	

Decanatus Slusanus.

Sluys	Grouda
S. Anne ter Muyen	Schoondycke
Houcke	Noortmontcapelle
Coxie	Nieukercke
Hinkewerve	Gaternesse
Cadsant	Biervliet
Nieuvliet	Breskens
Wulpen	Isendycke.
Oostburch	

Decanatus Dammensis.

Damme	Wenduyne
Lisseweghe	Zuwenkercke
Dudzeele	S.Catharine by Damme
Meetkercke	S. Ians op den Dyck
Oostkercke	Heyst
Ramscappelle	Cnocke
Blanckenberghe	Westcappelle.

Seminarium Episcopatus Brugensis.

Seminarium Episcopatus Brugensis habet amplam commodamque domum juxta D. Walburgis, institutam sub secundo Brugensium Episcopo *Remigio Driutio*. Dos prima & fundatio desumpta fuit è Bonis Refectionalium, ut vocant, Cathedralis Ecclesiæ Brugensis, & unita insuper decem minora sacerdotia, capellanias dicunt, Ecclesiarum quarundam, quæ tam extra quam intra pomœria oppidi Brugensis sita sunt. In hoc Seminarium admissi primum alumni, qui humanioribus tantum litteris studerent, nec alii ad annum usque 1611. quo per Brugensem antistitem *Carolum de Rodoan* cæpit esse seminarium eorum, qui Theologicis disciplinis vacarent. Constituti itaque duo Professores ex ordine S Dominici, qui in domo Seminarii ejusdem binas quotidie Lectiones Theologicas statis horis haberent. Iis adjuncta fuere domestica repetitionum, casuum, ut vocant, conscientiæ, lectionis, & examinis sacræ scripturæ utilissima studiosis exercitia, quæ ab anno 1617 habuit ejusdem Seminarii præfectus *Christianus vanden Berghe* in æde Cathedrali Canonicus, vir eruditione ac virtute conspicuus. Quæ res omni laude ac favore digna ad annum usque duravit 1632. quo *Servatio Quinckero* Brugensium Antistiti placuit ob caussas mihi obscuras, cursum ejus rei sistere, & cum alumnis seminarii præfectum, dato ejus rei publico instrumento, ad alia ablegare. Quibus conatibus tamen cum se via juris, suo suorumque omnium nomine, opposuisset antedictus seminarii præfectus, per sententiam Concilii Provinciæ nostræ cum omnibus suis manutentus fuit, quam (cum ea lis ad altiorem Mechliniæ Senatum tracta esset) posterior altioris Concilii hoc anno 1635, lata sententia confirmavit. Commissa autem fuit hoc in Seminario omnium beneficiorum, quæ bursas vocant, collatio Brugensi Antistiti, & seminarii ejusdem curatoribus, provisores nominant, juxta generale Concilii Tridentini decretum, si tria excipias, quorum collatio fundatorum adfinibus reservata fuit. Fundavit autem duas hic bursas laudatissimus Brugensium Antistes, & vir summi candoris *Carolus de Rodoan*, totidem *Matthias Lambrechtus*; eâ tamen lege, ut qui ipsis sanguine juncti essent, etiam alio in loco studere, & beneficiis hisce frui possent. Salaria professorum Ioannis Albii Cubensis Episcopi pia hactenus suppeditavit fundatio. Et quamquam ad litteras humaniores in phalis Brugensibus explicandas, una per Albium lectio instituta fuerit, non inconsulto tamen utraque jam, quæ per aliquos etiam ejusdem Seminarii alumnos frequentatur, lectio per patres Dominicanos ad solas cælestes disciplinas translata est. Habet & hoc Seminarium Bibliothecam non modica bonorum auctorum supellectile in omni pæne facultate instructam.

Petrus Curtius I. Ep.

Primus in Brugensi cathedra positus fuit *Petrus Curtius*, honoratâ Brugis familiâ natus, S. Theologiæ Doctor, & in Academia Lovaniensi, in qua Rhetoricam quoque docuerat, Professor, & ibidem ad S. Petrum Plebanus, & Pastor, cum annis quinque pedum Brugense tenuisset. anno 1567 ad meliorem vitam transivit.

Remigius Driutius II. Episc.

Curtium secutus est Remigius Driutius in Casletensis territorii pago de Volkerinchove natus, I. V. D. antea consilii Mechliniensis Adsessor, libellorum supplicum Magister, & Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Brugensis, prius à Rege Catholico nominatus ad Ecclesiam Leovardiensem, in qua nunquam resedit. Ad Brugensem autem Ecclesiam anno 1569 translatus confirmante electionem Pio Quinto, anno 1571 Synodum Diœcesanam celebravit. Postquam verò annos 24 & menses sex singulari cum laude Episcopalem hanc dignitatem gessisset, anno 1594 ad beatam immortalem vitam emigravit.

Matthias Lambrechtus, III. Brug. Ep.

Tertius Brugensium Episcopus fuit *Matthias Lambrechtus* è pago D. Laurentii, qui pars est territorii Maldeghemiensis, oriundus, S. Theol. Licentiatus Lovaniensis. Vir, ut paucis elogium magnum habeat, ingenio, pietate, doctrinâ cum præcipuis quibusque sui temporis doctoribus meritò comparandus. Primum Canonicus Graduatus & pænitentiarius Brugensis, exin Archipresbyter, & Archidiaconus, ac demum Episcopus fuit consecratus anno 1596. annis fere sex Episcopus fuit, obiit anno 1602.

Carol. Phil. a Rodoan, IV. Brug. Episc.

Matthiæ successit *Carolus Philippus de Rodoan* Berlegemius, I. V Licentiatus Lovanii factus, vir apprimè nobilis & prisci candoris. Ecclesiæ Cathedralis Virdunensis primum Canonicus; exin Gandavensis Ecclesiæ Decanus & Middelburgensis in Zelandiâ Episcopus fuit; Abbas etiam commendatarius Eynhamensis, Brugensium denique Antistes; in administratione ejus Ecclesiæ laudem promeritus singularem, vitam cum pedo dimisit Eynhamiæ Anno 1616.

Antonius Triestius, V Brug. Episc.

Carolum Philippum Rodoanum secutus est *Antonius Triestius* è nobili & prisca Triestiorum apud Gandavenses familia. Primus Brugensium Anti-

Antiſtitum in æde ſua Cathedrali Pontificales infulas à Matthia Hovio Mechlinienſi Archiepiſcopo accepit, aliis alio in loco ob turbas temporum unctionem accipientibus.

Dionyſius Christophori, VI Brug. Epiſc.

Vocato ad Gandavenſem Tiaram Antonio ſucceſſit *Dionyſius Chriſtophori*, natus Antverpiæ, & Lovanienſis Theologus, vir præclaris animi dotibus præditus; Beneficiatus primum in Cathedrali Antverpienſi fuit; ex nominatione dein Academica Canonicus & Plebanus ad D. Petri Turnhoutanus. Quo munere cum per ſemeſtre functus eſſet, anno ſæculari 1600 Romam profectus Roberto Cardinali Bellarmino à ſacris aliquandiu & ſecretis fuit, & cum eodem Capuæ Archiepiſcopum agente, reſedit, ubi ex beneficio Pontificis Præbendam Canonicatum, & Scholaſteriam in Eccleſia Cathedrali Brugenſi accepit, unde ad ſuos reverſus, Synodo provinciali per Matthiam Hovium indictâ, ejuſdem Secretarius à patribus eligitur; qua concluſa, ab iiſdem etiam Romam pro confirmatione Apoſtolica deſtinatur, quam & à Paulo Quinto impetravit, litteris ejuſdem Pontificis mentionem Chriſtophori facientibus, & Hieronymo Cardinali Pamphylio hac in parte navatam à Chriſtophoro operam etiam laudante. Itaque jam ſecundo ex Vrbe reverſus, Seminarii Brugenſis à præcedentibus Epiſcopis inſtituti, à Rodoanio verò reſtituti primus Præſes & Profeſſor conſtitutus fuit, cui muneri dum ſedulò incumbit, Anthonio Trieſt ad Brugenſem Cathedram electo in Decanali dignitate ſucceſſit, in comitiis Ordinum Flandriæ aliquamdiu etiam Adſeſſor. Ex Decano autem factus Epiſcopus, delitium populi, & urbis amor fuit; obiit anno 1629.

Servatius Quinckerus, VII Brug. Epiſc.

Poſt Dionyſium Chriſtophori poſitus eſt in Epiſcopali hac Cathedra *Servatius Quinckerus*, origine Brugenſis, S. Theologiæ Licentiatus, Canonicus primum & Archipresbyter; exin Eccleſiæ Cathedralis Decanus, & in Comitiis Ordinum Flandriæ per aliquot annos Adſeſſor, ubi magna rerum gerendarum dexteritate induſtriam ſuam probavit, prout in variis etiam magnique momenti Regularium negotiis ac difficultatibus.

Nicolaus de Houdion, VIII Brug. Epiſc.

Nicolaus de Houdion, dictus Gibercies, Bruxellenſis, ex Canonico, Officiali, Decano, ac demum Præpoſito Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis Gandavi, conſecratus eſt Epiſcopus Brugenſis 26 Ianuarii anno 1642: obiit Lovanii dum ab aquis Spadanis reverteretur 24 Septembris 1649. Suam Eccleſiam bonorum ſuorum ſcripſit hæredem, inque urbe Brugenſi Montem Pietatis erexit.

Carolus vanden Boſche, IX Brug. Epiſc.

Carolus vanden Boſche natus Bruxellis 21 Martii 1597, educatus Namurci & Ruræmundæ ſub diſciplinâ parentis Viri Ampliſſimi Franciſci vanden Boſche, dum illic Præſidem Concilii, hîc Geldriæ Cancellarium ageret. Profectus Romam in comitatu Ampliſſimi viri Philippi Maes avunculi ſui, quem ad Sedem Apoſtolicam Agentem legarunt Ser. Principes Albertus & Iſabella; ibi per plures annos ſtudiis operam dedit: in Belgium reverſus juris utriuſque Lovanii factus Licentiatus anno 1521: mox Capellanus Aulæ, Canonicus Gandavenſis, ac Montenſis, demum Decanus Eccleſiæ Cathedralis S. Donatiani Brugis renuntiatus 5 Iunii 1630. Exinde novus Brugenſium Epiſcopus inauguratus 5 Iunii 1651: ac poſtea translatus ad Epiſcopatum Gandavenſem, cujus poſſeſſionem adiit 8 Junii 1660.

DITIO FRANCONATVS, vulgo HET VRYE.



Ditio Franconatus sive *Terra Franca*, quæ quartum Flandriæ membrum constituit, ad clientelam ac societatem olim Brugensium spectavit, ejusque urbis Castellania quasi tota fuit; nunc autem à tempore (vel paulo ante) Ludovici Maleani, hoc est 250 fere annis ab Vrbe Brugensi penitus divulsa, & libertati unde nomen servat, restituta fuit contra ejusdem urbis voluntatem. Quamobrem magni aliquando, præsertim sub Philippo Bono, Brugensium motus fuere. Aër Regionis est temperatissimus, tritici non usque adeo ferax; at secale, avena, fabæ, pisa, viciæ, fagopyrum, vulgo *Boekweyt*, linum denique & cannabis, item varia optimorum fructuum genera felicissime istic & copiose proveniunt. Verum priusquam particularem hujus ditionis descriptionem aggrediamur, operæ precium fuerit Latinum Guicciardini interpretem audire. Solebant enim *Gandavum*, *Brugæ*, *Iperæ*, sine alio omni concursu, solæ per se constituere tertium ordinem Flandriæ. Vnde porro ob magnum illud imperium, & qua domi forisque pollebant authoritate, potentes admodum & insolentes facti Brugenses, eo superbiæ jam processerant, ut non Gandavensibus modo ac Iprensibus aliisque terræ Ordinibus, verum etiam ipsis Principibus, (privilegiis nempe & immunitatibus suis nixi) arroganter sese opponerent. Fuit autem ut in urbe grassante summa quadam annonæ caritate, pagi imperio ejus subjecti, qui & plurimi numero erant, & opibus admodum validi, non pecuniis minus, quam commeatu civitati succurrerent; sed non alia lege, quam ut in causis juridicis fas in posterum ipsis foret transire à tribunali Magistratus Brugensis ad illud Præfecti arcis seu Castellani (ut vocant) per id tempus in Arce Brugensi Principis nomine commorantis. Quum annuissent Brugenses, & paulatim accrevissent tam numero, quam authoritate, paganorum primates obtulere tandem libellum supplicem Philippo Alsatio Comiti, petieruntque ut de cætero singularem ipsis & separatam jurisdictionem exercere permitteret. Comes reluctantibus frustra Brugensibus, quorum viribus & audaciæ modum aliquem ponere cupiebat & frænum, occasionem hanc sibi oblatam lubens arripuit, & annuit postulationibus paganorum. Ipsi obtento hoc privilegio, instituerunt postea bona Principis venia insignem quendam & amplissimum Magistratum constantem è 27 Senatoribus (seu Scabini cum vulgo dicendi sunt) ex Nobilitate eorum deligendis, & in ætatem eo munere perfuncturis. Constituerunt præterea, ut quotannis deligerentur quaterni Consules, terni quidem ex illo ipso Collegio, quartus vero ex populari illorum ordine: creato item Prætore seu ministro & executore Justitiæ. Voluerunt autem hunc Magistratum domicilium suum habere in Vrbe Brugensi, & convocari in ipsam Arcem: (Hodie, ubicunque libuerit, modò intra ipsorum territorium, liceat sedem ei deligere) & in Præsidem hujus Senatus electus fuit ipse Arcis præfectus. Atque ad hoc exemplum Magistratus hic eousque se rexit, donec Comitissa Ioanna, empta Præsidis dignitate ab eo, cui tunc forte obvenerat, Ioanne Toparcho Nigellano, anno 1224, vel, ut alii volunt, decennio post, Franconates alienæ omni potestati exemit, & in liberam integramque hujus ditionis possessionem misit, collato iis insuper imperio in suburbana quæque loca & pagos, ita ut omnis Brugensium jurisdictio intra pomœria urbis coërceretur. Crevere deinde Franconatibus pari fere cum opibus potentiaque, mensura etiam animi: quare nec prius cessarunt, quam superata omni difficultate, & obstaculis sibi à tribus illis primariis terræ membris, ut fieri assolet, factis, obtinuerunt tandem à Burgundiæ Duce Philippo Bono circa annum 1436 (vel ut alii volunt, multo prius, & à Philippo Audace) authoritatem & titulum quarti in Flandria membri: ea tamen conditione (quod postea quoque mutatum) ut in bellis omnibus sequerentur Brugensium signa. Gaudent hodieque hac quarti membri præeminentia Franconates, & obtinent imperium longe lateque diffusum in omnes pagos & clientelas, Vrbi Brugensi intra septimam leucam circumjectas. Quem secutus Marchantius non dispari sententia scribit: Quæ terra Franca vel Vrylatorum hoc est Liberorum vernacule nominatur, hinc nomen illud videtur esse nacta, quod pretio, officiis, obsequiisque in magna annonæ caritate, tempestivis ac gratis, à Iurisdictione Brugensi diffui impetraverit, Castellani Brugensis juri ac imperio laxiori & imbecilliori subderetur (qua in opinione Ioannes Ludovicus Vives est) exueritque optimi capitis Balfarti similesque servitutes. Cui sensim in magnum corpus amplificatæ, Philippus Alsatius, terræ proprietarius, à Brugensi Castellano rogatus, juris formam legesque præ-

Soli fertilitas.

Origo Franconatus.

præscripsit, Curebrevi, hoc est, selectorum statutorum diplomate, à Ludovico Nivernio, qui & Cressius, & à Philippo Audace confirmato, ac ad illorum temporum mores accommodato: ubi cavetur, ut insidiarum lethalium auctor, quique illis hortum domumve subministrat, homicidii reus; qui auxilio fuerit (salva vita membrisque) Principis & Castellani voluntati obnoxius esto. Fur in rerum ablatarum æstimationem & in mulctam trium librarum Parisicarum damnas esto: prædesque duos, se deinceps abstenturum, in eam summam singulos dato: mulctæ autem ad Comitem, Castellanumque æqualiter accedebant. Impuberis puellæ, hujus hæredibus inconsultis, matrimonium eblanditus, bona committito. Virorum criminis peractorum pœnæ mulctæque, uxores liberosque insontes, non tenento. Idem Philippus 27 Scabinorum Magistratum illic instituit: quibus nimirum viventibus functio non adimitur, nisi aut Principem mutantibus, aut falsi convictis; ex quibus tres solummodo, Burgimagistri puta, ab Oriente, Septentrione, Occidente, Ludovici Cressii ad annum 1330 jussu denominati, per Principis vicarios ordinatos, circiter Non. Septemb. statim post Brugensem Magistratum renovatum, quotannis creantur: quarto consule ex Vrilatis (qui ex Magistratu Scabinorum non sunt) primario adjuncto, qui communitatis dicitur, primæque est dignitatis, velut Tribunus aliquis plebis. Meminit & alterius formæ Franconatibus traditæ per Margaretam Constantinopolitanam, Meyer. lib. 9 Annal. ad ann. 1267. in hæc verba: Margareta Princeps in agro Brugensi, (quod Francum vocant) tria instituit tribunalia, Brugis, Rodenburgi & Aldenburgi, ordinemque judiciorum ac rationem litigandi tradidit. Sed tenuit ea institutio duos tantum annos. Porro terram Francam Ioanna Constantinopolitana coëmit à Ioanne Brugensi Castellano Neellæ Gallicæ dynasta: qui in tabulis venditionis Meloduni anno 1224 confectis, affirmat se Ioannæ hæreditarie vendidisse & cessisse Castellaniam Brugensem, & quicquid tenebat feudi homagiique inde dependentis, ac pretium sibi persolutum, quod fuit viginti tria millia, quingenta quadraginta quinque libellæ, sex solidi, octo denarii Parisienses: contractui velut testibus adhibitis Ludovico VIII Galliæ Rege, Philippo ejus fratre Boloniæ Com. Garino Episc. Silvanecti, Cancellario, Matthæo Montmorencyo, Conestabile, aliisque proceribus. Hæc terra Franca valde ampla est, fertilis & opportuna Isaræ, Liviæ, aliorum fluentorum, marisque affluxu. Includit 35 Ambachta cum appendentibus & contribuentibus. Ambachta ab Ardenburgo, Ghistella, Leftinga, Aldenburgo, Oostburgo similibusque nomen sortita, & pagos 90 complexa, unius Terræ Francæ tribunalis in Brugensi urbe atque Burgo per Ludovicum Cressium anno 1323 stabiliti, judiciis decretisque parent. Appendentes, contribuentesque (sic enim vulgo appellantur) 29 pagis instructi, suis quidem singuli aliquo usque Toparchis obsequuntur; sed in publicis comitiis, consiliis, tributisque, Ambachtorum subsidiarii sunt atque portiarii: Appendentibus ad Terræ Francæ: Contribuentibus ad Consilii Flandriæ tribunal appellantibus. Inter quos subsidiarios spectare est, Præposituram S. Donatiani Principe viro dignam, Baronias & Dominia de Winendale, Prat, Maldeghem, & Guisæ cum Wtkercke & Hardoge, Lichtervelde, Merkem & alia. Pagis autem illis Vasallicis, Dynastiæ plusquam centenæ, templorum consorti annexæ, jurisdictione sejunguntur. Statuit Ludovicus Cressius, ut exulibus Brugensibus, aliorumque oppidorum tuto liceret in terra Franca agere: è diverso ut Vrylati nusquam captivi detineantur, nisi prius in jus vocati convictique, quod à patre antiquatum fuerat, Ioannes Digonius indulsit, venditque terræ Francæ Magistratui septem Scutatorum Francorum millium, scriba tum tribunalis, hoc est, ejus muneris conferendi cui velit facultatem. Enimvero Philippus Bonus ejus filius, tum ut Nobilium aulæ assuetorum obsequentiumque, qui ibi fere in Magistratu erant, opera ad commodum suum, publicis in comitiis uteretur, tum ut Brugensium potentiam frangeret, constituit, ut terra Franca, quartum membrum tribus aliis adjungeretur; quum prius ad tres urbes, quasi tripolim cætera Flandriæ Teutonicæ linguæ obnoxia referretur; atque signum militare, sigillumque non secus atque aliis membris ad annum 1437 attribuit, invita sane quam maxime Bruga atque obmurmurante. Quam indignationem, orta in Mariam, Philippi neptem, Maximiliano postea enuptam, tempestate, velut vomicam patefecit, ut fistulæ diu interclusæ, aut interceptæ, turbidiores aquas ejiciunt; tum enim à tumultibus non prius abstinuit, quam impetravit, ut quarti membri prærogativa terræ Francæ adimeretur; Sed hanc Carolus V Cæsar reddidit, atque in perpetuum lege firmissima sanxit. Sicut autem Franconiæ tractus totus etiamnum est ager Brugensis (id est Reipub. Brugensium olim obnoxius) sic tum illius, tum Brugensium Prætor est communis, quandoque & Castellanus Brugensis vocatus; quanquam olim major ampliorque fuerit Castellanorum authoritas ac potentia, quam hodie sit eorum qui prætura Brugensi ac Franconatum utuntur.

Amplitudo.

Fuisse autem aliquando aliam aliquam Reip. apud Franconates formam, colligere posse videmur ex iis quæ ad annum 1330. sub Ludovico Nivernensi narrat Meyerus, de iis in hunc modum scribens: *Eodem anno Franconates Ludovicus Princeps trifariam partitus est, in Septentrionales, Occidentales, & Orientales, singula constituens iis prætoria cum Scabinis tredecim, quos annuos tantum esse voluit.* Sunt enim illi jam perpetui, & ad unum aliquod prætorium Brugis constitutum omnes relati: eorum tamen adhuc Tribunalium nomina servantur, & è toto magistratu deputati semper aliqui cum suo consule, qui res illarum partium specialius curent. Porro quam omnis ille tractus Occidentalium præsertim Franconatum olim fuerit, vigente scilicet per Flandriam lanificio, populosus, ex verbis ejusdem auctoris colligitur ad annum 1383. sub Ludovico Maleano. *Occidui*, inquit ille, *Franconates*, *de*

Populositas.



MARE GERMANICVM
Numeri sunt notæ orgyiarum quæ profunditatem maris notant.
ZEELANDIÆ
Walcheren Insula
PARS.
Middelburch
Vlissinghen
De Honte
Land van Groede
T'LANDT VAN DEN VRYE
Brugge
Ghent
Dixmuyde
Rousselare
Tielt
FRANCONATVS, Vulgo HET VRYE.
Guiljelmus et Iohannes Blaeuw exc. Amsterdami.
Milliaria Germanica.

14

quibus ſumus locuti, Iſara amne, qui ad Neoportum mare influit, à Furnenſibus diſterminantur, & his fere vicis, & pagis continentur: Aldenborgo, Oſtenda, (quæ duo inter oppida cenſentur) Ghiſtella, Ouclaria, Bredena, Mœra, Zevecota, Guiza, quæ Baronem habet, Slipia, Weſtenda, Wilraphi Ida, Lombardi Ida, quod olim oppidum, nunc fere nihil; Scora, Zantfordia, Leffinga, Steria, Zanda S. Crucis, Leka, Clayhem, Vlareldi Colonia, ubi Heya Caſtellum, Viruli Trajecto, Berſta, Zarra, Wercken, Woma, Clerchem, Eſna, in qua Dixmude oppidum ad confluentem Iſaræ & Zarræ. Notandum autem eſt eos vicos & pagos cauſa lanificii tum longe plures habuiſſe colonos, quam hodie habent, deſito jam lanificio. De eiſdem mox idem auctor ſub Margareta Ludovici filia ad annum 1384 in hunc modum: *Interdum petitione Brugenſium ne poſthac Franconates per pagos ſuos lanificium faciant: quæ res tandem plus ipſi oppido, quam pagis nocuit.* Merito: nam univerſim à pagorum in vicinia poſitorum florente ſtatu, oppidorum bona. Idem ad annum 1414. ſub Ioanne Burgundione: *Franconates Dux ab omni pœna liberat confiſcationum, præterquam in crimine perduellionis contra ſe vel ejus uxorem, aut liberos legitimos, aut ipſius Cancellarium. Actum Gandavi Kal. Octobris.*

Et iterum ſub Carolo Burgundione ad annum 1468, munificentiam Franconatum commemorans: *Hoc Paſcha*, inquit, *Dux Carolus celebrat Brugis, & 13 Kal. Maji in ædibus Franconatum præſtat, recipitque fidem. Donavit illi quadraginta Marcas argenti infecti. Magnus numerus exulum ſingulari indulgentia patriam recipiunt ſoli rejecti, qui propter motum aliquem, aut ſeditionem factam fuerant deportati.* Quantis autem conatibus, ac quo molimine ſæpius tentarint Brugenſes ditionem hanc Franconatum, ſuæ poteſtati, ut aliquando fuerat, ſubjicere, & hoc efficere ne quartum Flandriæ membrum cenſeretur, cum in omnibus Flandrorum hiſtoriis, & copioſe apud Meyerum legatur, tum vel ſatis ex paucis his, quæ de tumultibus ſub Philippo Bono excitatis commemorat Marchantius, colligitur: *Anno 1436. Gandavenſes*, inquit, *cum Brugenſibus quietem Reip. interpellarunt, illi quidem quod ægre tolerarent, novam veſtem à militia redeuntibus dari ſolitam, ſibi à Caliſio revertentibus denegari, reſtemque potius à Magiſtratu irato offerri: Hi vero ut Sluſanos, qui portas ipſis, oram ibi maritimam contra Anglos defenſuris, occluſerant, gentemque factioſam appellarant, ulciſcerentur, & ne* (Franconates) *Vrilati quartum Flandriæ membrum, uti Philippus jubebat, conſtiuerent, ſed ipſorum municipes & ſubſidiarii permanerent. Quod poſtremum Principis voluntati, Gandenſium ſuaſu conceſſiſſent, niſi plebem quæ inſtar lacus per ſe quieti, immobilis eſt, Iacobus Meſſemakerus concitaſſet, atque divertiſſet. Qui, miror, ait, cives Brugenſes, vos Gandenſium conſiliis, ac Principis Imperio tantum tribuere, ut agrum ab urbe, colonos à Dominis, clientes à patronis, corpus denique à corde abſtrahatis. An neſcitis hoc pacto duas Civitates ex una, pro vicinis hoſtes, pro amicis æmulos, pro quiete turbas vos habituros? Itaque ſi ſapitis, nec quæ natura ab initio conjunxit, uſus ſanxit; neque arborem à cortice, neque matrem à liberis avellatis. Sic ille vulgo obſiſtendi pervicaciam auxit eo gratior, quia facundus, & culpæ vel gloriæ ſocius aperte in cauſam deſcenderat.* Privilegiorum autem quorundam Franconatibus conceſſorum à variis Flandriæ Principibus meminit Petrus Oudegherſtius in chronicis ſuis quæ Gallico ſermone conſcripſit. Quædam è textu auctoris non improbi huc adducam. Sub Ferdinando Comite & Ioanna ait; Illud quoque Franconatus incolis benigne indulgent, quod nullus ex eorum Conſulibus poſſit à conſulatu amoveri, ſeu commutari, niſi forſan alteruter ex his caſibus inciderit; nimirum vel ſolennis, iſque primus in civitatem Principis ingreſſus; vel ubi quiſpiam illorum, per legem, falſi convictus fuerit: quod conceptis hujuſmodi verbis ratum fecerunt: *Recognoſcimus, quod Scabinos officii Brugenſis amovere non poſſumus, niſi eſſent falſificati ſecundum legem, præterquam cum novus Dominus in terram venerit, ipſe eos amovere poterit, & ponere.* Qua de re etiam litteræ ex oppido Maleenſi datæ anni milleſimi ducenteſimi, 3 Novemb. conſpiciuntur. Singulis etiam in Franconatu degentibus, quanto tempore ibidem permanerent, eam ſervitutem remiſerunt, quæ lingua eorum vernacula *het beſte Hooft*, à Gallis autem *Præcipui Capitis* indigetatur; conceſſis eapropter duabus apud D. Matthæi civitatem Patentibus. Exinde vero cum Flandriæ Comitiſſa in luctu & viduitate ageret, inter plurima quæ in Belgas contulit privilegia, quibus ipſorum obedientiam fidemque ſibi ſtrictius devinciret, hoc etiam Franconatus habitatoribus declaravit, quod inpoſterum Conſulum ſeu Scabinorum dicto ſtaretur tanquam certiſſimo, non autem Officiariorum à ſe conſtitutorum arbitrio; dummodo tamen Conſules ipſi ſuper facti veritate plenius informarentur. Hujus porro privilegii expeditæ ſunt litteræ apud Maleenſes, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo quinto, Majo currente. Imo & prænobilis Comes Thomas, Ioannaque Comitiſſa, pecuniariam relaxarunt Franconatibus ſervitutem, quam quotannis Comites illic exigere ſub nomine *Balfaert* conſueverant; de hoc teſtantur litteræ menſe Ianuario conſcriptæ anni milleſimi ducenteſimi quadrageſimi, præſentibus etiam inibi Arnoldo Audenardæ Caſtellano, Raſſo de Gavere, Guillelmo de Bethune Domino de Muelebeke, Ægidio de Bralençon, Balduino de Bailleul, necnon & Ægidio Brugenſi Canonico. Præfati vero Comes & Comitiſſa ad hujuſmodi ſui juris in hoc dominio relaxationem ex eo fuere commoti, quod pauperes duntaxat prædicta ſervitute premerentur, dicatque Propheta: *Dominus requirit ab homine facere judicium, & diligere miſericordiam.* Meminit & antea Franconatum idem Auctor ſub Philippo Elſatio in hæc verba: *Brugenſis etiam Caſtellaniæ, id eſt Franconatus civibus* (olim enim Caſtellania Brugenſis omnis fere Franconatum ager fuerat) *Summam Iudiciorum conmiſit, ut inter litigantes jus dicerent*; hujuſque conceſſionis Litteras expediri curavit, *Keure* dictas, quæ quidem varia complectuntur; illud vero præ cæteris notatu dignum; ne ullus ex Franconatu civis, ex matre ſpurius ſit; Verborum tenor is eſt qui ſequitur: *Quidquid mulieri contingere poteſt ex parentibus, hoc filio ſuo contingere poteſt. Quidquid homo filio ſuo fornicario dat ſine conditione, hoc eſt, poſt mortem ejuſdem filii, devenire poteſt in parentes matris pueri: ſi autem à patre conditio aliqua ſuper donatione illa fuerit, conditio obſer-*

vanda

vanda erit post mortem prædicti pueri. Vnde liquet Franconatus incolam posse filium nothum quibuslibet suis de rebus hæredem conscribere, sive absolute, sive sub conditione, aut alia quavis ratione. *Item quicunque scurram hospitaverit, plusquam una nocte, si in crastino abscedere noluerit, poterit eum Dominus in aquam projicere, absque fore facto. Item de furto, qui protractus fuerit, dabit illi qui suum abstulit, æstimationem rerum suarum ablatarum, & Comiti & Castellano tres libras, & duos plegios statuet cognitos, quod deinceps desistet, quemlibet eorum pro tribus libris. Si ille postmodum ciciderit, & illum plegii adducere non possunt; tunc jurabunt eum adducere non posse. Quod si postmodum de furto impetitus venerit, purgabit se judicio frigidæ aquæ in corpore suo tantum.* Videtur autem postremus hic articulus, impune latrocinandi copiam Franconatibus facere.

Spectabat olim Brugensis Castellania Dominum peculiarem sub titulo Castellani Brugensis, qui recensita jam statuta necnon & privilegia à dicto Philippo Comite favorabiliter impetravit. Hæc tamen ego jura, prout expedit, nunc antiquata, & extra usum esse arbitror.

Laudat eandem Remp. dictus auctor à Politia & Magistratu sub Guidone & Margareta Constantinopalitana, hoc modo: *Franconates in ipsa civitate Brugensi commorantes aliam nobis exhibent formam regiminis; in hac quippe Magistratus extant perpetui, adeoque prudenter electi, ut nec ulla sit provincia quæ rectius laudabiliusque administretur quam ipse Franconatus, ubi incomparabilis auctoritatis magnificentiæque Senatus cernitur, idoneus inquam regendæ non huic tantum suæ jurisdictionis provinciæ, sed regno omnium amplissimo, quin & præ reliquis opulentissimo.*

Paulo post sub eodem Guidone idem auctor hæc subjungit: Præfatus Comes Guido Brugenses inter atque Franconates quoad Bourchstormum, id est, supervenientium litium tribunal, hunc statuit ordinem; ut si forte lis inter Franconates ambos suboriatur, ad Franconates quoque judices devolveretur judicium; sin autem ambo cives sint, à Consulibus Brugensibus lis definiatur; at si fuerit uterque alienigena sive extraneus, id est neque ex civitate Brugensi oriundus, neque ex Franconatu, tum demum de hujusmodi processu Brugenses cognoscerent; itidemque si hic foraneus, ille autem in numero civium computaretur. Porro si fuerit unus quidem extraneus, alter verò Franconatûs hospes, & tertius civis titulo ornatus, hospesque ille Franconatus litis initium fecerit, ad Franconatus tribunal spectabit judicium ejusmodi; si autem civis liti causam dederit, Civitatis est jus dicere: tandem si causa fuerit ambigua, inquiret Balivus ipse, ut hac ratione litigantes coram competenti judice compareant; ut plenius constat ex litteris anni millesimi ducentesimi octuagesimi noni. Quæ superventu similium casuum, adhuc in viridi observantia esse mihi persuadeo. Vtroque populo, uti justum, privilegiorum suorum (ad quæ concedenda animus Principum nunc frigidior) perquam tenace.

Auctor idem meminit rursus Franconatum sub Ludovico Cressiaco verbis sequentibus: Exortum inter Brugenses atque Franconates de pannorum textura dissidium composuit; statuitque posse deinceps apud Franconates pannorum texturæ navari operam, datis subinde litteris anni millesimi trecentesimi vigesimi secundi: Decrevit quoque quod lex Franconatus sedem in perpetuum stabilem Brugis esset habitura, ut patet ex datis anni millesimi trecentesimi vigesimi tertii.

Idem sub Philippo Audace & Margareta ejus conjuge Lodovici Maleani filia: Firmarunt, inquit, Franconatum privilegia, consuetudines & usus, quibus ante novissima dissidia potiebantur, hac tamen lege posita, quod iis uterentur, prout decet; quare & iisdem concesserunt litteras anni millesimi trecentesimi octuagesimi; junctisque aliis octuagesimi noni, & nonagesimi, initis nuper inter Franconates & Slusenses contractibus robur addiderunt in his quæ *Keure*, id est, utrumque statutum concernunt, *Oostkeure* nimirum, & *Zuidtkeure*, anni 1399, quæ Slusenses ad dilatanda civitatis pomœria intra illius ambitum assumpserant. Demum emanata ab eodem Duce Philippo arbitraria sententia perversam emendat Franconatum consuetudinem de cessatione legis in nonnullis casibus, providens qualiter in posterum iis occurrentibus se gerere debeant. Hactenus Oudegherstius.

Prætorium Senatus Franconatum.

Habet in Burgo, veteri olim arce, Brugensi Senatus Franconatum aulam suam sive prætorium, in quo toti Ditioni jus dicitur: archiva item sive munimenta Reipub. servantur. Domus est splendida & variis tricliniis commodisque instructa. Visitur in hac domo imago lignea sive statua Cæs. Caroli quinti, qua, ausim dicere, magis artificiosam & elegantem Europa non ostendet. Visitur & judicium universale à manu Pourbusii pictoris, Apellea fama & penecillo dignum. Alia denique admirandæ artis, quædam ex ligno faberrime facta. Habet & sacellum domesticum, in quo per singulos dies facit sacerdos ut rem illic divinam audiat Senatus. Foris etiam ad atrium ejusdem Prætorii videre datur statuas aliquot inauratas & elegantes prophanorum quorumdam apud paganos numinum, quæ symbolicis significationibus statum & munera terræ Franconatensis insinuant. Atrium quoque in quo disceptantur causæ, magnificum est, & in eo caminus egregius, inferius ex lydio lapide, in medio ex alabastro (ubi historia Susannæ à senibus sollicitatæ, ad judicium deductæ, senum captivorum, denique occisorum) in summo statua Cæs. de qua ante. Denique, quæ nec minori admiratione digna est, conspicitur hic Geographica ingens & ampla Tabula ditionis hujus à manu ejusdem Pourbusii graphice delineata. Ad orientem quoque attigua est huic Prætorio, & nuper aucta domus illius quem Actuarium Franconatensem nominant, qui beneficio ejusdem ditionis eam solet inhabitare. Non modo autem consulari, verum etiam Senatoria Franconatum dignitate functi sunt viri cum primis illustres & in Repub. nostra alto loco nati: quos inter anno 1469, *Gulielmus de Stavele* Vicecomes Furnensis: cui sequente anno pluribus accedenti successit *Iudocus de Lalaing* Dominus de Montigny, postea Eq. Vell. aurei,

Simone de Lalaing itidem Equite Vell. Aurei patre natus. Anno 1480, *Daniel de Praet* à cubiculis & consiliis Maximiliani Archiducis. Anno 1519, *Ludovicus à Flandria* Dom. de Praet & Ditionis de la Woestyne, Eq. Aur. Vell. An. 1540 *Philippus d'Ongnies* ejusdem loci Toparchus. Anno 1550 *Antonius de Sacquespee* Dom. Dixmudæ. An. 1561 *Carolus de S. Audomaro* dictus de Moerbu, Dom. de Dranoultre. Eadem dignitate etiam functi sunt viri præstantes è familiis *de Liedekercke, de Ghistelles, Halewyn, Claerhout, Bailleveul, Douxlieu, Poucques, Heule, Lichlemelde, vander Gracht, vander Vichte, Metteneye, van Boonen, Maldeghem, van Zeleghe, Wtenhove*, & aliis familiis per Flandriam nostram claris. Quorum seriem videre est in fastis Magistratuum Franconatum, quæ hic brevitatis causa prætermissa sunt.

Nunc ad seriem locorum transeo, quæ acto generali Flandriæ censu ad annum 1517 Princeps Carolus Ditioni Franconatum subjecta declaravit, quæque municipalium legum ac consuetudinum liber singulatim non expressit.

Loca sub Franconatu comprehensa.

Ambachtum Isendycanum:

Gaternesse — S. Catharinæ
S. Margaretæ — S. Ioannis in eremo.

Ambachtum Oostburgense.

S. Eligii — S. Bavonis
Nieukercke — Schoondyck
Moerkercke — Breskinssant.

Ambachtum Ardenburgense.

S. Crucis — S. Laurentii
B. Virginis Besuden — B. Virginis Benoorden
Coxide — B. Virginis intra Slusam
Heynkewerve — Heyle.
S. Bavonis

Ambachtum & Parœcia de Moerkercke.

Ambachtum de Oostkercke.

Oostkercke — extra Dammum.
Lapscuere — Waelscappelle.
S. Catharinæ

Ambachtum de Dudzeele.

Dudzeele — Ramscapelle.
Coolkercke

Lisswege Ambachtum.

Lisseweghe — Heylen — Cnockem.

Ambachtum de Vutkercke.

Vutkercke — S. Ioannis super Aggerem Wendunen.

Ambachtum & Parœcia de Zuwenkercke.

Ambachtum de Meetkercke.

Meetkercke — S. Petri super aggerem.

Ambachtum & Parœcia de Houthave.
Ambachtum & Parœcia de Nieumunster.
Ambachtum & Parœcia de Vliesseghem.
Ambachtum & Parœcia de Clemskercke.
Ambachtum & Parœcia de Bredenehouc.
Ambachtum de Oudenborch.
In Parœcia de Oudenborgh.
In Parœcia de Ettelghem.

Ambachtum Serwautermans.

Oudenburch — Ettelghem — Zantvoorde
Bredene — S. Cateline — Mariekercke.

Ambachtum de Camerlinck.

A Camerario Principum Flandriæ nomen habet, & putatur tota olim ditio ejusdem fuisse Camerarii. Quos inter Conon fuit in Aldenburgense S. Petri Cœnobium munificus, ut alibi latius dicetur.

Steene — Snellegheestkercke
Leffinge — Willekinskercke
Slypen — Mannekins verre
Middelkercke — Westende.

Ambachtum de Vlaersloo.

Vlaersloo — Vest — Keyghem
Leecke — Scorre — Noortovere.

Ambachtum de Wommen.

Wommen — Merckem.

Ambachtum de Eessen.

Eessene — Klerckem.

Ambachtum de Zarren.

Zarren — Hantsaeme.

Ambachtum & Parœcia de Bouvenkercke.
Ambachtum & Parœcia de Coukelaere.
Ambachtum & Parœcia de Yechteghem.
Ambachtum & Parœcia de Yemeghem.
Ambachtum & Parœcia de Aertrycke.

Ambachtum de Ghystella.

Ghistella — Moere — Zande — Zevekote
Houckewiete dictum Capelle — Westkercke
Roxem — Ettelghem — Bekeghem — Zerkeyghem.

Ambachtum & Parœcia de Zerkeyghem.

Ambachtum de Iabbeke.

Iabbeke — Staelhille.

Ambachtum & Parœcia de Snelleghem.
Ambachtum & Parœcia de Zedelghem.
Ambachtum & Parœcia de Loppem.
Ambachtum & Parœcia de Varsenare.
Ambachtum de Straten in Parœcia S. Andreæ.

Notandum pleraque horum Ambachtorum singulos suos habuisse olim Dominos ac Toparchas, sed moto aliqua in Principes bello, alia aliis modis fisco Principis, & immediato ejus Imperio subjecta fuisse.

APPENDICES.

Ambachtum de Maldeghem.

Maldeghem — Ayeghem — S. Laurentii.
't Nieuwe in Beerem — 't Walsche in Beernem.

Ambachtum Buuskins, Iongers Ambachtum in Oostcamp.
Hospites vulgò *Laeten* Dominii de Erckeghem.
Hospites Dominii de Rode dicti Nieuwenhove.
Dominium de Coolbrouck dictum Geersbrouck in Ruddervoorde.
Hospites de Knesselaere.
Hospites Decani in Ruddervoorde.
Dominium de Niewen in Oedelhem.
Dominium de Niewen in Loppem.
Hospites Dominii de Tilleghem.
Hospites Dominii S. Georgii ad Vrticam.
Hospites de Gentbrugghe, item de Wulfsberghe.
Hospites de Coolscamp & Hardoye.
Dominatus communis in Hardoye.
Dominium de Ayshove in Hardoye.
Hospites de Ayshove in Coolscamp.
Hospites de Huelselaer in Coolscamp.
Hospites de Pauschen.
Hospites Mortaignen in Coolscamp.
Dominium de Lichtervelde & Curia de Coolscamp, Parœcia & Dominium de Lichtervelde, Coolscamp sub Lichtervelde.
Hospites Curiæ, & Dominii de Ruddevoorde.
Dominium de Viven. Dominium de Vrsele.

Beve-

Beveren apud Rollarium.
Dominium de Onlede in Beveren.
Dominium de Merkem.
Dominium & Hospites de Oorscamp.
Oorscamp, Ruddervoorde, Waerdamme onder Oorscamp, Bevere onder Oorscamp, Wingere onder Oorscamp.
Zuevezele.
Hospites Dominii de Praet.
Ditio Winendaliensis.
Parœcia de Thoraut, Werkene, Cortemarck, Handsame. Dominium de Ogierlande, Dominium de Peerboom, *Dominium de Gheyts*, Dominium de Haghebrouck, Dominium de Wychuyse, Noortovere, Dominium de Viverschen, Dominium de Pauschen, Dominium de Crincghe, Dominium de Marchove, Curia de Ruddervoorde in Zuevezele, Dominium de Heetwale.
Dominium de Guysen. Zevecote, Zande met Couckelaere, Middelkercke. In Parœcia de Iabbeke. In Parœcia de Staelhille, in Parœcia de Houthave cum Roxem.
Dominium de Zizele. Oedelhem, S. Bavonis, & S. Salvatoris, S. Crucis. *Arssenbrouck.* S. Catharinæ ad meridiem.
Oppidum & Dominium de Middelburch cum Heyle.
Oppidum de Middelburch cum Heyle.
In Parœcia S. Crucis. In Parœcia B. Virginis in Ardenburch.
In Parœcia S. Bavonis. In Parœcia de Moerkercke.

Præpositale Dominium S. Donatiani.

S. Crucis extra Brugas. Oostburghi Ambachtum in Parœcia S. Bavonis. Ardenburgi Ambachtum in D. Virginis *Benoorden.*
In Parœcia de *Nieukercke. Oostkercke.* Ambachtum in S. Catharinæ extra Dammum. *Lapschuere.*
In Parœcia de *Oostkercke & Coolkercke.* In Parœcia de *Waelscappele.*
In Ambachto & parœcia de *Moerskercke.*
In Ambachto & parœcia *de Dudzele*, in Parœcia *de Ramscappelle.*
In Ambachto & parœcia *de Zuwenkercke.*
In Ambachto *de Vutkercke*, & Parœcia *de Wendunen*, in Parœcia *de Vutkercke.*
In Ambachto & parœcia *de Vliesseghem.*
In Ambachto & parœcia *de Clemskercke.*
In Ambachto & parœcia *de Iabbeke*, in parœcia de *Staelhille* in Oudenburgo, in parœcia *de Ettelghem, Zerkeghem.*
In Ambachto *de Bredenhouck*, & *Scheerwautermans.*
In Scheerwautermans Ambachto in parœcia *de Oudenburch.*
In Ambachto Ghistellæ in parœcia *de Oudenbourch*, Ghistella extra Scabinatum in *Roxem.*
In Ambachto *Scheerwautermans* in parœcia *de Santvoorde. Aldaer* in parœcia S. Catharinæ & *Bredene.*
Camerarii Ambachtum in parœcia de Weesthende.
In parœcia *de Snellegheerskerke*;
In parœcia *de Leffinghe*;
In parœcia *de Werkene*;
In Ambachto & parœcia *de Vlaertsloo*;
In Ambachto & parœcia *de Eessene*;
In Ambachto & parœcia *de Snelleghem*;
In parœcia *de Handsame*;
In Ambachto & parœcia *de Varsenaere.*
Ambachtum & parœcia de Straten.
In Ambachto Camerarii in parœcia *Mannekinsberre, Slypen.* In parœcia *de Willekinskercke* dictum *Walrauwezyde.* In parœcia *de Middelkercke*, dictum Vranx Ambachtum.
Dominium Canonicale in Ambachto Ardenburgi.
In Ambachto *de Moerkercke.*
Ambachtum de Oostkerck. nimirum *Oostkerck, Lapschuere*, & S. Catharinæ extra domum, *Westcappelle.*
Ambachtum de Dudzeele nimirum *Dudzeele*, *Coolkercke* & *Ramscappelle*
Ambachtum de Lisseweghe. Heys *in Lesseweghe.*
Ambachtum de Zuwenkerke, nimirum *Zuwenkercke* & S. Petri supra Aggerem.
Ambachtum de Vutkercke, *Wendunen* & *Vliesseghem.*
Canonicale Dominium in Honthave, *Bredene*, *Sierwautermans*, Ambachtum *in Zantvoorde.*
Oudenburgum & *Clemskercke. Middelkercke* in Ambachto Camerarii. *Zarren*, *Eessene*, *Aerdrycke*, *Bekeghem*, S. Michaëlis.
Caprica. Ambachtum Dominium, & *Curia de Eecloo*, Oppidum *de Eecloo. Adeghem* cum Eclonia pendens S. Laurentii. *Oostecloo* sub curia Ecloniana.
Lembeka sive *Aueschoot. Aueschoot* in parœcia *de Lembeke.*
Dominium & parcum de Male. Slusa parœcia *de Wulpen*, antequam tota aquis absorpta esset.
Habes itaque jam seriem oppidorum, parœciarum, & variorum in his Dominiorum, quæ novissimus Flandriæ census Franconatum ditioni submisit. Quia vero variis in locis hactenus, sed obiter tantum, à nobis mentio facta est census Flandriæ, universalis illius & etiamnum permanentis, quem Provinciales *Transportum* vocant: sciendum Caroli Quinti Cæsaris auctoritate, per mandatarios ipsius & quatuor membrorum, biennium illi operæ impendentes repetitum, mutatumque fuisse; & ad annum 1517 ab eodem Principe sancitum, Insulas missum fuisse, ut tabulis rationum Flandrensium insereretur. Census etenim ille per Ioannis Digeonii, & Flandriæ membrorum trium delegatos anno 1408 Aldenburgi, inquit Marchantius, intra mensem renovatus, multis interim locis, bellorum marisque ingluvie imminutis, auctisque mercatura vel exutis, in magnam inæqualitatem incideret ac perturbationem. Cujus Transporti usus, atque praxis hanc facilitatem cum quiete, æquilibrium cum solvendi necessitate adfert, quoties pecuniæ ab aula efflagitatæ, & Ordinum assensu impetratæ summa coacervatur. Vt unaquæque urbs, Castellania, pagus, Dynastia, illic velut in speculo conspiciat, quantum singulis pro rata aggregare necesse sit, atque numerare. Origo verò hujus publici census, ac Transporti sub Roberto à Bethunia fuit. Cum enim Philippo Galliæ Regi pacando, & eidem Roberto ad annum 1305 ex iniquissima captivitate liberando, Flandri viginti millia nummûm Turonensium annua Gallis promisissent; (Insula ob eam rem, Duaco & Orchiaco cum agris hypothecæ oppositis) alterum illius summæ semissem ex Galliæ calculo prompta pecunia post redemerunt: alterum ex singulorum

rum oppidorum pagorumque cenſu annuo per ipſos ſtatuto conflatum (decem puta millia nummûm annua) in regem tranſportarunt, ut quam dixi hypothecam luerent, atque reciperent. At Robertus à Marigniaco Philippi Regis mandatario perquam familiari perjuris pollicitationibus (ut fieri apud illos homines ſolet) deceptus, anno 1312 pignoris illius redimendi facultati fertur renuntiaſſe, ac proprietatem hypothecæ ejuſdem in Regem tranſcripſiſſe, illis decem nummûm millibus annuis cenſitis à Rege in Robertum ipſum tranſlatis. Vnde cenſus ille Flandriæ Generalis, nomen tranſporti comparavit. Ita fere Iacobus Marchantius.

Dammum. Dammum oppidum ab aggere ſeu obſtaculo reprimendis aquarum decurſibus nomen accepit. Opus eſt Batavorum, quæ gens inter aquam nata, pluſculum aliis ad frœnandum, domandumque ejus inſolentiam poſſe creditur. Horum itaque pars ad annum 1179 huc delata inexplebilem reciprocantis Oceani voraginem ululante, moroſoque cane in foramen cavernæ injecto, & ceſpitibus mox cooperto obturarunt, indeque factum, ut canis inſignia ſtructum in vallo oppidum, & diſtinctionis portiunculam nomini aſſumeret, Agger-caninus vulgo *Hontsdamme* nuncupatus. Dammum ſaxeo muro cives ad annum 1238 ædificiis plateatim negotiatores, privilegiis Comites exornare cœperunt. Senatus formam ad inſtar Brugenſium conſtabilitam, ſanctiones de mulctis, & id genus reip. ſcita concipi viſa, & publicari anno. 1241. A quo tempore per Legatos Comitis, annuatim lectis novem Patribus, Senatus innovatur, exilio calumniatores punire, & tota Flandria à portorio immunes eſſe, permiſſum. Hodiè eſt inter munitiſſimas totius Belgii arces novis à Marchione Spinola propugnaculis firmata.

Ooſtenda. In Franconatum quoque territorio ſita eſt *Ooſtenda,* ad mare, olim piſcatorum oppidum, magna ex parte munitione carens, etiamnum anno 1572, ſed ſex annis poſt mœnibus ſeptum fuit. Portum habet etiam refluo mari navigabilem. Huc octo immania cete appulerunt an. 1404. quorum ſingula erant longa pedes 74. Anno etiam 1426 captus fuit porcus marinus, terreſtri ſimillimus, niſi quod altero tantò major eſſet. Anno autem 1600, Flandriæ imperium tenente Archiduce Alberto, Flandri ad inhibendas militum Batavorum incurſiones, eam circumcirca vallis cinxerunt, eo tamen excurſiones impedire minime potuerunt, quamvis in circuitu 17 propugnaculis circumvallata eſſet; inter quæ *S. Catharina*, *Iſabella*, *Albertus*, *Clara*. Quare Flandri vehementer inſtabant, ut hæc urbs obſidione expugnaretur. Obſeſſa igitur fuit quinto Iulii anno 1601. Obſidionis initium terribile ſatis & vehemens, ipſa toto ejus decurſu Martia plane & cruenta, nec poſt hominum memoriam ulla durabilior, adeo ut toto obſidionis tempore utrimque centum & decem millia hominum perierint. Reperti ſunt in veſtibus Hiſpani cujuſdam præfecti, ſive commiſſarii, pugillares, in quibus mortuorum numerus curioſe ſatis annotatus; periere nempe tribuni ſeu militum præfecti, vulgo *Mareſchalli de Campo*, novem: Chiliarchæ, qui vulgo *Colonelli*, quindecim; caſtrorum Præfecti viginti novem: Duces, vulgo *Capitanei*, 565: Signiferi 322: Locumtenentes 1116: Ordinum ductores 6711: vulgares ordinum ductores 9166: Magiſtri equitum 600: Gregariorum militum, & cunicula-riorum 54663: Nautæ 611: pueri mulieresſque 119. Summa omnium fuerunt millia 72, & 126. Porro inter Ooſtendam & Neoportum commiſſum prælium illud memorabile inter Archiducem Albertum Auſtriacum, & Principem Mauritium, in quo utrinque cæſi occubuere 7 peditum & equitum millia, victoriam reportante Mauritio. Captus fuit Franciſcus Mendoſa Admirallus Aragoniæ, ac cum illo duces plurimi, erepta hoſti ſigna militaria 105, quæ Hagæ ſuſpenſa tantæ rei fidem poſteritati faciunt. Poſſident hodie Ordines Fœderati in hac Flandriæ parte oppida quædam & validas aliquot munitiones. Primo *Sluſam*, vulgo *Sluys*. (*Clauſulæ* Sigeberto, ut notat Lipſius) Vrbs eſt maritima, quinto milliari à Middelburgo Zelandorum, à Brugis tertio diſtans, copioſa olim & opulenta, magnique nominis, dum commercia hic florerent: ſed illam tum offenſiones in mercatores Ooſterlingos, quorum quadraginta anno 1436 oppidanorum furiis periere: tum maxime diſſidia cum Brugenſibus peſſumdederunt: imprimis ſimultates illæ ob Ioannem Namurcenſem loci dynaſtam contra eoſdem Brugenſes ſuſceptæ, à quibus maximam cladem perpeſſa eſt, victa, direpta, flammiſque miſerum in modum fœdata. Ex quo factum, ut tandem à Principe ſuo fuerit vendita. Arx ad oppidi latus pulcherrime ædificata, olim per continua ædificia ipſi oppido conjuncta, quæ Brugenſes poſt conſulto diruerunt. Variam fortunam hoc civili bello urbs fuit experta. Nam cum conſtans in fœdere perſtaret, à Duce Parmenſi anno 1587 arctiſſime fuit obſeſſa, acriter oppugnata, & per cuniculos ſuffoſſa, adeoque mille ictibus tormentorum conquaſſata, quæ præſidiarii fortiſſime ſuſtinuerunt, donec commeatu penitus exhauſto, aliiſque ad defenſionem neceſſariis deficientibus, hoſti ſe certis conditionibus dedere cogerentur, quas non indecoras virtute ſua obtinuerunt. Ab eo tempore urbs ſub Regis Imperio manſit ad annum 1604, quo Princeps Arauſionenſium Mauritius eam obſedit, & tertio poſtquam eam cinxerat menſe ad deditionem inedia compulit. Sita eſt urbs ad oram portus ſui, ſemilunari pene forma, & ſitu loci & multis validis operibus, quæ hodierni belli conſuetudo invenit, permunita. Satis ampla eſt, quippe quæ pene milliare ambitu complectatur, ſed multis locis ædibus vacua, ita ut paſcua alendis vaccis intra ſe habeat. Regimen politicum eſt penes ſupremum Baillivum, duos Conſules, (quorum alter Scabinorum, qui ſeptem ſunt numero, Conſul dicitur) & Graphiarium. Magiſtratus autem hi quotannis mutantur menſe Septembri ab illuſtrib. DD. Ordinum General. deputatis, ſub quorum auſpiciis & Gubernatorem accepit, cui ſuprema cura oppidi commiſſa. In eodem oppido & collegium habetur, quod Franconatui jus dicit, conſtans Baillivo, Conſule, ſeptem Scabinis, Penſionario & Graphiario.

Sluſa.

Non

Cadsant Insula. Non procul hinc sita est Insula Cadsant, quæ pagum sibi cognominem, plures vicos, portus, & nuperis bellis excitatas munitiones habet. Multo olim major fuit, cum & Vrbem haberet & pagos complures amœnos, ac divites; sed partim Oceani tempestatibus, partim ejusdem fluxu, & refluxu plus dimidia parte consumta est; Porro est ditiuncula optimi tritici imprimis ferax, & aliarum frugum generosa. In hac Insula ad Orientem visitur ditiuncula, vulgo *het lant van Breskens*, cum pago ejus nominis, & *ter Nieuwer Haven*, & alia vulgo, *Het lant vander Groede* cum vico ejusdem nominis; nec procul inde *Nieukerke, Ormascapelle, Schoondyck, & S. Christophori; Wulpen* vero Oceano proximum, & Vlissingæ Zelandorum oppositum cernitur. Præter hæc varia sunt ad limites Cadsanti, interque Ardenburgum & Isendycam propugnacula nuperis bellis partim à nostris Batavis, partim ab Hispanis extructa.

Ter Muyden. *Muda* vulgo *Ter Muyden*, est oppidum Slusæ proximum, nundinatione picis & piscium ornatum à Ludovico Cressiaco Comite; vici facies obscura modo, quæ lauto licet lætoque piscationum proventu gavisa frequenter, nunquam tamen ob vicinorum potentiam privilegii sui capacitatem æquare, beneficia complecti, fructus potuit omnes adipisci.

Oostburg. *Oostburgum* emporium Flandriæ antiquissimum, à situ castri nomen invenit olim, opibus florebat Vrbs ampla, sed ab Hunnis, Vandalisque, denique à Normannis vastata, decus perdidit; nunc in medio terreni fertilis & cincti undis reciprocantibus opportunè situm est; municipes lauti, agricolæ læti. Ambachtum porro Oostburganum fertilitate insigni canalem habet Oceano influentem, & insulas plures, unam à pulchro aggere sic dictam, alteram rivis & aquæductibus intercisam, novi portus celebritate claram, & à palustri solo dictis Ecclesiis insignem, imprimis autem Breskinsant navigantibus non ignorabili.

Aerdenburg. *Ardenburgum* oppidum antiquum, & quondam Flandriæ littoralis, quum Brugæ nondum conditæ essent, metropolis. Hodie exiguum est oppidum & deforme. Templum habet Deiparæ Virgini sacrum, quo nullum pulchrius neque sumtuosius Flandria olim videbat; hodie tantum parietes, & marmoreæ columnæ, duæque turres supersunt. In Fœderatorum Ordinum potestatem venit anno 1604, mense Majo, à quibus egregie fuit munitum: distat Slusa milliare unum.

Middelburg. *Middelburgum* Ardenburgo vicinum, & tantum duobus milliaribus cum dimidio distans à Brugis: quod eodem tempore à Principe Mauritio captum cum arce sua, sed invalida. Oppidum hoc tantum mœnibus & fossa cinctum est, neque magni momenti. Situs oppidi nihilominus longe est amœnissimus, terreno circumcirca fertili, & Liviæ subvectionibus opportuno. *Oecke* oppidi jure, legibus, Senatu, libertate gaudet: adjacent versus Oceanum pagi *Ramscapelle, Heyst, Westcapelle & Cnockem.*

Ysendijck. *Ysendyckium* amplum & validum munimentum in angulo duorum concurrentium aggerum situm, & tantum freto à Birfleto divisum, è regione Zelandiæ: quod Princeps Mauritius anno 1604, licet sexcentorum militum præsidio teneretur, & omni bellico apparatu, præsertim majoribus machinis esset instructum, octidui spatio ita compescuit, ut deditione illud acciperet. Postea à Fœderatis Ordinibus ampliatum fuit, ut jam instar oppidi sit, & tot tantisque operibus permunitum, ut hostem minime metuat. Portum habet commodum, altum, & multarum navium capacem, ita ut commerciis sit aptissimum, & in emporium forte aliquando evadere possit. Sunt præterea in hoc tractu quamplurimæ munitiones, partim hostibus ereptæ, partim à nostris exstructæ.

Philippina. *Philippina* è regione Axellæ, ad aggeris cubitum, qui continentem prætexit, sita, & operibus valida. *Patientia*, inter Philippinam & Isendicum è transverso Birfletum respiciens, oræ continentis incumbens. *S. Philippi & Catharinæ* munitiones aggeri, qui inter Slusas & Isendicum jacet, impositæ, quas Princeps Mauritius anno 1604, quum Slusæ obsidium moliretur, nullo pene negotio cepit, hoste ultro ob nocturnum terrorem dilapso.

Blancoberga. *Blancoberga* maritimum hujus tractus oppidulum, piscatione & propugnaculo Regio famosum; assidet huic oppido Prætorium & Dynastia Vutkerkana; & paullo ulterius fanum Iohannis ad Aggerem. Interque eosdem duos versus Brugam ducentes rivos Ambacta sunt à fanis Demetry *Meetkercke* & Severini *Sunkercke* nuncupata, quibus per D. Petri ad aggerem vicum, Brugas tenditur.

Pagi Franconatus. Ab altera rivi parte sita est *Lisseweghe*, olim Abbatia Thosana nobilis.

Vlterius ad Aquilonem cernitur *Ramscappelle.*

Dudzeele Ecclesiam habet divo Petro sacram sub patronatu S. Donatiani Brugensis; magnus olim ad eum locum concursus fuit ad S. Leonardum miraculis clarum, sic ut etiam porta Brugensis, vulgò *de Speypoorte*, qua Dudzeliam itur, porta S. Leonardi vocaretur. Arx vero cumprimis splendida eodem visitur in loco, olim à Scotis ædificata. Huic vico de Dudzeele conterminus est alter de *Oostkercke*, pertinens ad Ambachtum de Oostkercke.

Vicinior Brugæ sequitur *Coolkercke*, pertinens ad Ambachtum de Dudzeele.

Ab altero Blancobergæ latere Ostendam versus situs est pagus de *Wendunen*, ei conterminus est vicus *Nienmunster.*

Bredenense Ambachtum Ostendæ vicinius à latitudine collium arenariorum nomen adeptum.

Santvoorde pars est Aldenburgensis parœciæ sub patronatu Abbatis ejusdem constituta, media fere leuca ab oppido ad Aquilonem. *Clemskercke* fanum Clementis Ambachtum est per se.

In Ambachto Camerarii situs est pagus de *Westende*, in quo se protendit Toparchia de Westendenhove, cum variis juribus, & emolumentis piscationis, venationis, ponte libero super fluvium de Vlaerzele, & his similibus, à qua moventur & alia inferioris ordinis feuda; peculium vero ejusdem Toparchiæ movetur à Castello & Dominio Ghistellano, præcipuumque est inter feuda ab eodem mota.

Vlisseghem, nomen suppeditavit Zelandorum colonia. Locus olim re cunicularia famam adeptus est apud prope proculque dissitos.

Houthave, portum lignorum sive ligneum appellare gaudet Gramajus, atque eo nomine officium suum atque celebritatem antiquam prodere etiam asserit.

Stalhille, pagus cœnobiolo tertiæ regulæ Franciscanæ ante duo sæcula istic fundato, & ante sesqui sæculum Brugas translato non ignorabilis, à Chalybea promuscide nomen adeptus est. Eundem locum secat fossa quæ Brugis Ostendam ducit.

Ecclesia titulo virginis Matris honorata juxta Ostendam vulgo *Mariekercke*, sita est in Ambachto *Serwoutermans*.

Alia D. Catharinæ sacra ecclesia vulgo S. *Catelinen*, in eodem Ambachto sita est.

Mannekensveer, Trajectum viruli vocat in schedis suis Gramajus; pertinet ad Ambachtum Camerarii.

Willemskercke, etiam hic pagus pertinet ad Ambachtum Camerarii.

Wilravensyde alias Walravensyde, in parœcia Willemskercke, pertinens ad Ambachtum Camerarii.

Steene, etiam hic pagus pertinet ad Ambachtum Camerarii.

Atque hæc omnia loca sunt Oceano Britannico obversa: versus mediterranea autem & ultra fluviolum Ipreletum, conspiciuntur varii, nec obscuri nominis vici, ac inprimis

Fanum superius, quod an à Gramajo *Snaeskerke* vocitetur, hæreo.

Longobardorum Ida vulgo *Lombaerdhyde*. Vicus hic ignobilis, olim oppidum famoso portu nobile, nec incommodum nundinationi maritimæ, nomen invenit à Longobardis, inquit Gramajus, cum alia Barbarorum colluvie Flandrias ingressis sub annum Salutis per Deum incarnatum partæ quingentesimum. *Lombardhyde* populares vocant, egoque nonnunquam quasi Longobardorum latus, dictum putavi, donec edoctus fui de vero vocis vernaculæ Yde significato; quod licet nonnemo interpretatur rusticam tuguriorum ad piscationem maritimorum compagem, qualem videre est mille passibus à Neoporto, circa Oostdunkerckam, tamen ego derivari putaverim ab *Ydel*, quod vacuum sonat, & denotare loca ad littus justæ profunditatis, ad ingressus navium apta, sive aptata, quomodo Neoportani hodieque ostium navale circa portum novam Ydam appellant, quod nimirum iter nautis pervium à vadis vacet, & præruptis littorum, aut fundi tuberibus careat, voce non absimili inter Hispanos nota, qui locum profundiorem in maritimis Islam nuncupant. Famam olim pepererat huic oppido pelagi vicina commoditas, portus vicinitas commoda, Dominorum vigilans solertia, ita eandem minuit Dominorum remota incuria, pelagi vicinior injuria, portus obnubilata securitas. Factum enim ut tempestate anni 1116. nocte natalitiorum D. Baptistæ, totum cum littorali hac plaga Oceanus absumpserit: & sæculo fere recurrente, tantus arenarum cumulus, evomente ventis agitato pelago, Lombarsidam elatus est, ut portum pæne obsepserit: & Princeps ad quem emptionis titulo oppidi Dominium pervenerat, occupatus circa plurima, singulorum non æque minutiis potis erat intendere. Hæc infortunia declinantis oppidi proclivis occasio, non tamen ita, quin Principis jus emporeticum, & nundinarum vernalium privilegia, beneficio maris ad suos reducti limites, portus ad suam redacti, exhaustis arenis, vacuitatem redintegratione potuerit respirare; sed & intervenit urbis novæ, in vicino conditus, Noviportus, inquam, cui & portum hæc suum vendidit, & nundinationes transcripsit (nundinis lapsu ævi obsoletis) & fortunam visa est suam transcripsisse. Extat de hac re Comitis Diploma anni 1269, dissensiones hac propter enatas compescentis. Nec tamen existimandum, subitam fuisse hujus oppidi oppressionem à novercali fortunæ odio profectam, cum anno 1309, in contributionem oppidorum Flandriæ, Longobardorum Ida, sive ut ibi legitur, Lombardye, pæne cum Neuporto, in sequenti sæculo, id est, anno 1408, plane æqualiter contulerit: cui & Guido Comes anno 1274, vectigal potorium quod *grutam* vocant, legitur assignasse: Ludovicus Comes anno 1330, privilegia renovasse juxta formam Furnensium. Summa autem capitis diminutio ei contigit, ex quo Novoporto urbi mœnibus instructæ faventior Comes Dominium vicini hujus oppidi vendidit anno 1413. decretumque sequenti mox anno incorporati, ut verba sonant, oppidi cives à Neoportensi senatu jus justitiamque accipere debere: quod hodieque servatur, Balivo quidem peculiari hic tribunal conscendente, sed ex sententia Scabinagii per Neoportenses constituti pronunciante. Ita jacet hic nobile oppidi cadaver, & fert maximarum fata urbium Babylonis, Athenarum, Carthaginis, quibus laudi datur etiam cum jactura nominis in vicino reædificari potuisse.

Middelkerke, etiam hic pagus pertinet ad Ambachtum Camerarii.

Ambactum Leffinganum, vulgò *Leffingen*, hoc etiam in tractu situm est.

Moerkerke Dominium hujus loci (quod diutissimè in familia ejus nominis nobili ac prisca fuit) per nuptias transiit ad Toparchos de Praet.

Westkerke pertinet ad Ambachtum de Ghistella.

Zevecote pertinet ad Ambachtum de Ghistella.

Bekeghem.

S. Pieters Capelle.

Schore pertinet ad Ambachtum de Vlaersloo.

Zande pertinet ad Ambachtum de Ghistella.

Moere pertinet ad Ambachtum de Ghistella.

Leke pertinet ad Ambachtum de Vlaersloo.

Keyem.

Eereghem.

Cokelaer. Pagus; non obstantibus temporum injuriis locus adhuc celebris est, & municipiis conferendus, arcem habet, at olim splendidiorem, sicut & Ecclesiam. Peculium fuit *gentis Montmorenciæ*, ab ea *ad Merodios*, à *Merodiis* vero *ad Gandavensem familiam*, & *Comitem Iseghemium*, qui illius modo possessor, pervenit.

Oudenburg.

Aertrycke, Prisca familiæ ab hoc loco nominatæ

tæ decora, passim est invenire in fastis, aliisque Reipub. Brugensis monumentis.

Ettelghem putatur ab Attila Hunnorum Rege, qui Aldenburgum destruxit, nomen habere; nec immerito: in veteribus enim Aldenburgensis cœnobii chartis Attilaghem nominatur. Et non aptiore olim loco castra sua contra Aldenburgum ponere potuit Tyrannus ille, quam ubi nunc pagus ille conspicitur.

Vassenaer Ambachtum & Parœcia est per se. Situm est in hoc pago splendidum prætorium Domini de Provene è familia Ghistellana.

Iabbeke.

Snelleghem Ambachtum est per se.

Loppen: habet hic arcem egregiam Dominus de Ethevele in ditione Insulana, quam inhabitat, distat leuca magna ab urbe Brugensi, via, quæ Tiletum, Rollarium, & Corturiacum ducit. Visitur in hoc pago Prætorium de Loo, eleganti opere structum, pertinens ad D. de Maelstaple.

Oostcamp, in litteris Theodorici Elsatii ad annum 1152 apud Affighem legitur; testis *Arnoldus de Oostcamp* cum *Freoldo de Cneslar* ac aliis primatibus viris. *Castellum de Gruthuyse*, ampla adhuc antiquæ magnificentiæ in hoc pago vestigia ostentat.

Zedelghem fuit Dominium hujus in familia Haveskerckana.

Serkeghem Ambachtum est per se.

Roxhem olim *Rechashem* juxta mentem Meyeri.

Bovekercke.

Beerst.

Vlaertzele, alias *Vlaertslo*, Ambactum, inquit Gramajus, quinque pagos complectens, & in eis sacra Blandiniensium peculia, & olim Hospitalarium peregrinorum, ob vicinam instituti Cisterciensis Abbatiam Werkenensem. Res mirabilis, & vires naturæ superans contigit in hac parœcia anno 1352. quo ex imprecatione mulieris parturientis femur dextrum viri conjugis sui, in uxorem duri, & iniqui imprægnatum fuit, ita ut elapso novem mensium spatio excisus illi fuerit vivus masculus, qui in baptismo à nomine patris, Apollonius, aliis Leo, appellatus fuit. Cæterum intra fines hujus parœciæ situm est Dominium & Castellum de Ter Heyden, quod ad Pameliæ Baronem spectat. Protenditur eadem Toparchia per parœciam de Bovekercke, variis juribus, & præeminentiis ornata, tenetur que à Castello Middelburgensi in Flandria; ab ipsa vero alia minoris momenti, ac plura feuda moventur, inter quæ Ammania censetur Ambachti de Vlaersloo, protensa per parœcias de Vlaersloo, Beerst, Keyghem, Leke, Schoore, & Capelle Nortovere. Ejus Castelli quoque beneficium est curia de Vlaerslo, vulgo *het Vlaerslo hof*, à qua ingens etiam numerus movetur beneficialium bonorum, præter fundos, molam & alia emolumenta ad præfatum Castellum spectantia.

Oudenburg. *Aldenburga*, antiquissima in Flandris, & florentissima olim fuit civitas, & graves variorum hostium incursione injurias passa, multum, quin imo plurimum de antiquo splendore ac majestate sua deperdidit. Vrbs antiquitatem nomine suo declarans, Brugis priorem, Hipra potiorem, & *Castro Gand* ut nomenclaturæ ita ævo parem. Imo Aldenburgum Romanis frequentatum suspicari posses, in veteri codice legens, reperta in murorum vestigiis vasa fictilia, cum numismatibus, & scutellas ob excellentiam, auro inclusas, quales se vidisse testatur auctor chronici Aldenburgensis. Perhibent munitissimam fuisse, muro septam firmissimo, nigris & durissimis lapidibus, alibi ab Aquilone quadratis & magnis, quos ferro & plumbo infixos antiqua fundaverat manus. Nec dissimulandum, quod conformiter Bertinensi Chronico, hoc nostrum asserit, antiquitus *Metropolim Flandrarum fuisse Aldeburgum*, & caput regionis maritimæ, ubi priscos Flandriæ saltuarios prætorium habuisse, & nominatim Lidericum persuadere videtur, hodieque perseverans cataractæ appellatio *Lirinx Sluse*, id est, Liderici repagulum. Alios frequenter hic diversatos, tradit Meyerus. Latissime autem patebat tum oppidum versus mare, & paludes, sed post tertiam vastationem exigui speciem assumpsit, fortunæ suæ congruam, Hipreti fluminis allapsu, & nundinatione hiberna in Ianuario videlicet & Februario contentum: ita ut formam olim quinquangularem, nunc rotundam videatur amasse. Cœnobium hîc est, quod ab initio fundationis suæ Abbatiali titulo insignitum. Primitus instituti erant Cluniacensis, donec Oliverio Archimandritæ circa annum 1505, florenti, visum, unionem Bursfeldicam amplecti.

Thorout. *Thorolto*, si vera est popularium traditio, septingentis & amplius ante natalem Dominicum annis Thoroaldus Cymbrorum Rex nomen communicavit. Annales Flandriæ emporium ante mille annos celebrant, nundinasque *in villa, quæ dicitur Turaltum, singulis annis mercatum magnum esse consuevit.* Abbatia olim claruit oppidum; quæ partitione hæreditatis ad Carolum Calvum pervenisse scribitur: quo vero loco cœnobium extiterit, nemo facile dixerit, quod Barbarorum impressionibus miras perpessum est calamitates.

Post eorum autem recessum novas beneficentia Principum vires recepit oppidum, inter mœnibus destituta vetera primum, nundinis annalibus Iunio & Iulio equorumque foro celeberrimo, ante 4. secula datis primarium, negotiatione pannaria sub Balduino Ferreo stabilita nobilitatum, libertate & legibus ab Elsatio acceptis famosum, & collegiata Apostolorum Principis per Robertum Frisium, Xenodochioque per Margaretam, Comites, instituto auctum. Adjacet Toralto Dynastia in Flandricis celeberrima, & arx de *Weynendaele*, seu in ipsa potius ditione Winendaliensi situm Toraltum est. Hæc arx à Roberto Frisio ad venationes aprorum in nemore vicino & amplissimo structa: A Balduino Securicula habitata, à Guidone Dampetra exculta fuit: demum à Ioanne Namurcensi Comite acquisita, & ad hæredes transmissa, sed postliminio Comitatui reunita, ad extremum in dotem assignata fuit filiæ Ducis Burgundiæ Clivensi regulo elocatæ, & insigniter à Philippo Ravesteynio ornata. A Duce Saxonum nuper possessa fuit cum arce hac ditio tota Winendaliensis; nunc à Serenissimo Principe *Wolffango Wilhelmo Duce Neoburgico.* Mo-

Moventur ab hac Dynastia feuda facile quadringenta, inter quæ aliqua sunt clarioris notæ dominia, ut Vicecomitatus, & curia Rollariensis, curia in Isseghem, Toparchiæ de Heveren apud Rollarium, Marchove, Eedwalle, Ogierlande, Haghebroucq, Wychuuse, &c. A quibus, ut & aliis feudis, alia quoque feuda moventur. Consistit autem hujus Toparchiæ peculium præcipue in arce memorata & nemore Winendaliensi, in oppidis Toralto, & Rolario in magno Tribunali Winendaliensis, in Tribunalibus Ambachti de Cortemarke, Pauschen, & Viverschen, Cleven in longa Marca & Keselberch. Tribunal *Winendaliense* constituitur Prætore, Consule, & Scabinis duodecim, item Actuario. Cæteris vero Magistratibus, cuique Prætor, Consul, Scabini sex, & Actuarius est. Nec ullum hic Tribunal, quod non altæ, ut vocant, mediæ, & inferioris justitiæ compos sit.

Hantsaeme.

Werken pertinet ad Parœciam de Thoraut.

Cortemarcke.

Lichtervelde celeber, & antiqui nominis pagus, ad quartum circiter ab urbe Bruga lapidem situs, olim Prætorio Dominorum, & arce insignis, quam belli furor dejecit, ut alias in Flandria multas. Sylvas habet & arva, in vicinia Myriceti, totius Flandriæ maximi, quod vulgo vocant *het Bulscampvelt.* Est autem Toparchia hæc feudum, quod movetur à Burgo seu Castello Brugensi, habetque sub se alia feuda, quæ usque ad 72 numerantur, inter quæ dominium ipsum de Coolscamp. Habet altam, mediam, imamque, ut ajunt, Iustitiam. constituit Scabinos septem, quibus permissum de illa re omni cognoscere, & judicare, de qua quilibet ejus ordinis Magistratus potest, qui non aliunde quam ex eo loco assumi debent. Constituit Prætorem, qui sub se constituere potest Subprætorem, Scribam & Ammannum, viarum Præfectum, annonæ Curatores, alios denique justitiæ administros & officiales. Libera etiam Toparcho cedit venatio, aucupium, piscatio. Ad quem etiam Fiscus spectat. Ornatur & Toparchia hæc foro hebdomadario.

Zuevezele à Suevis aliqui cognominatum arbitrantur, pagus est amœnus, & in acclivi, unde prospectus amplissimus ad vicina. Familia ejus nominis inter Flandricas olim clara fuit.

Ruddervoorde.

Coolscamp vocat Coloscampum in diplomate Carolus Calvus, situmque ait in territorio Menapiorum, quod nunc Mempiscum appellant. Bina hic in Ecclesia exstant equitum familiæ de Lichtervelde monumenta.

Hardoye.

Laerdamme pertinet ad Oostcamp.

Clerckem subcensetur Ambachto Eessenensi, & ingentem sylvam habet.

Ghytz pagus hic partim se quoque in Castellaniam Iprensem protrudit, & aliqua istic sui parte censuræ obnoxius est.

Zarne.

Eessene Prætorium hoc in loco habet Familia *de Vicq.*

Woumen.

Merckem. Præcipuum hujus loci ornamentum vocabo *P. Sidronium van Osche* Soc. Iesu Presbyterum, virum & candore animi eximium & politiore litteratura, aliisque artibus humanitatis cultissimum, Poëtam tersum & elegantem, & in elegiis, non ut alii, felicem. Dominium loci jam nuper Halewinorum fuit, nunc ad Merodios, & Comitem Thianensem per nuptias spectat.

Maldeghem municipium non incelebre est in ditione Franconatum, multisque nominibus commendandum, etsi non à miriceto quod habet, ceu sterili & arente campo, qui vulgo dicitur *Het Maldeghemvelt.* Prætorium etiam nunc istic visitur, & arx magnifica à moderno Maldeghemiensi Toparcho seu Barone *Iacobo de Noyelle* Marchione Lisbourgano ac Comite de Croyx, erecta seu instaurata, eo loco ubi Castellum vetus, priscorumque Maldeghemii dynastarum domicilium fuit. Hic celebres illi cumprimis, opibusque pollentes, & auctoritate inter proceres Flandricos fuere. Toparchia vero hæc per varias familias devoluta est, nuperque connubio ad Noyelliam gentem.

Non procul à Maldeghemio ad Myricetum vicus conspicitur & Ecclesia de *Papinglo*, vetus Abbatiæ Bavonianæ Præpositura, nunc Antistitis Gandavensis peculium. *Eclonia* vulgo *Ecloo*, ab altiusculo Querceto veram sortita nominis rationem, linearum telarum opificiis, & frequenti mercatu, cœli temperie, soli fœcunditate, trito regioque itinere ac repotiis Bruga, Antwerpiam, & Gandam transeuntium, vico longitudinis & latitudinis eximiæ; libertate, privilegiis oppidorum, & Senatu novem Scabinorum cum Consule per Guidonem Principem anno 1304, foro à pluribus frequentato nobilis.

Caprica, pulcrum olim, ac populosum in Franconatu Brugensi municipium, oppidi nomen ac privilegia servans, foroque gaudens hebdomadali ac nundinis annuis. Floruerunt hic olim pannifices magno numero, & fullones, meminitque in partitione quadam suorum bonorum inter liberos suos ad annum 1417, *Daniel Alaert* Capricæ dominus, jurium quorundam, quæ super iisdem opificiis possidebat, vocatque hoc oppidum, parœciam, dominium liberum de Caprycke, quod in feudum tamen possidere se fatetur à Castello Gandavensi. Capricano oppido ad meridiem adjacet *Lembeca* pagus: Dominium *de Havescoot* hic possidetur à gente *Hauwelia*; ipse pagus immediate à Principe, conterminus oppido Capricano, & Ecloniæ vicinus partim, partim arvus sylvosus, & ad Aquilonem miricetum spectans Oost-eeclonianum. Ejusdem loci Toparchiam habuit familia *de Lembeke.*

S. Godeleve vicus est ad medium fere lapidem à Ghistella, positus, nomen habens à Diva, Bertulfi domini Ghistellensis conjuge, ceu ejus sancto nomini virginum dedicato cœnobio.

Ghistella à Stallo nomen urbi est, cui origo ab arce, libertas à Carolo Bono, privilegia à Guidone Dampetra, honos à Dynastis, circumvallatio prima à Nobilibus anno 1280; munitio altera à Ludovico Nivernensi ad annum 1324. fossarum eminentia à Senatu anno 1434. murorum

rum alibi structio destinata, & inchoata à civibus 1511. plane ut videatur oppidum cum sæculis crevisse, & unum singulis majestatis gradum conscendisse, appellatum, privilegiatum, vallatum, munitum, clausum, muratum in parte. Nuper, & modo civilium bellorum fructus sentit, horum pluribus destitutum, & Castrum duntaxat veteris elegantiæ monumentum ostendens cum ædificiis, quæ plura indies struuntur, amplum ante quadrisæculum fere, fossarum & valli non egenum, dynastarum commoda & augusta sedes. Sunt justitiæ triplicis compotes Toparchæ, & senatum formant Scabinorum, & jus venationis, curiamque feudalem habent. Habet dominium de Ghistella venationem liberam, aucupium, piscationem & cuniculorum capturam per totum *Ambachtum Ghistellanum*; quod parœcias decem complectitur, videlicet *Ghistelle, Zevecote, Moere, Sande, Capelle, Westkercke, Roxhem, Ettelghem, Bekem, & Zarkem.* Tenetur in clientela Burgi Brugensis, & ab eo fiduciario etiam jure ultra 200. alia feuda tenentur, tam in Ghistellano territorio, quam aliis in locis per Flandriam sita. Primum est ipsum Ghistellæ oppidum, cum ea jurisdictione & justitia, quam olim Flandriæ Comites in eo habuerunt. Creat in eo Dominus prætorem, aliosque justitiæ administros, qui jura loci, & privilegia tueantur: constituit quoque per se vel deputatos suos, Consules, Scabinos & Consiliarios, quotannis, seu cum necessum erit. Habent hi cognitionem rerum criminalium & civilium, reos pellunt in exilium tam extra Ghistellam quam totum Flandriæ Comitatum, mulctas pecuniarias imponunt in commodum dominorum de Ghistella. Habet Toparchus & partem Grutæ, (species est cerevisiarii vectigalis) cujus alteram Domini de Gruthuyse olim, nunc Flandriæ Comes possidet. Ius impositionis ac omnia poculenta, quod ab oppidanis tamen annua recognitione redimitur. Et quanquam in Territorio Franconatum locus, quo supremo sontes afficiuntur supplicio, positus sit, libere tamen justitiam Toparchus exercere potest. Habet & Teloneum in Ghistella, & Ambachto suo, ut olim ad Flandriæ Principem spectavit, omnia denique privilegia & jura, quæ iidem Principes in urbe quondam & territorio illo habuerunt. Præest idem cum plena potestate per se, vel substitutos suos rationibus audiendis omnium urbis ejusdem proventuum. Spectat ad familiam de Affaytatis Cremona oriundam. Secundum ab hoc Dominio feudum dependens est Castellum de Ghistella, cum juribus quibusdam per urbem ejusque Territorium, ut sunt bona nothorum, fiscus feudorum, quæ sub principali feudo Ghistellano moventur. Tertium est, munus Sculteti Ghistellani, quoad urbem & Ambachtum, ratione cujus constituit Ammanum in Ghistella, aliumque in ejus territorio, qui partibus diem dicit coram tribunali Franconatum. Quartum est feudum in parœcia de Zande, vulgo dictum *Ruyssande.* Quintum est piscatio in Parœcia de *Mannekens veere in 's Camerlincx Ambacht.*

Habet & ea piscatio jus percipiendi à quaque navi illac transeunte quinque solidos Parisienses ad medium Martii.

Pagi in suburbano siti.

Sequuntur loca in suburbano Brugensi ditioni Franconatus obnoxia, & primo quidem loco sese offert

Sizela, amplissimæ olim Iurisdictionis Dominos cognomines nacta, qui potentiæ suæ alas ad plurimos terræ Francæ pagos, ipsamque adeo Brugensem urbem solent extendere, & adhuc extendunt illi, qui in eorum locum venere.

Malea arx antiqua & fortis, aliquot Flandriæ Principum, tum domicilio deliciisque, tum natalibus clara, nuper cum *Sizela* in Baronatum nobilem à Philippo Secundo evecta, litteris ea de re Toleti datis secunda Iunii 1560. Indulsit & idem postea Princeps, ut quæ familiæ de Lopesgallo insignia erant, eadem hujus Baroniæ forent. Habitavit in hac arce Maleana (qui Brugis natus esse putatur) Balduinus Flandriæ & Hanoniæ Comes, & in Capella, ut ait, de *Malem* ad annum 1218 varia edidit rescripta. Habitavit & Comes Guido Dampetra, Ludovicus Nivernensis, pater *Ludovici*, qui ab hoc natali loco cognominatus est *Maleanus.* Ad latus porro conspicitur pagus Assenbroucanus vulgo *Assenbrouck.* Olim *Astburgum*, uti placet Iacobo Cruquio. Habet hujus loci Dominus Ius nominationis ad curam pastoralem, ad Capellaniam, & custodiam, ac præter alia jura, molagium liberum, piscationem, & aucupium.

Vlterius, ut *Rabowoburgum* castrum prætеream, titulo non uno celebris est *Odegemensis* vicus. Cæterum hinc urbem respicit Dynastia nobilis Baronatus titulo dudum, cum Guysiano & Toparchiis pluribus, ad Claerhoutanos gentem nobilissimam devoluta. Cujus si amplitudinem consideres, per 15 pagos sparsam notabis jurisdictionem: si eminentiam, privilegia venationis ubique, piscationis & aucupii etiam, curiam feudorum insignem, prætorium & olim jus nundinationis & asyli invenies.

Altera suburbani Brugensis parte templa sunt D. Bavonis, & Michaelis, & sub hoc *Tilleghemium* castrum, quod ab Attila Hunnorum Rege nomen habere nonnulli putant. Castrum autem quod modo visitur, ædificare cœpit Canonicus quidam S. Donatiani, cognomento Pinnocq, Dominus de Tilleghem, & S. Georgii ante annos amplius quadringentos. Amplum est, & Principum etiam habitationi non incongruum habitaculum, amœno cumprimis loco situm, ad medium ab urbe Bruga lapidem. Circa quod etiam lucus, & umbrosa arborum congeries; mire per æstatem jucunda. Habet altam, mediam, imamque, ut vocant, justitiam. Habet prætorem, consulem cum Scabinis septem, Scribam item, ac alios justitiæ administros. De venditis feudis Domino debetur decimus, de aliis decimus quintus nummus. Ad mille circiter terræ mensuras sese Dominium hoc protendit. Habet venationem, & aucupium, piscationem, item liberam exemptionem à vectigali cerevisiario Gandavi ac Brugis pendi solito, quod *Grutam* vocant. Habet inter alia quoque jura macellum liberum, in quo tot instrui stalla possunt, quot Domino lubet.



OCEANUS GERMANICUS vulgo de Noordzee
IPRENSIS
Episcopatus.
Perillustri et Re.mo Dno
D. IUDOCO BOUCKAERD
IPRENSIS ECCLESIÆ
EPISCOPO
Tab. hanc ejusdem Episcopatus
D.D. Ioh: Blaeu.
2000. Virgæ Flandricæ
sive 2 Milliaria Flandrica
Ioh: Blaeu excud.
Pars quadragesima Virgæ Flandricæ.
TORNACENSIS PARS
ATREBATENSIS PARS
EPISCOPATUS AUDOMARENSIS PARS
Dunkerck
De Nieupoort
Grevelinghe
Brouckburgh
S. Omer
Bergen
Groote Moere
Honschote
Dixmuyden
Poperingen
Steenvoorde
Casele
Belle
Yperen
Meesene
Waesten
Comene
Virovinacum alias Werwick
Meenen
Armentiers
Steeghers
Morghem
S. Venant
S. Floris

15

Vlterius versus Ipreletum progredienti occurrit Abbatia nobilis *D. Andreæ*. Stratenum, vulgo *Dominium vander Straten*, huic Abbatiæ adjacet, à quo familia Stratanorum, quæ quam potens & opulenta olim in Flandria fuerit, ex iis, quæ temporibus Caroli Boni contigerunt, liquet.

Sunt præterea & alia Prætoria nobilium familiarum in suburbano Brugensi, quæ tantum obiter hic designabuntur. Imprimis in Parochia S. Ægidii Strazeele. Item Prætorium Domini de Bloemendale splendide & pereleganter structum. Porro Prætorium Domini de Noortvelde è gente Velaria. Denique insigne prætorium gentis Bertolffiæ in eodem suburbano situm.



EPI-

EPISCOPATVS IPRENSIS.

Episcopatus Institutio.



Odem tempore, quo cæteri in Flandria, imò Belgica tota, novi Episcopatus, anno videlicet 1559, & easdem ob caussas à Paulo IV, ad instantiam Philippi Secundi Regis Catholici Flandriæ Comitis institutus fuit Episcopatus Iprensis; & mox sanctionibus quibusdam à Pio IV. Pauli successore anno 1565 roboratus, Episcopali Cathedra in æde D. Martini, quæ prius Canonicorum Regularium Ord. S. Augustini fuerat, Ipris collocata. Diœcesim secundum limites à Paulo IV assignatos, & à Pio in Decanatus octo seu Archipresbyteratus rurales divisam, suis quoque parœciis unicuique decanatui subjectis particulatim Martinus Rythovius primus Ipranæ sedis Episcopus in synodo, quam reformandis, ut ait, moribus, & corrigendis abusibus, habuit anno 1577, distinxit. Decanatus autem illi fuerunt, ac modo sunt Bergensis, Casletensis, Furnensis, Balliolensis, Waestenensis, Poperingensis, Dixmudensis, & Neoportuensis, præter Archipresbyterum unum in Ecclesia Cathedrali constitutum, qui curam rectorum parochialium ecclesiarum, ac verbi Dei, & sacramentorum per civitatem Iprensem habet, & sub quo parochiales Ecclesiæ S. Martini Iprensis, S. Petri, S. Iacobi, S. Nicolai, B. Mariæ de Briele, & S. Ioannis juxta Ipras constitutæ sunt. Sunt autem sub Bergensi Decanatu hæ parochiales Ecclesiæ:

Decanatus Bergensis.

Arembaldi templum | Killem
Bergæ S. Petri | Leffrinchoucke
Bambeke | Oostcapple
Bissezeele | Rexpoede
Chocx | Teteghem
Dunkercke | Waerhem
Ghyvelde | Wildre
Herzele | Zoutcote
Arembaldi Capella | Ledringhem
Bergæ S. Martini | Quaetypere
Bierne | Steen
Crochte | Vxem
Coudekercke | Westcapple
Ekelsbeke | Wormhout
Honscote. | Zegerscapple.

Decanatus Casletensis.

Sub Decanatu Casletensi.

Bavinchove | Walscapple
Casletum S. Nicolai | Wynezeele
Hardefort | Zuytpeene
S. Mariæ Capella | Casletum B. Mariæ
Ochlezeele | Hazebrouck
Oudezeele | Hondeghem
Steenvoorde | Noortpeene
Staple | Oxelaere.

Rubrouck | Wenemari Capella
S. Sylvestri Capella | Zermezeele
Terdeghem

Decanatus Furnensis.

Sub Decanatu Furnensi.

Adinckerke | Alveringhem
Avencapella | Bulscamp
Coxida | Effridi Capella
Furnis S. Walburgis | Furnis S. Dionysii
Furnis S. Nicolai | Ghyverinchove
Hoghestade | Houthem
Isemberghe | Loo
Leyssele | Oeren
Polinchove | S. Richarii
Steenkercke | Winckhem
Wulpen | Wulveringhem.

Dec. Balliolensis.

Sub Decanatu Balliolensi.

Balliolum | Berthene
Borre | Caestre
Dranoultre | Eecke
S. Ioannis Capella | Meiris
Lotere | Meternes
Nieukercke | Nipkercke
Pradelles | Strazeele
Steenwercke | Vletere.

Dec. de Warneston.

Sub Decanatu de Warneston.

Becelaere | Bixscote
Boesinghe | Dadizeele
Dickebusch | Gheluwe
Kemmele | Langhemarck
Leghem | Meessene
Morslede | Neerwaesten
Paschendaele | Vormizeele
Warneston | Wytsgate
Wulveghem | Zillebeke
Zantvoorde | Zunnebeke.

Dec. Poperingensis.

Sub Decanatu Poperingensi.

Bevere | Boescepe
Crombeke | Elverdinghe
Govaersvelde | Haringhe
Houtkercke | Oostene
Oostvletere | Poperinghe S. Bertini
Poperinghe S. Ian | Poperinghe S. Mariæ
Provene | Reuninghelst
Stavele | Vlamertinghe
Watou | Westoultre.
Westvletere

Dec. Dixmudensis.

Sub Decanatu Dixmudensi.

Caskercke | Eeessene
Dixmuda | Lampernesse
S. Iacobi Capella | Noortscote
Merckem | Oostkercke
Nieucapelle | Reninghe
Pervise | Woerna
Vetus Capella | Zuydscote.
Clerckem

Dec. Neoportuensis.

Sub Decanatu Neoportuensi.

Boutshoucke | Neoportum
S. Georgii | Ramscappel

S. Catharinæ Capella Ooſtdunkercke
S. Gulielmi Capella Zoutenay.

Decanorum officium.

Eſt autem horum Decanorum officium, in ſuo cujuſque diſtrictu Epiſcopali auctoritate curare, ut clerici in ſortem Domini vocati, vitam & mores ſuos ita componant, ut nihil in ipſis niſi grave, moderatum, ac exemplare conſpici poſſit. advigilare item, ut paſtores in functione paſtoralis officii, prædicatione verbi Dei, & ſacramentorum adminiſtratione, debitam ſervent integritatem, honeſtatem, & reverentiam, eoſdem etiam, cum opus fuerit, monere, corripere, viſitare, conſolari, bono conſilio ſubvenire, ac veri paſtoris officium erga illos exercere. Porro ea fuit hunc Epiſcopatum inſtituendi ratio, quam in ejuſmodi verba Romanus Pontifex in ſuo diplomate attulit: *Nuper Cathedralem Eccleſiam Morinenſem certo tunc expreſſo modo paſtoris ſolatio deſtitutam, ac ſedem illius Epiſcopalem, & in eis omnia, & ſingula Epiſcopalia jura, & Cathedralis Eccleſiæ inſignia, pro eo, quod alias per conditiones pacis inter præfatum Philippum, & claræ memoriæ Francorum Regem firmatæ, ſub dictæ ſedis beneplacito decretum fuerat, quod civitas Morinenſis tunc ſolo æquata non reſtauraretur, ſed illius Eccleſia, ac diœceſis præfatæ, ac beneficia, beneficiorum collationes, & proventus in duas partes dividerentur, quarum altera Franciæ, altera vero inferioris Germaniæ eſſet, penitus ſuppreſſimus & extinximus, & diœceſim Morinenſem* & omnia & ſingula ſub ea, & in decreto prædicto comprehenſa in duas partes, quarum una Franciæ, altera vero inferioris Germaniæ hujuſmodi juxta dictum decretum eſſet. Et ulterius illam diœceſis Morinenſis partem, in inferiori Germania hujuſmodi exiſtentem, cum bonis, cenſibus, feudis, decimis aliiſque proventibus ſub ea comprehenſis, qui valorem annuum duorum millium ducatorum auri de Camera ſecundum communem æſtimationem conſtituunt, in duas alias æquales partes, & duas alias diœceſes diviſimus & ſeparavimus, ac Iprenſem unam; Audomarenſem vero Eccleſiis ac menſis Epiſcopalibus reliquam, partes & diœceſes ſubdiviſas hujuſmodi pro *ſua quaque diœceſi & parte dotis perpetuo applicavimus.* Ubi vero Pontifex congruam dotem & domum, cæteraque jura & privilegia Iprenſi Epiſcopo aſſignare incipit, atque Canonicatus & præbendas, item dignitates cum ſuis conditionibus, reſtrictionibus & reſervationibus, ac Capellanias aliaque officia in Eccleſia Iprenſi inſtituere aggreditur, in hunc modum pergit loqui: *Monaſterium Sancti Martini ſeu illius ac Eccleſiæ Furnenſis olim Morinenſis diœceſis Præpoſituras etiam Principales, ac qui pro parte dicti Philippi Regis juxta conditiones hujuſmodi relicti ſunt, decanatum forſan majorem nec non pœnitentiariam, cantoriam, ſcholaſteriam, Theſaurariam nec non majores poſt Pontificalem dignitates, nec non quinque Canonicatus ac quinque præbendas ex pluribus aliis ſuppreſſæ Morinenſis Eccleſiæ hujuſmodi pro parte dicti Philippi Regis, per conditiones pacis hujuſmodi inter alia etiam relictos penitus ſupprimimus & extinguimus. &c.* deinde Pontifex ex ſuppreſſa Morinenſi eccleſia decem Canonicatus & præbendas, ac octo Capellanias ex Furnenſi eccleſia etiam Canonicatus & decem præbendas (quarum una fabricæ templi poſtea unita eſt) ad Cathedralem eccleſiam Iprenſem transfert, & poſtquam ſex minores dignitates in eadem eccleſia, & decanatum conſtituit, duodecim alios Canonicatus & duodecim alias præbendas, pro duodecim aliis Canonicis ejuſdem eccleſiæ perpetuo erigit, ac unum & unam ex decem Canonicatibus, & præbendis ex eccleſia Morinenſi ad eccleſiam Iprenſem tranſlatis, menſæ Epiſcopali unit, annectit & incorporat, quorum ratione Epiſcopus Iprenſis perſona capitularis eſſe, ac vocem, auctoritatem, ac præeminentiam etiam in Capitulo ſupra Decanum & alios dignitates ac Canonicatus & præbendas ibidem obtinentes debeat habere. Dein Epiſcopali menſæ dotem aſſignat, videlicet bona & proventus trium ex quinque ſuppreſſis Canonicatibus & præbendis eccleſiæ Morinenſis, & jus præbendæ Inſulenſis nuncupatæ ad Epiſcopum Morinenſem pro tempore exiſtentem pertinens, ac ſimiliter omnia & ſingula bona ſuppreſſæ Præpoſituræ eccleſiæ Furnenſis, ac tot ex bonis & proprietatibus monaſterii, ſeu Præpoſituræ S. Martini. Singulis autem duodecim Canonicatibus & duodecim præbendis ſupradictis tot bona ex reliquis monaſterii Martiniani proventibus adtribuit, quot pro competenti dote illorum ad æquivalentiam proventuum aliorum Canonicatuum & præbendarum eccleſiæ Iprenſis opus fuerit. Ad dotem dignitatum infra Epiſcopalem quod attinet, Decanatui medietatem proventuum Decanatus eccleſiæ Morinenſis ac præbendam & domum per Decanum S. Martini haberi & poſſideri ſolitas, & tam illi, quam Archidiaconatui Flandriæ unam, Archipresbyteratui autem pœnitentiariæ, Cantoriæ, Scholaſteriæ, & Theſaurariæ reliquam medietatem bonorum & proventuum, quos reliqui duo Canonicatus & præbendæ Morinenſes ſuppreſſi obtinebant, in perpetuum applicat & appropriat. Nec non Epiſcopo Iprenſi domum Monaſterii ſeu Præpoſituræ S. Martini hujuſmodi cum hortis & pertinentiis ſuis circumſtantibus pro ſua habitatione, illas ipſas, quas Epiſcopus Morinenſis pro tempore exiſtens in eiſdem Iprenſi eccleſia, civitate & diœceſi, prout ſibi per diviſiones hujuſmodi contingit. Dantur etiam Epiſcopo Iprenſi ampliſſima jura, privilegia & peculiares facultates per hanc Pontificiæ Bullæ clauſulam. Et inſuper quas Abbas ſeu Præpoſitus S. Martini Monaſterii Præpoſituræ, & ſeu Præpoſitus eccleſiæ Furnenſis hujuſmodi olim quomodolibet habebant collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, inſtitutionem, confirmationem, & quamcumque aliam diſpoſitionem omnium & ſingulorum Prioratuum, dignitatum & perſonatuum, & (exceptis infra ſcriptis adfectis) Canonicatuum & præbendarum, adminiſtrationum & officiorum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura & ſine cura, ſæcularium ac prædictorum & quorumvis aliorum ordinum regularium per eum & futuros præſules Iprenſes, vel alium ſeu alios eorum nominibus libere faciendas, etiam perpetuo reſervamus, concedimus & aſſignamus.

Tandem ad majus eccleſiæ Iprenſis decus & ornamentum, & ad obſequia in eccleſiaſticis functionibus Epiſcopo Iprenſi debite, conſtanterque exhibenda, Romanus Pontifex novem Cano-

Canonicatus ex ecclesia Morinensi ad Iprensem translatos, quibusdam conditionibus, oneribus, & prærogativis per jugem & irrefragabilem constitutionem in hunc modum afficit. Et ut ipse Episcopus Iprensis suam ecclesiam personis eruditis & ad Iurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munia ecclesiastica obeunda, *idoneis debite instructam, jugiterque decoratam habeat, similiter perpetuo statuimus, quod novem Canonicatus & Præbendæ ex Ecclesia Morinensi ad Ecclesiam Iprensem translati hujusmodi Tribus Magistris aut Licentiatis in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatis, & tribus Nobilibus ejus diœcesis, etiam in Iure vel Theologia saltem gradu Licentiaturæ in famosa quapiam Vniversitate studii generalis secundum tenorem primo dictarum litterarum promotis, ordine præmisso servato in perpetuum concedi ac assignari debeant.* Et paulo inferius: *ac omnes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum, consilium, & operam in negotio Ecclesiæ & religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim, quam divisim præstare teneantur.* Quibus etiam idem Pontifex sex minores infra Episcopalem, & Decanalem dignitates in prædicta ecclesia reservat, & adstringit, dum perpetuo decreto ita se statuere & ordinare dicit: *& Archidiaconus (nisi præbenda Archidiaconatui suo annexa sit) Archipresbyter, Pœnitentiarius, Cantor, Scholasticus, & Thesaurarius præfati ex dictis novem graduatis ad nominationem Episcopi Iprensis assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos novem Canonicatus, & Præbendas affectos hujusmodi, ordine in dicta designatione expresse servato, consequi debeant.* Ad formam verò methodumque quod attinet, qua Canonicatus Morinenses sint conferendi, subjungit Pontifex: *Et ut de viris spectatæ doctrinæ & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur: quod ipsi novem Canonicatus & novem præbendæ, hac primâ vice per Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in ejusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris seu momenti, quam cujusvis graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente: tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium, paritatem vocum hujusmodi dirimat.* Expressius deinde operam & obsequia enucleat Pontifex, quæ præfati Canonici Morinenses Episcopo suo, & Iprensi ecclesiæ tenentur impendere, cum ait: *Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister seu Licentiatus in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatus, seniores, ratione suarum præbendarum, facultatem habeant visitandi per universam diœcesim Iprensem prædictam, quoties ab Episcopo Iprensi, cæteri vero Canonici graduati prædicti, quandocunque requisiti fuerint, assistere teneantur. Ac ex reliquis senioribus Canonicis præfatis duo in Theologia, & unus in jure Canonico graduati ut præfertur, una cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad sacros ordines, & admittendos ad curam animarum, quacunque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum seseque personaliter residentiam facturum medio juramento promittentem admittendo, &c.* Ex quibus omnibus, uti perspicuum evadit ac manifestum, præbendas Morinenses graduatis adfectis concessas, labore cæteras ac connexis oneribus superare: ita par & æquum esse, ut honore etiam cæteras ac quibusdam prærogativis anteirent. Quod non immeritò consideravit summus ecclesiæ Catholicæ Episcopus Pius Quartus, dum, sicut in aliorum per Belgicam novorum Episcopatuum erectione, ita & in Iprensi ecclesia ordinavit non sine gravissimorum virorum consilio, ut dignitates cum Episcopatibus iisdem erectæ conferri non possent, nisi uni alicui ex novem illis præbendis adfectis aliquam possidenti. Quæ sedis Apostolicæ constitutio ab anno 1559 vel circiter, inviolatè hactenus in ecclesiis Belgicis ad annum usque 1635 observata fuit. Atque hæc est erectio & forma cathedralis ecclesiæ Iprensis, constantis illustri triginta Canonicorum Collegio: novem videlicet Morinensium, duodecim Martinianorum, ac novem Furnensium, qui triplici distincti membro proventus longè impares nunc quotannis adipiscuntur. E Martinianis autem Canonicatibus sex pastorali animarum cura afficiuntur: unus item & alius publica sacræ Theologiæ Professione oneratur. Habet & hæc ecclesia suos Sacellanos, Cantuarios, Vicarios, Musicæ præfectum, Symphoniacos, & alios chori sui, ut vocant, habituatos: ut autem fuerunt olim, sic etiamnum reperiuntur non pauci hoc in Collegio viri pietate, prudentiâ, eruditione, ac nobilitate conspicui.

Seminarium Episcopatus Iprensis.

Cum vero novis Episcopatibus nova seminaria quæ Tridentini Concilii decreto sess. 23. cap. 18. de reformat. à celebrioribus ecclesiis erigi jussa sunt, etiam in Belgio curâ & liberalitate Antistitum, & aliorum ecclesiæ præsulum sunt erecta, unde & suum Episcopatus Iprensis (præter id quod in Academia Duacena ab Antistite Antonio fundatum est) in ipsa urbe Iprensi habet. Vbi certus puerorum & adolescentum numerus non solum alitur, religioseque educatur, & bonas artes discit, sed provectiores etiam in cantu, Kalendario ecclesiastico, aliisque disciplinis sacris instituuntur, & Theologica studia hauriunt, in eum finem duos è Societate Iesu religiosos Sacerdotes sacræ Theologiæ professores nacti, præter alium in Ecclesia Cathedrali Canonicum Lectoris titulo insignitum, & præbendâ, ut vocant, lectorali donatum; cui sacras etiam litteras interpretari, & clero præsertim ejus ecclesiæ, aliisque quibuslibet cœlestes explicare litteras ex officio incumbit. Habet hoc seminarium provisores suos, ad quos bursas in eo fundatas, seu annua studiorum subsidia conferre; præsidem item unum, ad quem, rem curare domesticam, moribus & disciplinæ Collegii invigilare, & quotannis rationes accepti & expensi reddere, cum quæstore seminarii ad recipienda ejus bona constituto, spectat. Domum item habet hoc seminarium commodam, & Scholis publicis Soc. Iesu vicinam. Quotidiana in eo lectio sacræ scripturæ, disputatio frequens, & examen, concionum piarum tyrocinia, alia denique sacræ in Theologia palæstræ exercitia frequentantur. Tres potissimum de illo bene meriti Iprensis ecclesiæ Antistites, Martinus Rythovius, Petrus Simons, & Ioannes Vischerius, inter quos eminet cæteris opulentior Petrus, cujus ea fuit in seminarium Iprense beneficentia, ut illi

illi hæredi ex asse constituto, quod & ab aliis quidem duobus, sed minore peculio factitatum, quotannis ultra mille quingentos florenos reliquerit. Fuit & idem Antistes egregie munificus in ædem primariam, ac clerum ejus, *ut pro anima ejus hic oret*, &, sicut Tertullianus loquitur, *refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis ejus.*

Martinus Rythovius I Iprensis Episc.

Primus in Iprensi Cathedra sedit *Martinus Balduini Rythovius*, à *Rythoven* Brabanticæ Campaniæ municipio natali sic vocatus. Adolescens Lovanii Philosophiæ studiis imbutus, eidem mox præficitur. Inde ad Dillinganam apud Suevos Academiam recens excitatam evocatus, in ea aliquot annis sacras litteras explanavit. Lovanium reversus ad D. Petri Decanus, & Academiæ Cancellarius constituitur. Antonio Cardinale Granvellano Archiepiscopo Mechliniensi absente, primæ Synodo provinciali Mechliniæ magna laude an. 1570 præsedit, multaque memoratu digna prudenter sanxit. Cum à Philippo Secundo Hispaniarum Rege primus Iprensibus in Flandria præsul datus esset, Concilio Tridentino anno 1562, & Colloquio Wormatiensi anno 1557 interfuit. anno vero 1567 feria tertia ante Pentecosten Synodum diœcesanam Ipris celebravit, & edidit; obiit Audomaropoli anno 1583.

Petrus Simonius, II Iprens. Ep.

Petrus Simonius Tiletanus Flander, Theologus Lovaniensis, Rythovium proxime in honore & onere Episcopali secutus, à Cornelio Iansenio primo Gandavensium Episcopo vocatus fuit, ut in ecclesia Gandavensi Canonicus esset & pænitentiarius, ac demum Archipresbyter. inde Cameracum & Duacum profectus, in ea Academia mansit, donec Cortracensi urbe Regi restituta, illius ecclesiæ curam Pastoralem suscepit, qua perfunctus annis quinque, secundus Iprensium Episcopus factus est. Supremum diem clausit anno 1605.

Carolus Masius, III Iprens. Epis.

Carolus Masius Bruxellensis, Engelberti Masii sanctioris Consilii Præsidis, viri optimi, frater. I. V. Licentiatus, Serenissimorum Belgicæ Principum Alberti & Isabellæ Eleemosynarius, Antwerpiensis ecclesiæ Decanus, Bruxellæ in natalitiis D. Ioannis Baptistæ post Petrum Simonis sacras infulas in principe æde anno 1607 accepit: demum ad Gandavensem Tiaram promotus fuit.

Ioannes Vischerius, IV Iprens. Ep.

Ioannes Vischerius Theologus Duacensis, Patria Winocibergensis, Pastor primum & Decanus Dixmudensis, inde S. Martini Iprensis. Vir facundia clarus, quod illum præcipue ad supremum Cathedralis ecclesiæ Iprensis culmen evexit anno 1611 mens. Febr. die 6. Moritur, seminario Iprensi scripto hærede, 7. Kal. Iun. anno 1613.

Antonius de Hennin, V Ipr. Ep.

Antonius de Hennin, è nobili Henninianorum familia natus, per plures annos ecclesiæ D. Nicolai in oppido Iprensi parochus fuit, exin ejusdem sedis Episcopus ordine quintus. Cujus hoc inter præcipuas laudes recenseri debet, quod in Academia Duacensi amplissimum Theologorum seminarium, Henninianum vulgo appellatum, fundavit. Obiit ipse Kal. Decemb. anno 1626.

Georgius Chamberlain VI Ipr. Episc.

Georgius Chamberlain, Gandavi urbe Flandrorum primaria, patre Anglo, natus, ibidem in ecclesia Cathedrali Canonicus, Archidiaconus & Decanus fuit, postea Iprensibus infulis honoratus, aliquot annis diœcesim suam summa cum prudentia moderatus, res humanas 19 Decembris anno 1634 reliquit.

Cornelius Iansenius VII Ipr. Episcop.

Chamberlino nominatus est à Catholica sua Majestate successor in Iprensi Cathedra *Cornelius Iansenius*, natus Leerdami in Batavia anno Virginei partus 1585. Lovanii in Pædagogio Falconis Philosophicas disciplinas hausit, cæteris in Academica Artium Liberalium promotione antelatus, mox omni conatu in Theologica studia incumbens, post alios in illa facultate titulos magno cum Academicorum applausu acceptos, in eadem Vniversitate Doctoralem lauream accepit, ibidemque Collegio, quod Divæ Pulcheriæ vocant, Hollandico severus morum ac disciplinæ censor præfuit, regiusque in schola publica sacrarum litterarum interpres fuit. Legatus quoque in Hispaniam ab eadem Vniversitate missus; non infelice successu res istic Academicas procuravit. Exin Iprensis ecclesiæ Antistes constitutus est.

Io. Bouckaert. VIII Ipr. Episcop.

Io. Bouckaert Brugensis, Cortraci Ecclesiæ Collegiatæ B. Mariæ Decanus fuit, eoque dimisso officio, in Monte-acuto Parochus factus, ut se animarum curandæ saluti melius impenderet. Quem in finem ibidem Congregationem Oratorii ad normam Romanæ S. Philippi Nerii instituit. At Cornelio Iansenio 6 Maji 1638 mortuo, in Cathedram Iprensem suffectus est.

Ludovicus de Croy, IX Iprens. Episc.

Ludovicus de Croy, Filius Claudii Comitis de Roeux ad easdem infulas à Rege Catholico nominatus, possessione nondum aditâ decessit anno 1647.

Marius Ambrosius Capello, X Ipr. Episc.

Marius Ambrosius Capello, Antverpiensis, ex Ordine Prædicatorum Theologiæ Doctor à Rege ad eamdem Cathedram nominatus, & ipse per bellicos tumultus possessionem neutiquam capessivit, traductus postea ad Episcopatum Antwerpiensem.

Ioannes Franciscus de Robles, XI Iprens. Episc.

Ioannes Franciscus de Robles, Ioannis Comitis de Hanapes, Baronis de Billy filius, Protonotarius Apostolicus, Canonicus Insulensis, & Metropolitanæ Cameracensis Ecclesiæ, dein Collegiatæ S. Petri Lovanii Præpositus, eoque nomine Academiæ Cancellarius: tum Capellæ Regiæ in Belgio Capellanus, Archiducis Leopoldi Guilielmi Belgii Gubernatoris magnus Eleemosynarius, eodem præsente Archiduce Bruxellæ in Capellâ Palatii 11 Octobris anno 1654 ad Episcopatum Iprensem inauguratus est à Francisco de Gand Episcopo Tornacensi, Carolo vanden Bossche Brugensi, Iacobo de la Torre Archiepiscopo Ephesino.

CA-

CASTELLANIA IPRENSIS.



Topographia Castellaniæ Iprensis (quæ inter septem Occidentalis Flandriæ Castellanias eminentiam, ac quendam quasi primatum habet) priusquam aggrediar, erit operæ pretium singula ejusdem Castellaniæ loca hîc recensere, quæ postremus Provinciæ census, ad annum 1517 Teneramundæ editus, in ea posuit. Sunt autem sequentia:

Becelaere, Boesinge,	Roosbeke
Biscote, Briele,	Zonnebeke
S. Ians Prochie,	Hollebeke
S. Iacobs Prochie,	Paeschendaele
Nederwaesten sub Cominio,	Zillebeke
	Santvoorde
Nederwaesten onder den Busch,	Houtem
	Cominium pro parte
Gheluvelt	Crommen Elst in
Langemarck	Vlamertinge.

Capitulum Insulense in Kemmel. Wytschate, Hallebast, oppidum Messinense. Camera Messinensis cum Hooflande, Dulsemont. Vormezele, Dickebusch. Vbi palus ingens Haerlants Laeten, vander Haghen. Ermentiers. Stade, Ferlingien. Morslede, Hoochlede. Gheyts. Ledeghem, Rolleghem, Houckene & Rumbeke. Nieukerke. Iper-ambacht: oppidum Rollariense, Rousselaer ambacht. 't Hof t'Iseghem. Cleven in Langemarck, Hospites domini de Caestre. quæ quidem loca licet omnia jurisdictioni Castellaniæ immediate non subjiciantur, ideo tamen liber ille censualis enumerat, quia cum subsidia publica petuntur, in partem contributionis cum eadem Castellania venire solent. Gubernatur autem hæc Castellania, & in ea Iurisdictio nomine Principis Flandriæ exercetur, per Prætorem qui perpetim manet, ad cujus monitionem Senatus territorii Iustitiam exercet. per Consulem item, & Senatores novem, qui quotannis novi per mandatarios ejusdem Principis constituuntur. fuit autem jus olim Castellano, sive Vicecomiti Iprensi nominandi tres è novem; ut à quibusdam, ac nominatim à Marchantio atque Gramajo asseritur. In rebus autem majoris momenti, & in iis, quæ subsidia Publica, ac contributiones spectant, non consilio modo Vasallorum, sed suffragiis etiam opus est. sunt autem Vasalli illi, viri quidam nobiles in eadem Castellania Toparchias habentes, quales inprimis Toparchus de Becelaer, de Boesinghe, de Staden, de Roosbeke, de Coxie, de Bixscote, de Zonnebeke, de Vellenaere, de Santvoorde, de Vormizele, de Rumbeke, de Hollebeke, de Buscha, de Gruterzale, de Morslede, de Paschendale,

Gubernatio Castellaniæ.

Vasalli ejus.

& alii quidam, ad quos pro censu habendo mittitur. Solent autem illi à Magistratu Castellaniæ Ipras in domum prætoriam convocari, ubi de Rep. deliberant, & resolvunt, vel omnes junctim, vel ex iis aliqui, prout res exigere videtur, aut Magistratus ejusdem Castellaniæ judicat expedire. Vocati honoraria quoque sua percipiunt ex ære publico ejusdem Castellaniæ.

Ordinarius autem juris dicundi consessus est in ea domo, quam vulgo Prætorium Castellaniæ nominant, in Iprensi foro sitam, quæ structura insigni ædificata exhibet Planetarum vultus concinnos admodum, & artificiose seu sculptos de duro lapide, seu de limo figulatos. in hac prætoriana domo tabulæ publicæ seu munimenta servantur ejusdem Castellaniæ. Habet & illa prætorium antiquius, & in fundo ac Iurisdictione Castellaniæ situm non procul ab æde Dominicana. olim habitaculum fuit Principum aliquot Flandriæ, ut ex annalibus Meyeri, & aliis liquet. Salam nominant, cujus suprema per omnem fere Castellaniam, ejusque pagos, nomine Comitis jurisdictio varie se protendit, & jus habet aucupii, cum aliis quibusdam. in qua modo prætores Castellaniæ commorari ex indulgentia Principis solent: est enim propria Principis domus, & è fisco principis, sive regio censu conservatur. In ea reorum fit examen; carcerem enim Castellaniæ complectitur, sicut & armamentarium habet in ejusdem territorii usum, cum res exigit; amœno loco sita est, fossisque latis in orbem cingitur.

Domus Prætoria.


Sala, seu Prætorium antiquum.

Iprensis Vicecomitatus primum est feudum, quod ab hac Sala movetur.


Boesingen pagus ad primum ab Ipra lapidem situs, quousque via silicibus strata ducit. Turrim habet Ecclesia cumprimis elegantem, & ante quatuor sæcula structam, ut Epigraphe cacumini ejus inscripta docet. Libera hic concessa fuit antiquitus Gilda sub nomine S. Georgii à Comite Flandriæ, familiæ Bellanæ loco potienti, ob rem ab ea præclare gestam in conflictu aliquo. Habetque societatem cum iis, quæ magnis itidem privilegiis institutæ sunt in Elverdingh, Langemarcke & Stavele, quibus inter alia permissum, ut sagittas ferro acuminatas ejaculari possint. Pagus est autem arvus & pascuus, quem secat fluvius Ipra veniens, qui repagulis & transportis quibusdam (ut ajunt) hîc continetur. Fuit autem Toparchia hujus loci in variis olim familiis, ac primum ejus cognomenti à qua in gentem *Bellanam* migravit, ab his ad gentiles *de Bride*, deficiente hærede masculo à Dixmudensi quoque familia per nuptias, ad gentiles Halewynos devoluta est. E qua gente à *Witthemiis* ad Bergenses super Zomam Toparchos, & ab his ad *Cusancium* Baronem de Beauvois; qui eam vendidit *Adolfo de Trompes* Equiti. Et censetur hujus

loci

NOVA ET EXACTA TABVLA GEOGRAPHICA SALÆ ET CASTELLANIÆ IPRENSIS. De Casselrie van Ipre. LA CHASTELENIE D'IPRE. ANNO MDCXXXXI


















































loci Toparchus inter Vasallos Castellaniæ antiquissimus. gaudet liberâ per totam parœciam venatione & aucupio. Potitur alta, media, imaque justitia. Habet Prætorem & Scabinos septem, Ammannum justitiæ administrum: Iura venditionum in fundis allodialibus: jus fisci concessum per Ioannem Burgundiæ Ducem. Locus hic autem Castro quondam insigni ac valido etiam ornatus fuit, & obsessum aliquando sex millibus armatorum prædictum castrum, ustumque cum Ecclesia. Quin nuper etiam durantibus in occidua Flandria turbis, ab Iprensibus dejectum, quod nunc Toparchus in dies magnis impendiis instaurat.

In parœcia Brielensi, inter viam Boesinganam & Elverdinganam, medio ab urbe milliari sita est Toparchia *Virlinchovia*, pascuis & pratis abundans, Ipretis, quercetis, & populetis bene consita, pomariis & hortis amœna. Cujus modernus Dominus *Philippus Albertus à Quaetjonck* eam à patre suo *Bernardo* Equite aurato jure hæreditario accepit. Hic veteri Castello primis Flandriæ tumultibus exusto, prætorium ibidem aliud editiore & salubriore forte loco in minori non procul insula, quod à tribus partibus aqua cingitur, exstruxit. Fuit autem ea Toparchia pluribus sæculis in ea familia, quæ vetustate sua, quam terris, ac Dominiis per progenitores acquisitis, commendatior est.

Briele. Ecclesia in suburbano Deiparæ Virgini sacra fuit, jussu aliquorum, quia in conspectu mœnium posita munitioni urbis obsistere videbatur, destructa, agrum habet uberem, pascuum & arvum, qui oneribus Castellaniæ obnoxius est, licet parœciæ pars ab illis exempta sit, sub jurisdictione Scabinagii Iprensis, ut vocant, sita sit.

Parœcia S. Ioannis olim ad Aquilonem urbis in agro suburbano sita, & contributionibus Castellaniæ Iprensis obnoxia, cujus ædes intra veteres fossas Ipræ fuit, & attiguum habuit cœnobium Carmelitarum, unde religiosi illi apud Iprenses, *fratres S. Ioannis* in hanc usque diem appellantur. Per Belgicorum autem tumultuum injurias Ecclesia hæc funditus deleta fuit, sic ut vestigium loci vix modò appareat.

Parœcia S. Iacobi suburbanum habet itidem agrum Castellaniæ contribuentem, Ecclesia licet mœnibus septa sit. Pascua item opima ad viam, qua Zinnebeka in urbem venitur, & ad veteres urbis fossas molæ aliquot visuntur oleaginæ, unde propatulus in urbem eandem despectus.

Becelaria vulgo *Becelaer*, pagus duabus fere ab Ipra leucis situs ad viam, quæ ab hac urbe Corturiacum ducit, magna sui parte saltuosus, & arvus colliculos suos etiam habet, & valles per æstatem amœnas. Possidet eum modo vir illustris, *Franciscus vander Woestyne*, Dominus quoque de Flechmel, Pottrie, Lueghens, Caridon, Maete, & aliis in locis, eques. Ecclesiam habet egregiam, cum splendida turri. Porro ad temporalem hujus loci Toparchiam quod attinet, vix aliam in Iprensi Territorio potiorem invenias; per universum enim pagi ambitum, quem illa complectitur, nullus alius quocunque titulo Toparchus est, parvo limite excepto, quem Sala, ut ajunt, & Castellania Iprensis occupat. Habet autem eadem Toparchia curias feudales binas. Primam vocant, *'t Hof der groote Vierschaer*, alteram *'t Hof der Oostvierschare*. Potiturque alta, media, ac ima justitia. mulctas recipit sexaginta librarum Parisiensium, cum omnimoda Iurisdictione: Prætorem habet & Scabinos septem, aliosque Iustitiæ administros; proventus etiam varios annuatim & uberes. Fiduciario autem jure tenetur immediate à Flandriæ Principe, sub ejus Curia seu Sala Iprensi, habetque sub se alia feuda ac Dominia paris fere potentiæ, ut sunt *Sciervelde*, *Langen*, *Navegeer*, *Hesſele* & alia. Sigillo quoque utitur ad causas, ad rerum possessiones, ad alios denique actus judiciales agnito & antiquo, præter alia Toparchi jura ac privilegia. Pro singulari autem hujus loci ornamento erit Prætorium splendidum, ac viro Principe dignum.

Gheluvelt pagus in edito situs ad alterum fere ab Iprana urbe lapidem. habet sylvas & myriceta, terramque arvam. Toparchia loci potitur familia de Voocht.

Hoochlede à situ nomen habere videtur, quasi *Hooghe gheleeghen.* nam in alto positus quaquaversum longissimos præbet aspectus. pagus est arvus maxima sui parte.

Houckene, pagus ad tertium ab urbe Ipra lapidem situs.

Rumbeke, prætorium hic habet non invenustum Baro de Vcclem è Gentilibus *de Thiennes.*

Vormisele pagus est ad medium ab urbe Ipra lapidem situs, iterque silice stratum, quo Warnestonium, Querciacum, & Insulas itur, interſecat, pascuus & arvus silvis etiam ac lucis consitus, mireque per æstatem amœnus. Toparchia nunc est illustris viri *Ludovici Lopesgallo* Baronis Maleani, à patre & avo proveniens, qui commodum istuc etiam habet prætorium, altaque, media, & ima potitur justitia, Scabinos habens septem, & alios justitiæ administros, cum Prætore, aucupio, & venatione. Visuntur & illic vivaria, & piscosi lacus, præcipue circa prætorium Toparchi ac cœnobium; pomaria itidem, aliaque fructifera arboreta, hortique, quos natura, & ars ornavit.

Langemarke amplissimus in ditione Iprensi pagus, & quo vix tota Flandria majorem habet, quippe qui supra quatuor millia jugerum terræ complectatur, variis distinguitur Comarchiis. Præter ædem curialem, quatuor aliæ sunt ædiculæ sacræ ad quatuor quasi pagi angulos constitutæ, & æquali fere mediæ leucæ distantia sejunctæ ab invicem. Prima inter eas *Mariæ ter Poele*, sive ad paludem, cujus loci Toparchia potitur *Christianus Boudins*, vir nobilis: & secunda Sancti Iuliani quondam Hospitale sub duce Cliviæ: Tertia Sancti Eligii sub dominio Marchionis de Lisbourg: Quarta denique, quæ quondam fuit Abbatia in honorem vinculorum S. Petri Kalendis Augusti celebrium, pendens ab Abbatia Corbiensi in Gallia, nunc ad Abbatem spectat Aquicinctinum. sita est autem in magna sylva regis dicta *het Busch van Outhulst*, ubi præter villam rusticam nihil restat.

Insitum & huic pago *Dominium Cliviense*, vulgo *het*

het Cleefsche Langemarcke, quod in gente Maldeghemia fuisse lib. 4. Flandr. Occident. innuit Gramajus. Floruisse autem in hoc quondam pago etiam lanificium, colligitur ex iis, quæ Meyer. lib. 12. Ann. commemorat sub Ludovico Nivernensi ad an. 1345.

Bixscote, pagus ad secundum fere situs ab Ipra lapidem, via quæ Dixmudam ducit, pascuus & arvus, & plantariis arborum fœcundus. Per hiemem tecta aquis prata habet, ubi circumquaque ingens vis anatum sylvestrium sapore præcelelenti. Porro intra limites parœciæ *de Bixschote* se partitur *Baronatus de Coucy*, possessus nuper à Claerhoutiis, ac modo ab illustri Marchione de Lisbourg.

Morslede tribus fere leucis distat ab oppido Iprensi, totidem à Corturiacensi, & loco editiore, unde patulus in circuitum prospectus. Habet quoque Prætorium Toparchus è gentilibus Despieres. Porro insitum huic pago est dominium *de Watermeulen*. quod fuit jam pridem gentis Hoymiliæ, nunc De Vicq, & habet alia feuda, quæ ab hoc moventur. Iusticiamque, ut vocant, altam, mediam, & imam, Scabinos septem, & alios justitiæ administros.

Paschendeele, pagus in edito situs, sylvosus, & arvus; ædem habet divo Audomaro sacram. Quoad dominium loci, jam dudum fuit illud in familia *vander Gracht*.

Rolleghem, non parœcia, sed dominium parœciis aliquot insitum, cum ædicula, ubi res divina quandoque peragitur, nunc possessum à Toparcho de Morslede, cum variis juribus. Ab hoc autem loco nominata floruit antiqua nobilisque familia.

Zonnebeka, in antiquis rescriptis *Zinnebeka* vocatur, & Sinnebecce. Pagus est ad secundum ferme ab Ipra lapidem, arvus & saltuosus, habet & pascua ac vivaria. Institutum est inibi cœnobium Canonicorum Regularium Ordinis S. August. Domum hic juxta cœnobium non incommodam habet Toparchus è nobili claraque familia *de Voocht*; Dominium quoque cum juribus multis atque præeminentiis.

Hollebeke pagus est justæ magnitudinis, ad primum & amplius ab Ipra lapidem situs, inter sylvas & myriceta, fontibus quoque beatus. Hæc autem Toparchia de Hollebeque, in fide Comitum Flandriæ sub Iprensi Sala constituta, quæ se cum egregiis juribus in parœcias de Santvoorde, Houtem, & Zillebeke protendit, ad familiam Brabanticam perantiquam & illustrem de Glymes devenit. Habuit porro prætorium antiquum, splendidumque Hollebeka, Toparcharum sedem, quod nunc injuria bellorum collapsum, & amœno loco inter arboreta, hortos, pomaria, prata situm, non restauravit modo, sed undique è fundamentis erutum, opere splendido magis & augusto, novum ædificavit *Winandus de Glymes*.

Vltra Hollebecam ad secundum fere ab Ipra lapidem sita est Parochia de *Houthem*, uberiore gleba ad viam, quæ Cominio recta Ipras ducit. Dominium loci temporale causa Toparchiæ Cominiensis spectat ad Chimacensem è Ligniaca & Croia, Egmondanaque familia Principem.

Neerwaesten, pagus ad Legiam situs secundo ab Ipra lapide, pascuus & arvus, Gallice *Baswaerneston* appellatus, per æstatem ad purissimum illud flumen, quod leni fluit agmine, & illimi unda ridet. Dominium hoc in pago situm *de la Busche*. A quo nominata familia etiam antiqua fuit. Dominium autem ejus nominis jam possidetur à familia *de Massiet* nobili cumprimis & antiqua. Movetur autem à Toparchia *de Oosthove* apud Nipkerckam. habet altam, mediam, ac imam justitiam, cum banco septem Scabinorum, aucupio ac venatione.

Cominium pro parte, contributionibus hujus Castellaniæ etiam obnoxium est, sed nunc quoad limites aliqua inter hanc & Insulensem Castellaniam controversia esse videtur, quam judicum ad id constitutorum arbitrio dirimendam relinquo.

Dominium capituli Insulensis in Kemmele, subsidiarium quoque est, & contribuit in Castellania Iprensi, ut liber censualis demonstrat.

Wytschaete, pagus amplæ magnitudinis, in edito situs, ad primum ab Ipra lapidem juxta iter Warnestoniense, in clivos hinc inde assurgens, sylvas habet & arva per æstatem amœna, ob prospectum ad vicina patentem.

Ledechem; pagus Dadizeliæ adjacet non infœcundus.

Nieukercke, pagus partim hujus Castellaniæ, partim in ditione Franconatum situs, juxta Rollarium in diœcesi Brugensi, vulgo *Oost-Nieukercke*, ante trecentos annos ædicula tantum ibi fuit sub parœcia Rollariensi, ob copiosam vero indiesque crescentem istic plebem ecclesiæ parœcialis titulum ac prærogativam acquisivit, condita præcipue collatitio populi istic agentis ære.

Staden, pagus est ad tertium fere ab Ipra lapidem situs, via quæ Thoraltum, & Brugas ducit, partim in monte, partim in vallibus, & acclivi, terras præcipue habet arabiles, & virentia prata. In hoc pago situm Dominium de Vellenaer, possessum hodie per Toparchum è familia *de Lichtervelde*, eo titulo hæreditarium Iprensis Castellaniæ Vasallum. quod & se protendit in Hoochlede. habet Toparchus Prætorem, Ammanum, scabinos, mulctam, & alia jura: in ejus fide alia sunt 28. feuda *in Hoochlede*, *Staden*, *Clerckem*, *Eessene*, *Zarne*, *Woumene*, aliisque locis sita. Prætorium hic habet Marchio Lisburganus splendidum atque jucundum, quod ad omnem usum incolentibus commoda præbet hospitia, amœnoque loco situm est cum vicino luco, atque aliis arboretis in lineam dispositis. Toparchia loci ab antiquo & primitus in familia ejus nominis fuit.

Roosbeke, celebris hic cum primis est locus veneratione Virginis Matris: Dominium pagi nunc ad Noyellios pervenit.

Zillebeke, media distat ab oppido Iprensi leuca, pagus amœnus, saltus habens ac sylvas, arva quoque ac stagnum ingens ceu vivarium, quod sicut à Dickabusca, per torrentem labitur in fossam urbis, & inde per tubos subterraneos plumbeos, aquam non insalubrem civibus subministrat, locus est antiquitate sua commendabilis, in quo domum habet non inelegantem Toparchus de Honschote ex familia de Cerf & Massiet,

fiet, quam restauravit vel incepit *Petrus de Cerf* ante paucos annos. Toparchia loci fiduciario jure tenetur à Sala Iprensi.

Santvoorde, pagus in alto, & ad myriceta situs, arvus & saltuosus, cujus ecclesia titulum habet S. Bartholomæi. Varia insita huic loco Dominia, ut sunt Salæ Regiæ Iprensis, de Cominio, de Hollebeka, *het Hoosthof* in Viroviaco. Porro Dominium pagi præcipuum nuper gentis *de la Vichte* fuit, nunc *de Velaere*, quæ commodum ibidem, elegansque suum habet prætorium.

Rosselaere. *Oppidum Rollarium in pratis*, vocitatum est, ob amœnissima prata, quibus non tam adjacet, quam interjacet, in ipso quasi Flandriæ meditullio, tribus ab Ipra, quatuor à Cortraco & Dixmuda fere milliaribus, loco & aëre saluberrimo; in circuitu habet viridaria, lucos, prata, & agros frugum pæne omnium feraces. Locum hunc pervetustum esse, varia cœnobiorum rescripta indicant. Mercatum habet hebdomadarium, quo lineæ telæ maximo numero olim solebant distrahi. Per fluvium enim Manderam juxtim ortum, qui per Iseghemum, Anglomonasterium, & Wacquenium fluens, in Legiam labitur, subvectiones Legiæ consequitur. Est itaque vetusti nominis oppidum, & urbis habens privilegia Rollarium, cum quo & sub cujus ditione in solitis & extra ordinem petitis per Flandriæ Principem subsidiis contribuunt Ambactum Rollariense, Claven in Longomarka, & Curia Iseghemiensis, vulgo *het Hof tot Iseghem*, habet prætorem, qui oppidi Toparchum, habet Scultetum, qui vicecomitem repræsentat, Scabinos septem; quorum primus consul, seu Burgimagister audit, Pensionarium item, seu oppidi Syndicum & actuarium. habet hic Magistratus compotem omnis justitiæ auctoritatem, tam in criminalibus, quam civilibus caussis. Ejus autem Dominio jam potitur Serenissimus Princeps Wolfangus Wilhelmus Palatinus Rheni, utriusque Bavariæ ac Neoburgicus Dux.

Dickebusch, pagus est protensæ magnitudinis, & antiquus. Plantariis arborum, pomariisque amœnis consitus est, & præcipue arvus. habet & stagnum ingens ad primum fere ab Ipra lapidem, è quo per torrentem aqua labitur, & per subterraneos tubos plumbeos dispergitur per eandem urbem. Insitum eidem pago dominium de *Hallebast* cum prætorio non inelegante, à gentilibus de *Wouters* nunc possessum, quod per vicinam Flamertiniam quoque se extendit, & alta, media, imaque, ut ajunt, justitia potitur, & Scabinos habet septem, cum Prætore, & aliis justitiæ administris.

Crommenhelst in Flamertinga, in subsidium quoque venit ad onera publica Castellaniæ Iprensi. Possessum nuper, & etiamnum à familia prænobili & antiqua de *Ketulle*.

Dominium de Leger, quanquam per Flamertiniæ parœciam se protendat, censûs tamen Flandriæ contributioni Castellaniæ Iprensis illud obnoxium facit; tenetur autem in fide ac clientela domini de Vlamertinghe, variis instructum juribus, ut ejus habet Catalogus, & possidet illud modo vir Nob. *Petrus Immelotius* Toparchus etiam *de Bampoele*, & nunc etiam Vlamertinii.

Misseniacum, vulgo **Meesene** *Messines.* *Varia* recenset Misseniaci nomina Gramajus; ex Roberti Frisonis rescripto vocat *villam Misenis*. ex Meyero *Mescinas*, ex Marchantio *Meessenam*, ex Oliverio Marcano *Meschinam*, sed quod illi præ cæteris arridet, è Sanctologo Morinensi ad tertiam Iulii, ubi memoria Sidronii Martyris huc translati, *Misseniacum*. Etymon ortum est à nundinis, non tam celebritate, quam antiquitate commendatis, & inter quatuor Campaniæ Gallicanæ Principes olim relatis. Has enim *Missen* sive *Missas* nostri vocant, vocabulo à Romanis mutuato, eo quod toto ex imperio merces vænum mitterentur, & mittantur. Fuerunt autem etiam ante oppidum aut Cœnobium hæ de quibus ago nundinæ *in foresto Sartano* (sic enim dicebatur) pone arcem novam Comitis, quæ sita fuit haud dubie circa aggerem agrumque *Slotlant*, id est, arcis terra nuncupatum, quingentis à cœnobio passibus. Oppidi exordia, libertatem, leges, non altius quam à Balduino Insulano; limites non latius quam instituta Alexandri Pontificis permissu obeunt amburbalia; totum enim illo gyro conclusum spatium civitatis nomine habetur, & intraneo Senatui obtemperat. Dominatus oppidi & parvo circuitu terreni donatione Adelæ Comitis spectat ad virginum Vestalium ibi Antistitem, quæ ex more Iprensium & Guidonis Comitis decreto, Rempublicam & justitiam administrat, per magnum puta Balivum, porti Balivum & Scultetum perpetuos, Scabinos septem annuales, archangeli Michaëlis festo recurrente solitos innovari. Cives textura laneorum pannorum tantum olim quæstum fecere, ut in subsidiis Provinciæ, rogandaque pecunia nonnunquam paria Furnensibus fecerint, mercatusque ad quartamdecimam Octobris tantâ soleret advenarum frequentia proficere, ut legatur anno 1528 unis nundinis teruncium in singulos pannos venditioni expositos expensum, ascendisse ad 646 florenos. nunc pannifices illi in Britanniam, & alio profugi locum tristiorem, & mercimoniis vastum reliquere. Hebdomadale etiam forum diebus Iovis, & Saturni frequentatum minus ob vicinam Ipreti nundinationem.

C A-

CASTELLANIA CORTVRIACENSIS.

Castrum Corturiacense.



Orturiacum agri amplitudine pagos 67 complectente, in Comitatu Franco-Flandrico, situs ad utramque Lizæ & Manderæ ripam opportunitate, ante alia Flandriæ, dignitate, consessu, authoritate, & titulo, post Metropoles sive quatuor membra primas omnium suffragiis obtinens, antiquitatis etiam laudem habet. Meyerus Iperium secutus, B. Rhenanus annalium fidem allegans, Molanus cap. 9. militiæ sacræ ubi de Pipino secundo, conformiter tradunt, *Suevos Flandrorum populos & Menapios à Normannis Cortraci hibernantibus ad internecionem deletos, uti in Historiis Francorum memoriæ proditum est.* Vnde colligas Barbaros hibernantes locum aut munitum occupasse, aut occupatum munivisse. Illis porro dilapsis Balduinum juniorem sive Barbatum, ut vult Oudergestius, sive Arnulphum Comites, certum est *Arcem Cortracensem* restaurasse, illam à Balduino Constantinopolitano Collegio 12. Canonicorum ornatam; etsi Meyerus videatur innuere destructam fuisse cum *capitulum* fundaretur, referens, *loco ubi vetus Castrum fuerat, Ecclesiam instructam.* Hujus locum & amplitudinem, codex censualis Capituli satis ostendit, & sententia Tornaci pronunciata anno 1451, Maji 28. hæc narrans Ioannem Isegemium ante 20 annos defunctum sibi comparasse domum Villa Cortracensi loco antea *Ouden Casteel* dicto, qui nunc *onser Vrouwen-straet* dicitur; ille juxta quem anno 1398, Dux Burgundiæ molam habebat aquaticam, domos late ultra forum designans, omnes ratione Dominii fundi in Castro à Comitibus ecclesiæ transcripti solidos aliquot pendentes. Structuræ porro veteris nihil reliquum superesse præter portam nunc Canonicorum, olim Castri dictam, & rudera ingentia subinde fodientibus sub terra obvia, tantaque firmitate compacta, ut vix ulla arte possint separari. *Dominium fundi* Canonicis attributum, omnimodum intellige anno 1411, cum Ioannes Burgundio illud abdicavit, Canonicis in vicem remittentibus 800 mensuras avenæ mollis, quas *Honts* vocant, olim sibi à Ioanna Comitissa relictas. Aliquale autem jam inde à prima fundatione acquisitum, cujus ratione fossarum & portæ Castri jus ad se spectare contendentes, aliquamdiu cum Senatu sunt altercati, controversia anno 1358 decisa. Serviebat olim hoc Castrum habitationi Comitum, qui etiam potiore ejus parte sacris usibus applicata, Cortraco interim delectati, *Domum prætoriam* ibi suam habuerunt. Vlterius habet Castrum supradictum *Pares* suos, *homines*, id est Vasallos suos, & *Curiam feudorum* insignem, *Castellanum* etiam sive Vice-Comitem olim hereditarium; ut modo inter meliora Comitatus oppida merito censeatur. In meridionali parte Flandriæ Teutonicæ situm, & Gallicanam respiciens, forma ovali à septentrione, ad meridiem nonnihil in clivum surgens. Liza abluitur ex adverso Castri in duos divisa alveos, altero urbem, altero mœnia perlabente, ea commoditate, ut navigia rectis malis transmittantur, qui in egressu oppidi reunitus suburbia secat.

Vrbis descriptio.

Castrum ab occidente forma quadrata, fossis præaltis, egressu duplice, decem sublimibus è vivo lapide cœlo minatur turribus. Civitas interior fossis, aggere, & muro latericio una cum 27 turribus, & 2 è cespite propugnaculis, opportuna ad quosvis insultus eludendos. Portas habet quinque, totidem latioribus respondentes plateis, ad forum grata mundicie conspicuum ducentibus. Ad septentrionem & orientem duo habet præurbia adæquantia magnitudine & munitione oppidum, utrumque duabus firmissimis portis patens: alterum Trans-Lizanum aggere perpetuo, 5. propugnaculis & fossa aquis scatente munitur. Alterum Vltrabecanum flumine duntaxat divisum tribus propugnaculis, aggere & fossa similibus clauditur. Vtrumque è propinquo respicit prata amœnissima, æstivis diebus lineorum pannorum Soli expositorum dealbationi servientia.

Castellaniæ divisio.

Quo loco Castellum vetus Corturiacense fuerit, & quibus conclusum limitibus, inquit Gramajus, & cujus auctoritatis Vicecomites habuerit, in Corturiacensibus meis docui: hic tantum additurus insignem feudorum nobilium copiam, ab eodem moveri, & vulgo subcenseri magis, quam plenâ jurisdictione subesse quatuor oppida, & pagos complures, qui solent ad quinque Præfecturas, sive Virgas, ut loquuntur, referri, Harlebecanam puta, Tiletanam, Donsanam, Meninensem, & tredecim Parœciarum, quas ex ordine describemus. Cæterum cum singulæ hæ præfecturæ, imo singula fere Dominia suos habeant Senatores, Balivos, & officiatos, tum vero maxime unum est Generale Collegium in oppido, constans *Hooft puncteris* quatuor, à capitum censione nomen adeptis, & scabinis septem; ad quos querelæ, & controversiæ omnium tota Castellania subditorum circa collationes subsidiarias, & alia id genus onera deferuntur. Et solent annuatim in hoc Collegium assumi ad Scabinatum Prætores, Consiliarii, sive Graphiarii dynastiarum, aut oppidorum, aut alii prudentia magis valentes: ad Hooftpuncteratum autem fere viri nobiles, & clientes fiduciarii, aut Pares castri Corturiacensis. Quo tempore porro hæc Reip. norma sit intro-

Magistratus.



Generoso et Illustri viro
D. PHILIPPO TRIEST, Equiti Ord. S. Iacobi
Summo Vrbis et Castellaniæ Corturiacensis Prætori:
Nobiliß. item et Ampliß. Dominis
D. FLORENTIO DE GRIBOVAL, Equiti, Toparchæ de Sweveghem etc.
D. CAROLO DE SCHIETERE Equiti, Toparchæ de Maelstaple.
D. IOANNI DV FOREST Toparchæ de Heuverie.
D. GVILIELMO DE VVLDER, Domino de Duderseele.

Prudentibusque viris ac liberis ejusdem Castellaniæ Scabinis
Michaeli de Bels. *Gulielmo Tutens.*
Iudoco Verbiest. *Iudoco van Rekendale.*
Petro de Cock. *Natali de Kimpe.*
Iacobo le Mayeur.

D.D. Ant. Sanderus.



Occidens.
FRANCONATÆNSES
PARS CASTELLANIÆ YPRENSIS
PARS ROEDE VAN THIELT
CASSEL RYE VAN AVDER BURCH
Septentrio.
Meridies.
CASSELRYE VAN RYSSEL
LE TOURNESIS
ROEDE VAN MEENENE
ROEDE VAN DE XIII PROCHIEN
VAN HERLE
BEECKE
ROEDE VAN DEINSE
CASSELRYE VAN AVDENAERDE
Oriens.



Een Vlaemsche myle van 19600 voeten.

introducta, necdum scire potui, sed suspicari tantum, abrogata aut imminuta Parium Castri auctoritate circa peculium Castellaniæ pro hæreditariis hos annales substitutos. Patreatus seu *Pairies* Vrbis & Castellaniæ Corturiacensis sunt duodecim. Quorum primus est ipse Flandriæ Comes jure Castelli sui Corturiacensis; sequuntur Menina, Viroviacum, Iseghemum, Gracht, Thombes, Coyghem, Dadizele, Huele, Roosbeke, Dominium d'Estampes, dictum Viri, la Grute Curiæ Tiletensis. Oppida vero quæ Corturiacensis Castellania nunc complectitur, sunt, *Harlebeca*, sub qua pagi, vel aliqui minores pagis vici, Bavinchove, Bevere, Deerlyck, Desselgem, Engelmunster, Hulst, Keurne, Moude, Sweveghem, Vichte, Vive S. Eligii, Wareghem.

Pares.

Oppida.

Tiletum sub quo Arseele, S. Baefs Vive, Denterghem, Canighem, Eeghem, Gotthem, Merkeghem, Muelebeque, Oesselghem, Pitthem, Poucques, Roesbeque, Ruyslede, Wacquen, Wilbeque, Winghene, Wouterghem, Zuevezeele, Catthem.

Donsa, sub qua numerantur Astene, Grammene, (nisi forte jam Tileto subcenseatur) Machelen, Olsene, Peteghem, Zulte. alia denique in his sita feuda atque Dominia. De quibus postea. Oteghem, Eestert.

Menina, cui subcensentur, Bisseghem, Emelghem, Guleghem, Baronatus Heulæ, Gheluwe. Item Dadizele oppidi privilegiis gaudens, Lendele, Iseghem titulo Comitatus illustre, Morsele, Wevelghem, Abbatiâ monialium Ordinis Cisterciensis nobile.

Harlebeccke.

Tredecim denique Parœciæ, quæ sunt, Dottingnies, Coyghem, Pons Despiere, Mouscron, Herseaux, Lungue, Reckem, Lauwe, Aelbeke, Rodelghem, Bellighem, Marke, Corturiacum.

Hallebecam vocabant antiqui in rescriptis suis Principes, Hallebeccam scriptores aliquot, utrique à torrente Gaurebecani rivuli elice: & circa urbem, quam mediam secat, Lizæ permixto. Elegerant quidem veterrimi Flandrorum Forestarii palatii sui sedem apud Insulam, sed pater Liederici secundi Harlebeccam transtulit, unde hic cognomen à natali solo est sortitus Harlebecani. Occasio autem translationis unica, situs loci in Comitatus sui medio, ad flumen Legiam sive Lizam, qui ejus ævo diviso alveo traductum Insulam facere cœpit. Et imminebat veteri ripæ Castrum, sive Regia Comitis, unde in hodiernum diem jus piscandi in veteri Liza servat Castellanus Harlebecensis. In veteribus privilegiorum restauratorum chartis semper annotant Principes, Harlebecam totius comitatus Flandrici oppidum esse antiquissimum: Comitatus intellige veteris intra Schaldim & Legiam. Senatus Vibicus, qui fuit ab omni hominum & scriptorum memoria celeberrimus, constat Præposito, Consule & sex Scabinis, præsidente illo in civilibus Cameræ & pacificatoriis, hoc in criminalibus aliisque. Et cum tota fere Flandria observemus immutatam Senatus faciem, abrogatos Præpositos, imminutam authoritatem ob demerita rebellionum, aut alias causas, sola Haerlebeca fidei tenax, & Principi suo devotissima, etiam cum fortunarum suarum dispendio antiquum obtinet.

VIRGA HARLEBECANA.

Inprimis itaque notandum intra primum ab oppido lapidem rusticos omnes molendino Principis obnoxios esse; agros, & prædia diversis in pagis plurima existere ad spicam annariam Comitis pertinentia; propriumque ob id una cum prædiis nulli particulari Domino obnoxiis, tribunal in oppido sortita esse, quod tempore Burgundicorum Principum statutis & consuetudinibus formatum, alias Scabinagium Comitis, alias novum video indigetatur, & Senatum annalem renovantibus Principum mandatariis Consule & sex scabinis constantem accipere. Habere etiam ab antiquo Quæstorem & Ammannum hæreditarium, quorum hoc ab omni scriptorum memoria fuit Vicecomitum Harlebecensium, illud dudum gentis Walliæ, dein Mortaviæ, & nuper Ioannis Iacquelot Magni Balivi Harlebecensis.

Inprimis itaque in pomærio oppidi Harlebecensis Dominium est *Hallense*, à nundinarii veteris loco nuncupatum, Scabinatu & dominiis duodecim non carens, sed nec sacello, domoque prætoria, & fundamentis castri per bella Gandensia sub Maleano diruti.

Simile superiori feudum est *Overacker* Senatu & subalternis septem constans; effossaque nuper alta sub humo rudera ingenti mole monstrant castrum, quod antiquitus, ut opinor, fuit familiæ *Wterzwaene*.

Venetiense Dominium Senatus, & feudorum quatuor campos, à *Iacobo Scaeccio* obtentum, Legato ad Venetos nomine Brugensium, quod reperio anno 1442. ejusdem nominis & familiæ Nobilem Gerardo Ghistellano transcribere, in cujus stirpe hæsit, & dominis Beveræ Desselgemique titulum honoris dedit, usque ad annum 1461. Et observare liceat infinita hoc tractu loca esse in clivum aggesta, & fossis aqua etiam ductili aut pluviali munita, certissimo nobilium in vicino palatii agentium indicio.

Terleca (quod molliusule nunc *Deerlicke* pronunciant) fuit primitus Dominium ejus loci in familia ei cognomine, feudum Castello Cortracensi obnoxium.

Francx insuper dominium homines 12 & Scabinos 7. complectens: *Winghena* denique & *Busfelt* octo feudis dominantia.

Sequuntur ad fines Aldenardensis Præfecturæ, (in qua & faciunt partem) *Vichta* nobilissimæ gentis cognomentum.

Oeteghem domo prætoriâ & *Couwerburgo* hospitalis Cortraceni feudo per Philippum Audacem Burgundiæ Ducem donato non ignorabile. Sicut *Heestert* Baronis de Huele ex Lidekerckiis dominio, & *Dienstvelt* Danantiorum dominio celebrata. Fanum item Dionysii, Slavathia Toparchia, dudum fisco Principis addicta notum.

Adjacet porro his vicinum in agrum Aldenardensem procurrentibus parœciis *Mouda*, vulgo *Mouwe*, gentilium *de Baronaige* dynastia, perelegante prætorio, foro, & nundinis oppidorum more exornata.

Introrsum autem in mediterraneis conspicitur à Suevorum proculdubio habitatione nomen sortitus pagus de *Sweveghem* Ecclesiam habens titulo Capellæ de *Sweveghem* donatam Canonicis Harle-

Harlebecanis à Balduino Comite & fundatore eorum, Castrum item cum ampla jurisdictione & feudorum curia ad illustrem familiam *Halewyniorum* quondam, nunc ad *Gribovallios* spectans.

Desselgem, & *Beveren*, adjacentes sibi mutuo pagi sunt, & uterque de Blandiniensis Abbatiæ peculio.

Deerlycke, proximo ad Harlebecam situ, una ferè leuca ad viam Aldenardensem jacet; pagus est antiquus. Duæ hic *Viviæ*, una *S. Eligii*, quam *Vivium Castellum* vocat Malebrancus, altera *S.Bavonis*, utraque ad Legiam fluvium, utraque amœna, aquis irrigua, & per æstatem pascuis florida. Quod autem attinet ad *Viviam S. Eligii*, à ducentis & amplius annis Vicecomitatu ejus & dominio potita fuit familia *vander Heede*. Ille porro Vicecomitatus cum à gentilibus ejus familiæ divenditus esset, ad eandem postea rediit. Tenetur autem ille Vicecomitatus à Castello Anglomonasteriensi, habetque justitiam altam, mediam, & imam, prætorem, scabinosque septem, jus Telonæ, liberam piscationem in flumine Legia, cum præeminentiis aliis, ac reditibus annuis multis, quos parœciæ in vicinia sitæ suppeditant: ab hoc quoque feudo alia minoris momenti tenentur.

Non procul à Capella B. Virginis ad vallem vulgo *Ten Dale*, ad meridiem jacet *Waregemium*, pagus præcelsa turre acuta, & insigni Ecclesia conspicuus. Hujus Toparchia ad Baronem Anglomonasteriensem spectat, ubi amplius beneficio dicti Baronis possederunt *Potegemium* prætorio instructum, & *Nieuwenhoviam*, olim familiares *de la Vichte*. nunc è familia *du Chastel* Blangervalli dominus.

Vltra Lizam ad extremum non ultimæ notæ supersunt dominia *Oyghen*, à nullo dependens Toparchia. *Cuerne* pagus ad medium à Corturiaco lapidem situs loco amœno; & juxta Legiam qui vel adfluit, vel eum secat, peculium est cessione regia *Familiæ de Tollenaer* nobilis apud Flandros & antiquæ. Superest in parœcia de *Cuerne* dominium aliud *Nieuwenhuyse* appellatum, scabinatu & novem feudis nobile.

Superest *Anglomonasterium*, vulgo *Inghelmunster* Baronatus, qui antiquitatis merito, majestatis titulo, situs gratia, rerum gestarum magnitudine, inter primi subsellii dynastias famam meretur. Sive enim terræ genium, agris tam arvis, quam pascuis florentem, nec sylvulæ oblectamento, nec fluvii Manderæ in Lizam se effundentis, & per eum Scaldim, & cum hoc Oceanum petentis commoditate destitutum consideres, sive sedem in Flandriæ pæne meditullio tutam, nec minus utilem inspicias, sive Baronum late patentem per pagos viginti tres jurisdictionem, cum triplice justitia, venatione maxima, aucupio & piscatione non infelici, & privilegiis amplissimis intuearis: sive arcem æstimes, fossis altitudine & latitudine insigni, structuraque foris tam munita, ut hostilem exercitum semper exspectare, sæpius contemnere, oppugnationem & tormenta semel ferre ausa fuerit, armis etiam intus nunc, præsidio nuper tam insigniter instructa, ut eludendis insidiantium conatibus par esse possit: aulæo interim, sacello, turribus, antemœnianis pennariis in quadro sic disposita, ut maximi Principum sufficere possit diversorio; prout aliquando suffecit. Omnia, inquam, hæc magnifica; quæ tamen minima sunt antiquitatum portio, laudisque, quam historiarum & archivorum monumenta suppeditant, vix umbra. Possidetur autem à familia *Edelheer von Plotho*.

Tiletum, vulgo *Tielt*, non obscuri nominis in Flandria oppidum, Toparchum habet temporalem, ipsum Provinciæ Principem. Porro oppidum ipsum ambitu suo trecenta terræ bonaria comprehendit, extra vero illud parœcia ipsa ad bis mille octingenta terræ bonaria protenditur. Situm est in Flandriæ propemodum umbilico, aëre cumprimis salubri. Nundinas habet annuas mense Septembri. Forum item hebdomadarium, ad quod non infrequens incolarum in vicinia positorum concursus. Distat Gandavo sex, Brugâ totidem, à Corturiaco verò quatuor milliaribus. Porro ad extremum intra limites, & extra oppidum, quemadmodum etiam in singulis pagis, diversissima sunt Dominia, quemadmodum dynastia curiæ Tiletanæ, vulgo *Tielt ten Hove*, feudum Castri Corturiacensis. Sunt & Dominia *de Tomme & Haghe* olim dominorum de Poucques; nunc emptione Comitis de Wacquen, *Willecom* olim familiæ de *Hostade*, nunc ex successione materna familiæ *van Bracle*. *Elst & Lembeca* olim familiæ *vanden Heede*; nunc ex successione *Gulielmi Wits* in Concilio Flandriæ Præsidis. Fuerunt in parochia Tiletana olim plures nobilium domus, seu arces: sed omnes furore plebis Gandensis sub Ludovico Maleano fuerunt funditus destructæ.

Districtus Tiletanus.

Situm est etiam in Tileto Dominium prisci nominis, *vander Mersch* appellatum, quod à Curia Tiletana movetur; *Curia* vero *Tiletana* feudum nobile est & antiquum, in clientela Principis positum, à familia Gruthusia, quondam possessum fuit, tenuerunt illud quoque dynastæ Gaverani ceu Egmondani, alia dein serie ad Gameragium Comitem Ioannis Richardoti Præsidis nominatissimi filium *Gulielmum* pervenit. Continetur & Dominium de *Claerhout* sub curia Tiletana in fide ac clientela Comitis Flandriæ & Castello ejus Corturiacensi possidetur.

Portio hæc Castellaniæ Corturiacensis, quæ Districtus Tiletanus dicitur, ab Harlebecano tribunali diversum accepit Balivum, ex quo oppidum ipsum Tiletanum privilegiis Harlebecensibus per Comites est donatum. Complectitur autem pagos, qui sequuntur:

Ruyslede Hospitalario equitum Melitensium per Balduinum Comitem assignatis prædiis instructa, dominia continet *Maelstapele & Audegoet*.

Wacquen, est amœnum, & incolarum frequentia celebre municipium, quod opportuno fluvioli Manderæ Lizam augentis decursu irrigatur. Habet prata, lucos, & arborum plantaria, aspectu jucunda, agros omni fruge fœcundos. Arcem quoque splendidam ac domum. Nundinas diebus Martis habet hoc municipium unaquaque hebdomade, ad quas concursus non infrequens à Tileto, Iseghemio, Cortraco, Anglomonasterio, totaque illa vicinia. Distat Cortraco tribus, Gandavo quinque plus minus milliaribus.

bus. Fuit autem dynastia hujus loci, ut in aliis Flandriæ fere omnibus contigit, possessa à familiis variis, nunc vero pertinet ad familiam de Burgundia.

Muelebeke, ad Deveram torrentem Manderæ elicem late patens, Dominos habuit jam dudum è gentilibus *de Beer* utriusque justitiæ compotes, & prætorium non contemnendum possidentes.

Pitthem, antiquitate sua nobilis pagus, nec sacris minus, quam profanis titulis clarus; dignitatem enim Baroniæ, & amplissima privilegia obtinuerunt Claerhoutii nobilissimæ gentis propago; à quibus ad Noyelliam stirpem devenit, in qua possidetur hodie.

Zuevezele, à Suevis indubie nomen retinuit, priscis Flandriæ habitatoribus, quos fere Normannica rabies, iis ob cladem alibi acceptam admodum infesta, excîdit. Celebris pagus est in Territorio Corturiacensi. Habuit vero pagus de Zuevezele eosdem olim dominos cum Wingena vicina.

Winghene, pagus est amplissimæ magnitudinis; quanquam non ubique gleba sit uberior, nobilis etiam titulo Baroniæ, quem modo possidet familia de *Haveskercke*. Præter varios census annuos & jura proventuum, habet hæc Toparchia, quæ à curia Tiletana movetur, triplicem justitiam.

Intra limites *Winghenenses* situm est non obscuri nominis dominium, vulgo *de Poelvoorde* vocitatum; movetur à Castello Corturiacensi feudum sub virga Tiletana. hodieque possidet illud vir nobilis Petrus Adornius, qui & prætorium suum hic habet & jurisdictionem, ad bis mille terrenarum mensuras se protendentem.

Intra limites etiam parœciæ de Winghene, & extra eos se protendit dominium ac feudum de *Bulscamp*, vulgo *Wildenburch*, quod sub virga Tiletana movetur à Castello seu curia feudali Corturiacensi, possessum à ducentis & amplius annis à nobili *familia Wytsiorum*; maximo Flandriæ adjacet myriceto, quod *Bulscampvelt* appellatur, habet circumcirca sylvas, ac vivaria carpionibus alendis cumprimis opportuna. Locus solitudine sua placet, ac quamvis sterilior, frugifer tamen reddi poterit, si, qui vincit omnia, improbus accedat labor, & humana industria. Potitur triplice justitia præfatum dominium.

Eedeghem, à ducentis & amplius annis fuit in familia nobili *de Grisperre*, quæ cum primis apud Corturiacenses clara fuit. Ante turbas non inelegante prætorio ornatum fuit, quod nuper Toparchus instauravit.

Caneghem, in pago Menapisco situm fuit. Ad sexcenta terræ bonaria protenditur.

Poucques, Dominium titulo Baronatus celebre, & cognomentum gentis olim nobilissimæ: duo hic autem sunt in vulgo observata, alterum in re sacra, alterum in publica; cum enim pagus hic late patens rivulo, seu torrente cingatur, & viarum ambages solerent olim esse impeditiores, potestatem factam ajunt domino circa Principis familiam occupato, agros passim incidendi, iterque rectum Gandam, Brugas, Cortracum ducendi. Vnde in hodiernum diem remanet nomen viarum Poucquensium. Similiter cum in pagi medio decrevissent incolæ parœciam ædificare, saxa cæmentaque ajunt noctu divinitus translata in eum locum, ubi postea, nutui divino acquiescentes, ecclesiam struxerunt, choris lateralibus non ita pridem per Baronem adjectis. Et remanet priori loco vocabulum *Kerkvelt*, id est, agri templaris. Fuisse autem hic olim arcem fortem, atque munitam, patet è variis Flandrorum historiis.

Aerzele, pagus in edito & amœno loco situs, unde prospectus in vicina patet, dono Gruthusiorum pridem Bodelonensis Abbatiæ peculium. qui tamen alteram dominii partem reservantes, eam Comiti Egmondano obligaverant, recentiori memoria vindicatam per Richardotum præsidem, & possessam à præsidis filio Lembecano Barone; ad nongenta vero terræ bonaria amplitudo pagi se extendit.

Gotthem, nescio quid Gothicum nomine redolet, castrum illic à Gothis excitatum circa annum 484 contra Vandalos Gandavum tenentes, ait Adolphus Pamelius Gotheni Dominus: quadringenta hic pagus bonaria complectitur.

Oeselghem, trecenta terræ bonaria conficit: vetus Gruteriorum dynastia fuit, nunc Lanckhalsiorum.

Roosbeke, circa Tiletum ad Manderam pagus nongenta complectitur terræ bonaria.

Wouterghem, dominio temporali potitur Flandriæ Comes. Pagus universim ad trecenta quadraginta terræ bonaria protenditur. In eo dominium seu *curia de Ryckagen*, quæ movetur à Castello de Nivelle.

Wilsbeque, pagus amœnus, non procul à Legia situs, sub dominatu temporali Baronis Anglomonasteriensis. Continet 400 terræ bonaria; prætorium illic visitur non inelegans Domini de la Douvie.

Vivia S. Bavonis, alius à Vivia S. Eligii, pagus etiam ad Legiam situs, loco cumprimis per æstatem amœno: 500 continet bonaria, etiam sub dominatu Baronis Anglomonasteriensis.

Markeghem, Wacquenio adjacet, pagus etiam amœnitate loci commendabilis: possidetur hodie à filio Domini Baronis *de Iumoigne*. Situm hic dominium *de le Hoye*. Quo nomine antiqua floruit apud Flandros familia.

Donsa, hoc oppidum olim vocabatur etymo mihi hactenus ignoto, nunc Deinsa. In diplomate autem Theodorici Elsatii Comitis, præcipui, quod arbitror, Donzanarum libertatum propagatoris, disertis verbis Castrum & Villa Donza nominatur, additurque ob demerita Bertulphi Stratensis, Præpositi D. Donatiani, & Castellani de Petengehem, villam ejus de Petengehem omni honore privatam, ejusque privilegia Donzam translata, ut sit deinceps particula villæ de Donza, quæ fuerat domina fluminis & campi: Datum an. 1152. Ex eoque tempore, quicquid intra libertatem Castri Petengehemensis fuerat, jurisdictioni Donzanæ accessit, remanetque in hodiernum diem unum utriusque loci Scabinagium, & Tribunal. Anno 1316 desiit dominos peculiares habere, & cœpit Comitibus Flandrorum subjici. Robertus enim Bethunius quinque millibus librarum Parisicarum illud emerat à Waleramo Luxem-

Luxemburgico Ligniaci Comite, ejuſque uxore Guyotta Caſtellana Inſulenſi, hac uſufructui ſuo dotali coram eccleſiæ Officiali ſolenniter renuntiante. Et mos invaluit inde, quotannis ſeptemviros cum Quæſtore, à Legatis Principum creari, ad juris Iuſtitiæque adminiſtrationem. Erat porro oppidum perelegans, trecentis facile domibus habitatum, cum in luctuoſa hac Belgicæ laceratione, ſæpius occupatum, ſpoliatum, incenſum, & tantum non ſolo eſt æquatum. Nec integrum facile caput attollere deinceps, etſi animo contra adverſitates magno nitantur, publica privataque priſtino nitori reſtituere. 1625 Rex Catholicus Philippus Quartus ob præclara herois illius in Remp. merita, donavit illud domino Didaco de Mexia, & in titulum Marchionatus ſublimavit. Quem titulo emptionis jam poſſidet Baro de Duffele ex familia Merodiorum.

Diſtrictus Donſanus. Ad diſtrictum, ſive, ut nunc loquimur, Virgam Donzanam ſpectant pagi ſex, qui fuerant antiquitus clientelares & ſubſidiarii arcis Petengemianæ, præter Grammetum Tranſlizanum. Habebat quidem Donza, à quatuor ſæculis obnoxios ſibi pagos aliquot, ad ſiniſtram fluminis ripam, hodieque conſpicuos, ſed neſcio quo fato aut bellorum viciſſitudine hi tranſierint in jus Tiletanorum, à quorum curia, hodieque gentiles de Beer, dominium prætoriumque ſuum Grammenſe videntur relevare.

Primum Gandavo venientibus occurrit *Aſtene*, paſcuis & aquarum defluxibus gaudens, nec ſylvula, erica, aut virgultis carens.

Wallebeke, dominium juxta Aſtene ſitum, poſſeſſum nuper fuit à Toparcho Trunchinienſi è gente Cottreilia, ad quem jure connubiali devenerat. Prætorium habet non contemnendum, & plantaria arborum peramœna, ad aquilonem ejus loci fluit Legia, ultra illum adjacentibus pratis & Caſtello Oydonck ſplendido, ad Baronem Nevelanum ſpectante.

Peteghem forenſe, vulgò *Buyten*, à Balivo Senatum accipiens, & in agros fertiles latè ſe extendens, ubi decimas, amplaque latifundia poſſident Cœnobitæ Trunchinienſes dono Philippi Elſatii Comitis. Pagus vero ad trecenta bonaria terræ protenditur, quæ ſecundum uſitatam Flandris metiendi rationem, nongentas menſuras conficiunt: unaquæque autem menſura tres lineas, ſingulæ autem lineæ centum virgas, & unaquæque virga pedes quatuordecim conficit. Locus hic venientibus Cortraco Gandavum hoſpitia grata, & laſſis in via quietem præbere ſolet.

Machelen, in ſacris paret hoſpitalariis Aldenardenſibus: in foro nuper Middelburgenſem Frentziaci Baronem ex Merodiis agnovit, à qua familia tranſiit in Vilanam à Gandavo.

Olſene, pagus ad quartum ab urbe Gandavo lapidem ſitus, arcem habet, & plantaria, & loca venationi cumprimis idonea, in liberum Allodium à Lanckhalſiis Flandriæ nobilibus dudum poſſeſſus.

Zulte, Caſtellum habet, & ante illud plantaria longe exquiſitiſſima. Pagus ſexcenta terræ bonaria complectitur.

Grammene, Hujus loci Dominio temporali potitur Baro de Poucques: amplitudo pagi patet ad ducenta quinquaginta bonaria. In eo feudum Gentis *Gruteriæ* vulgo *het Hof ter Wiericx*, quod à Domino de Grammene teneri ſolebat, nunc à Toparcho de Lendele è familia Beriana.

Meenina vulgo Meenen. Collimitium, hic bilinguis Flandriæ Liza medio, & pontem ſublicium excipiente, quo aurigæ currus mercibus onuſtos dirigere ſueti, quod *Meenen* nobis, minare Romanis dicitur, videntur loco nomen communicaſſe. Legia, ſive *Leia*, vel *Liſa* pleno tumidior alveo gyrabundus duo oppidi latera alluit, peculiari quodam fundi genio ad cereviſiæ præſtantiſſimæ coctionem accommodus; quod experiuntur illi, qui littus oppido proximum habitantes, eodemque è flumine aquam haurientes, diverſi interim ab urbano ſaporis potum conficiunt. Et hinc factum, ut præcipua circa coctoriam hanc civium extiterit opulentia, & opera, expetito tota Flandria, Arteſia, Hannoniaque à gulonibus hoc liquore: & Principes prudentium patrumfamilias ad inſtar, ſingulis membris ſua velut munia, & emolumenta partituri, hanc plebejæ negotiationis velut ſummam Meniniis confirmarunt, poteſtate facta liberè cereviſias quocunque inferendi, nec (quod aliæ Comitatus urbes pendunt, ratione cereviſiarum) foras efferendarum molagium exſolvendi anno 1590, & poſtea.

Fluminis benignitati terra nequaquam cedit, caponum impinguatione ſolita commendari, quo reſpicit diſtichon è popinis tranſcriptum:

Quos ſitis atque fames cruciat, properate Meninas,
Qui capiat capus eſt, Cereris vis, quæ capiatur.

Textrina etiam, & imprimis ſtapula filariorum hic eſſe ſolet copioſo quæſtu. Cum autem oppidum hoc cum 13 pagis vicinis unam Cortracenſis Caſtellaniæ virgam faciat, & in, & cum ea conferat, pagos intereſt ſubjungere:

Diſtrictus Meninenſis. Quorum primarius tituli merito *Iſegemium*, caſtro, nundinis, halla, pannificii celebritate, fluvii commoditate, municipum induſtria, terreni fœcunditate, curia feudali nobile. Et ſolet olim inter Barones & Pares caſtri Cortracenſis dynaſta hujus loci conſidere: eccleſia etiamnum elegans præambulo horario olim inſigni, pronao fornicibus non carente. Hujus Comitatus Dominus eſt è familia Villani à Gandavo.

Heule, Iſeghemio ſuccedit Baronatus titulo nobilis, qui agri & Iuriſdictionis amplitudine intra limites oppidi Viroviacenſis latè procurrit, ratione dominii *de Weſthoven*; patriciatu Caſtri Corturiacenſis, & dominorum titulis etiam inclaruit; Baronatus autem hic prætorio ornatus eleganti tandem devolutus eſt ad Lidekerkios, à quibus hodie poſſidetur.

Dadizele, memoratiſſimus per Flandriam in Caſtellania Corturiacenſi locus eſt, etiam privilegio Principum, & antiquorum diplomatum appellatione, oppidi prærogativam conſecutus. Suis etiam olim vallis cinctus fuit, habuitque domum Senatoriam, ac portas tres, quibus claudebatur, magna incolarum frequentiâ, & opificum officinis ac diverſoriis inſtructus; cum enim via regia ſitus ſit, duobus ab Ipra milliaribus cum dimidio, totidemque à Cortraco, quæ ab occiduo

ciduo Flandriæ tractu Cortracum, Gandavum, Antwerpiam, Bruxellas ac Mechliniam ducit, & nunc, & olim magis hospitibus excipiendis, adventantibus refocillandis, idonea loca habuit. à meridie ad unam leucam adjacet illi Menina, castro etiam ornatur, quod ad Toparchum spectat, Ecclesiæ vicino, & dominio peramplæ jurisdictionis, quod ad annum 1364 fuit in familia Rasseghemiorum: Toparchus quoque de Dadizele par est Castelli Corturiacensis. Ad Toparchiam autem loci quod attinet, feudum est antiquum ac nobile, quod à Castello Corturiacensi, & Flandriæ Comite movetur, ipsumque sub se varias habet clientelas, ac feuda alia.

Lendelede, spectat hujus dominium ad familiam *de Beer* in Flandris nobilem & vetustam.

Tempelmar, & Cathem.

Gheluwe, in hoc pago situm dominium *de Thrioles.*

Morsele grandi leuca distat à Corturiaco, campos habet patentes & amœnos, arcem quoque perantiquam, at nunc semidirutam: nobilis olim familiæ *vander Grachtiorum* residentia fuit.

Guleghem.

Emelghem, dominio hujus loci potitur Comes Iseghemius è familia Gandavensi.

Tredecim parœciæ. Regiuncula, sive Virga tredecim parœciarum inter Legiæ & Scaldis defluxum latè patens, complectitur inprimis agrum suburbanum parœciæ Corturiacensis, Abbatia & hæreditate Groningana Cistercienfis instituti, & variis tam latifundiis quam dominatibus ornatum. Notandum venationem & aucupium ad Principis vicarium magnum, Corturiacensem prætorem & Castellanum hic pertinere.

Ad ripas Legiæ visitur, longo tractu Halewinium usque, *Marca* ob fundatam Cistercienfis instituti Abbatiam anno 1238 per Ioannam & Agnetem filias Walteri Rodeburgici, sed anno 1285 in præurbium Cortracense translatam, nobilis.

Lauwa, distans vix una à Corturiaco leuca ad Legiam fluvium, in familia ejusdem olim nominis Dynastia fuit, quæ à Lauwiis ad Ghistellanos, ab his ad Halewinios, ab Halewyniis denique ad Croyos pervenit.

Rollegemium quoque & *Reckenium* pronuper Halewyniorum, in propinquo splendide dominantium fuit. nunc hoc *Henniniorum de la Vallee.*

Introrsum hic in Mediterraneis est *Aelbeca* Dominium *Vlienderbecanorum.*

Cæterum eminet hoc tractu, & Castro, & pascuis & Ecclesiâ *Moscronium*, belli tempore præsidio militari instructum, & munitum satis. Erat quidem antiquitus alio loco arx munitissima in medio Sylvæ, quam adhuc hodie, *Bois de la Chastelenie* vocant, forma quadrata, fossis duplicibus, & propugnaculo sylvis dominante, sacelloque (translato in modernum Castrum) non carens, cujus fundamenta & rudera hodie conspiciuntur, possidetur à familia Lidekerkana.

Adjacet Moscronio *Herseaux*, olim illustris familiæ de Corturiaco avita possessio, cum insigni feudorum copia ad Bernagios devoluta; nuper per nuptias *Margaretæ de Bernaige* possidebatur à *Federico de Marselaer* equite, Viro Consulari Bruxellensi, stemmate & literis nobili. Habent & particulares aliquot Toparchi suas hic dominationes, ut Moscroniensem, Lespinettam, Oultrepræam, Blandiniensem, Buysam, alias alii.

Ottinacum, vulgo *Ottigny*, in hoc etiam tractu conspicitur.

Versus Scaldim *Spira* jacet, Baronatus titulo, à familia Ogniaca possidetur.

Belleghemium, rudera veteris Castri monstrat & Prætorium, antiquamque S. Amandi Ecclesiam, olim *Costeriorum*, nuper *Hertoghiorum*, Dominatio.

Coyghem gentilium de *Esclaibes* Toparchia, ante *Gaesbecæ Hornanorum naturalium*, hoc titulo Parium Castri Corturiacensis. Antiquitus autem Corturiacensium fuit. qui servato quidem symbolo suæ originis, cognomentum hoc à Dominio induerunt, & inter Patricios Corturiacensis oppidi claruerunt. Præter dominium autem principale, amplo proventu, & plantariis arborum, patronatuque Ecclesiæ D. Bartholomæo inscriptæ & feudis triginta octo ornatum: habent suas ibidem curias Baro de Pecques & Dominus de Scardauwe. Atque hæ quidem sunt tredecim parœciæ nulli oppido subjacentes; etsi lubenter crederem, olim Viroviaco subcensitas fuisse, eo maximè, quod inter Pares Castri Corturiacensis, Dynasta Viroviaci nominetur.

FLANDRIÆ TEVTONICÆ PARS OCCIDENTALIOR.



Landria Occidentalis pars est Flandriæ Teutonicæ, ita dicta, ad differentiam Flandriæ Orientalioris. Illius limites à Septentrione sunt littora maris Flandrici, ab Occidente Galliæ & Artesiæ pars: ab Oriente Flandria Orientalis, à Meridie Flandria Gallicana. Qua parte litoralis est, & Oceano objicitur, Duynkerkam & Grevelingam habet, in mediterraneis urbes sunt, oppida, & pagi nobiliores, *Ypra, Winociberga, Vurna, Borburgum, Casletum, Mesena, Menena*, aliaque loca. *Duynkerka* condita est circa annum 966, à Comite Balduino, Arnulphi filio. Distat Gravelinga tribus, & Caletio sex, Neoportu vero quinque, Brugis duodecim leucis. A templo *Dunorum*, qui arenacei colles vocantur, nomen acquisivit, portum habet faucibus angustis, & objectis pulvillis, ceu areolis, navibus formidolosum. Celebris nuperis bellis erat urbs piratica, quam in Fœderatorum naves Galliam, Angliam ac Mare mediterraneum, etiam Septentrionales regiones petentes, exercebant. Templum habet, edita turri insigne, ex qua candicantes Angliæ circa Douvram montes, cœlo sereno, clare conspiciuntur: tum altare amplum, altum, ex marmore variegato, lapide Lydio, & alabastrite constructum. Est & hic cœnobium Franciscanum sexus utriusvis, Xenodochiumque. In ipso littore arcem proximis annis exstruxit Archidux, ad tutelam navium, quæ littora inter & maris brevia stationem fidam ac securam inveniunt. Portum obsidere solebant navibus pluribus bellicis Fœderati, ut hostilium navium excursum impediant, sed irrito sæpius conatu, Duynkerkanis nocte intempesta ac interluniorum tempore, ac ventorum captata opportunitate elabentibus. Quare sola Zelandorum ac Batavorum miseria ac damnis crevit, viguitque: nunc belli jure Angliæ Regis dicto paret. *Gravelinga* mari imminet, adjacetque flumini Agnionæ, medio fere itinere inter Caletum & Duynkerkam: fuit olim urbs quantivis precii, & portu amplissimo famosa, sed destructa non semel dirutaque à Normannis. Condita creditur à Theodorico Alsatio circa annum 1160, in pago D. Willebrordi, firmataque à Carolo V anno 1528 arce valida, & Flandriæ impendio, propugnaculis perpetuoque præsidio munita. Portum jam habet angustum prolixumque, in quem Agniona fluvius oppidum fere lambens exoneratur, vulgo *Aa*, aliis *Romera*, qui in pago Rumillyo agri Boloniensis tenuiter ortus per Vresecum, Fasquumque repens, perluit fossas arcis Rentyæ, & Falcobergam: semperque torrentium societate augescens, & Arkas, & S. Audomari fanum ingrediens, in mare ad Gravelingam exit. Auxit hujus loci celebritatem insignis conflictus anno 1558, quo Thermus Galliæ Mareschalcus, exercitusque legatus, auspiciis Philippi potentissimi regis, diligentia & fortitudine Lamoralli Egmondani Comitis victus captusque fuit. Distat Duynkerka & Caletio pari fere trium leucarum spacio, ab Alosto plusquam triginta milliaribus. *Iperæ*, ex quorundam scriptorum sententia, nomen sumserunt ab Hyperboro, celebri quodam militum Duce, ex Anglia oriundo; sed rectius ii censent, qui ab Iperi flumine urbem interluente nomen profectum existimant. Primus oppidi conditor, ut tradit Maffæus, Balduinus fuit, Arnulphi Comitis filius, circa annum salutis 960. Dissidet Brugis novem, Gandavo circiter tredecim leucis, estque oppidum non tam mœnibus aliisve ab arte munitionibus quam situ & loco firmissimum, ut quod non una de causa castris locandis sit iniquum, & ægre queat obsideri; cætera lautum, pulchrum, & amœnum, & sic satis etiam opulentum, ædificia ejus proba satis, etsi ob lignea frontispicia parum splendida. Templa, cœnobiaque habet veneranda, & primarium quidem D. Martino sacrum, ac destinatum Cathedræ Episcopali. Iactatur vulgo fundum hujus oppidi esse ex plumbo, idque ob multitudinem inibi tuborum, seu fistularum plumbo ductilium, fluvialibus aliisque aquis per singulas fere domos, & opportuna quæque urbis loca dispensandis. Forum, quod vulgo vocant, *de Heerenplaetse*, Iperis longe amplissimum ac mirabile, ita ut nulli in Belgio foro cedat. In eo sunt *Halæ*, quas vocant, id est receptaculum illud lanificum, vetus sane & pulchrum ædificium. Texitur Iperis ingens vis pannorum ex lana, item subserica, vulgo *Sajæ & sajettæ*, aliæque id genus merces, unde vigent hic sic satis mercimonia, & præsertim in anniversario illo, & quadragesimali urbis mercatu. Præter solenne & ordinarium Magistratus urbani tribunal, est & illud quod *Curiam Iprensem*, vulgo *de Sale van Iperen* vocant, cujus Iurisdictionem agnoscunt septem *Castellaniæ*, quarum unica illa, quam Casletanam appellant, quatuor & viginti, ut minimum, sub se habet fora, seu conventus juridicos. Iperæ tertium Flandriæ membrum constituunt, & Vicecomitatus dignitate illustres sunt. Magna est hujus urbis jurisdictio, magnumque imperium. Ager ei circumjectus totius

Termini. *Duynkerka.* *Gravelinga.* *Iperæ.*


MARIS GERMANICI PARS.
Numeri sunt notæ orgyiarum profunditatis maris.
PARS FLANDRIÆ TEVTONICÆ OCCIDENTALIOR.
Amsterdami Exc. Guiljelmus et Iohannes Blaeu.
Mensura unius milliaris.
TERRE D'OYE
BORBORGH AMBACHT.
BERGEN AMBACHT.
FUERNE AMBACHT.
CASSEL AMBACHT.
BELLE AMBACHT.
CASSELRYE VAN YPEREN.
T LANDT VAN DEN VRYE.
ARTESIÆ PARS.
ANDENTHUNT.
Duynkercke
Nieuport
Wynoxberge
Honscoten
Borborch
Dixmuyde
Ypren
Cassel
Belle
Armentiers
Meerene
Rouselare
Omar
Aria
Merville
Lilers
Calais

12

totius Flandriæ Teutonicæ præſtantiſſimus, fertiliſſimuſque, incolæ denique probi, civiles, & pacis magis, quam belli amantes.

Winoci-Berga.

Winoci-Berga, ſive Berga S. Winoci, nomen habet à prænobili quodam cœnobio, in honorem D. Winoci Angli, apud iſtos defuncti, à Balduino Barbato, vel ut alii volunt, Balduino Inſulano, in monte quodam exſtructo, & in oppidum tandem converſo. Diſtat Duynkerka uno milliari, Iperis vero ſeptem milliarium intervallo. Habet Vicecomitatum & *Caſtellaniam*, ut vocant, plurimis pagis imperantem. Ager oppido circumjectus mirifice fertilis. Texuntur & hic multi ſatis panni. Verum vaſtata bellis Flandria hæc opificia una cum opificibus magnam partem in Hollandiam tranſmigravere. Anno 1558 miſere afflicta fuit, Gallis eam deprædantibus, & exurentibus. Celebris eſt Burggraviatu, annuis menſe Octobri nundinis frequentatiſſimis, illuſtrique olim ingreſſu & conventu Eduardi Tertii, Anglorum regis, ejuſque uxoris ac filiæ Iſabellæ, anno 1346, ubi hanc Ludovico Malano ambitioſe, ſed fruſtra deſpondit. Aperuere hic ludum literarium, maximamque lucubrationum ſuarum partem hic compoſuere viri doctiſſimi, Iohannes Deſpauterius, Paulus Leopardus, Petrus Curtius, editis doctrinæ monumentis noti.

Caſtellania ejus.

Caſtellania ejus fœcunda eſt pecoris, butyrique ſapidiſſimi, frugum, arborumque tam pomiferarum, quam lignationi aptarum copioſa parens. Pagos continet triginta tres, interque eos *Houtkerckam*, *Wormhoutum*, *Herzelam*, cum *Eclesbeca*, *Honſchota*. Inter *Vxemum* & *Houthemum* pagos lacus eſt ab æſtu maris natus, quem *Mouram* vocant, qui in magnum & parvum diſtinguitur, ac ſeptem milliaria ambitu complexus piſcium eſt copioſiſſimus.

Vurna.

Vurna diſtat Duynkercka quatuor, Dixmuda tribus leucis, oppidum ſatis concinnum, & Vicecomitatus dignitate conſpicuum. Perluitur aquagio ab Oriente in Occidentem, turribus ac repagulis clatratis aditum, exitumque hinc inde tuentibus: cui ædes aſſident cum conclavi, quod Delphini dicitur, in quibus Rex Ludovicus Vndecimus, cum Delphinatium adhuc princeps apud Philippum Bonum aleretur, vixit.

Burburgum.

Burburgum Grevelinga unius milliaris ſpacio abit. Oppidulum ſane amœnum in ditione Ducis Vindocinenſis. A Gallis aliquando rapinis, cæde, flammis vaſtatum fuit, poſtea reſtauratum.

Caſtellania ejus.

Ejus Caſtellania pagos quatuordecim continet, in iiſque *Cranewicum*, *Loonum*, *Drinchamum*, *Holkis*.

Caſletum.

Quod vero oppidum Flandri *Caſſele*, Latine ſcribentes *Caſletum* vocant, id antiquis dictum fuit Caſtellum. Inſidet autem præalto monti, & Winociberga, Morinoque pari fere quatuor leucarum intervallo abjungitur. Fuit olim & ipſum oppidum valde potens; ſed, ut rerum eunt vices, in graviſſimas ſæpe calamitates incidit, ut prorſus vilis ac humilis ejus fuerit conditio. A Gallis direptum anno 1329, & 1385, poſtea ab incolis fuit inſtauratum, ita tamen ut ruinæ murorum veterem miſeriam ac fortunam teſtentur.

Caſtellania ejus.

Caſtellania ejus pagos quinquaginta duos comprehendit, in quibus cenſetur, *Haveskerka*, *Watenum*, *Steenvorda*, *Mourbeca* & *Runſchura*, *Noortberkina*, *Pleſſietum*, *Vletera*, *Peena*, *Bolleſela*. Cujus peculiarem delineationem & deſcriptionem inferius exhibeo. *Meſſina* Iperis & Bella æquali duarum leucarum intervallo abjungitur, oppidum ſatis lautum, lanificii ſtudiis victitans, optimo, ampliſſimoque feminarum cœnobio nobile, cujus Antiſtes femina, temporali & Eccleſiaſtica fungitur poteſtate. Nominis originem ex antiqua traditione referunt ad tres puellas, quas vernacule *Meiſſen* nuncupamus, eximia pietate & caſtimonia ibidem celebres, ſub Balduino Lilano. Huic natales debet Iacobus Cruquius literarum humaniorum Brugæ profeſſor, qui Commentarios in Horatium ſcripſit.

Menena.

Menena eſt ad flumen Liſam, urbecula ſane mediocris, foſſa & verſatili contra ſubitos hoſtium incurſus ponte firmata, imo & extra ordinem poſtea validis propugnaculis munita. Confici & hic ſolebant plurimi variorum generum panni, qui in varias Europæ partes diſtrahebantur.

Hondiſcota.

Hondiſcota triangulari adſpectu intuetur Winocibergam, Vurnam & Loam, quibus omnibus pari fere duorum milliarium ſpacio diſſidet.

Mardica.

Mardica eſt locus maritimus, medio inter Duynkerkam & Gravelingam itinere.

Poperinga.

Poperinga Iperis quidem duabus, Caſleto vero tribus leucis abjungitur.

Bella.

Bella diſtat Poperinga duarum, Iperis trium leucarum itinere, ubi natus Mejerus hiſtoriographus Flandriæ.

Comminium.

Comminium adſidet Liſæ, pagus arce ſatis egregia conſpicuus.

Viroviacum.

Viroviacum, Flandrice *Warwyck*, medio eſt inter Meſſinam Menenamque itinere. Caſtellanias pagorum & toparchiarum deſcriptiones breviuſculas ordine exhibebimus.

CASTELLANIA CASLETENSIS.



A Minariaco, quod vulgo Stegriam nuncupamus, Castellania hæc, sive Territorium & Ambachtum alio nomine Casletanum, in longum se protendit usque Watanum, & nobilissimam Flandriæ portionem complectitur. Ditio tota amœna est & aprica, collibus exsurgens, vallibus irrigua, præ cæteris etiam locis Flandriæ oppidis ac Castellis instructa, nobiliumque virorum ab omni ævo habitatione ac frequentia celebris. De ea sic Meyerus: *Ejus*, inquit, (nempe Castelli Morinorum antiqui, quod Casletum) *late patent fines, ac Iurisdictio vicis ac pagis celebris. Ager omnis cum primis optimi fertilis tritici, equis, armentis, gregibus locuples, lino abundans, nemoribus atque arbustis suavissimis consitus, torrentibus ac rivulis lætus, haud paucis amœnus pascuis, variisque pomorum generibus plenus.* Mera profecto Tempe, etiam Thessaliæ delitias (ita totus ille tractus eum lustrantibus arridet) superantia.

Soli qualitas.

Populus humanus, hospitalis, cultus, pulcer, pius, dives, ferox, strenuus, fortisque pro patria, parcus, providus, sollicitus, industrius, catus. Ita Meyerus. Latius olim ditio ista patuit: *Sub Castellanorum item Imperio*, inquit præfatus auctor, *fuisse credimus omnem oram maritimam, ubi nunc Burburgus, Gravelinga, Bergiacum, Dunkerka, cum Mardycciaco veteri portu ruinis collapso, ortis non procul novis portubus Dunkerka & Gravelinga.* Nunc vero Territorium hoc, extra oppida, & Toparchias, divisum in octo tribunalia, vulgo **Vierschaeren**/ (in quibus etsi aliquorum locorum quidam Domini audiant, absolutum tamen jus Toparchiæ non habent, sed id Principi debetur;) quæ singula in civilibus caussis suos agnoscentia scabinos, in criminalibus curiam feudalem Castelli reverentur. Qua de re, sicut & de cætera Iurisdictione & auctoritate amplissimâ ejusdem curiæ Casletanæ, quæ per viros plerunque nobilissimos administratur, liber legum municipalium per Flandriæ Principem approbatarum, copiosè tractat.

Incolæ.

Castellaniæ divisio.

Porro hoc apud Casletanos in more jam positum, (constitutione Principum Alberti & Isabellæ ad annum 1610.) ut quotannis antequam Magistratus innovetur; per eum, qui nunc officio fungitur, Magistratum designentur viginti quatuor, quatuordecim videlicet viri nobiles, aliique decem honoratæ & ingenuæ conditionis homines, è quibus omnibus seligit ipse Princeps duodecim, septem videlicet nobiles & alios quinque inferioris sortis, eosque arcis ac ditionis Casletanæ constituit Iudices. Cum alto justiciario à Principe item constituto, ex iis semper locis, quæ alta justiciâ potiuntur, ut sunt Moerbeque, Thienes, Steegers, Boeseghem, Watene, Nieuwerleet, Ochtizele, Haveskerke. Qui hoc veteri titulo insigniuntur; Baillivus, Nobiles Vasalli, ac homines feudales Castelli, & curiæ de Casleto.

Magistratus.

Vt pleraque Flandriæ oppida & Castella aliaque celebriora loca suos olim Castellanos habuere, viros maximæ auctoritatis, & à Principe primos, aliquâ etiam hæreditarios atque perpetuos, ita etiam Casletum, non illi tantum oppido, sed & ditioni toti, sub Flandriæ tamen Comite, imperitantes. Non modicam porro huic Castellaniæ partem adjunxit Guido Dampetra Flandriæ Comes, cum ad annum 1286 omnem illam portionem Castellaniæ Audomarensis, quam sub limitibus Flandria complectebatur, quæque in fide ac clientela Flandrorum Comitum erat, emit ab illustri equite *Waltero à S. Audomaro* Domino de Moerbeke: accesserunt enim hinc ditioni, cum juribus ac emolumentis suis Tribunalia vulgo *Vierschaeren*, de Steenvoort, de Aesbrouck, de Stapels, de Ruyschuere, de Broxele, de Segerscappel, de Mauronti villa, cum liberis quibusdam allodiis in Blaringhem, ubi Walterus tertia parte mulctarum, & aliis quibusdam proventibus fortuito natis gaudebat. Pretium emptionis hujus ipse Comes super Teloneo Casletensi annuè securum reddidit; illoque summam non præbente, alia sui Comitatus bona solutioni obnoxia esse voluit.

Loca autem quæ universim Castellaniæ huic subjecta recenset innovatus sub Carolo Principe, ad annum 1517, in urbe Teneramunda Provincialis census; nominantur:

Loca subjecta.

Oppidum Casletum. **De quade Straete.**

Hospites Comitis in Oudezele, Hospites fratrum de Peene.

Hospites Comitis in Hillewaertscapelle, vulgo **Silvestercappel.**

Hillewaertscapelle cum Dominio Hornano in eadem parœcia S. Mariæ Capelle. Hospites Comitis, Hospites Sancti Petri.

Hospites Domini de Caestre.

Oxelare, Ryssele. Zuytpeene. Hospites Comitis.

Hospites Præpositi Brugensis.

Hospites Comitis in Peene, Hospites familiæ de Halewyn in Peene, & Ochtizeele benoorden Peene. Hospites Præpositi de Watene, Hospites Abbatissæ in Burburch & Sancti Wael in Ochtizele.

Ochtizele. Hospites domini de Peene, Hospites familiæ de Zuytpeene.


Wenemaerscapelle, nunc Blaeucappel, Hospites Comitis, Hospites Præpositi Watenensis.

Arneke Cassel Ambacht.

Zermizele Hospites Comitis, & Præpositturæ Brugensis.

Hardefort. Steenvoorde Hospites de Rivelde, Harinchove, Ekelsbeke & Laurentiorum.

Steenvorde, Hospites familiæ olim vanden Brycke Toparchi



DITIO CASLETANA IN COMITATU FLANDRIÆ vulgo Cassel Ambacht.
Septentrio
BERGEN AMBACHT
BROUCK BURGH AMBACHT
thoff van Cassele
VUEREN AMBACHT
PARS ARTESIÆ
Occidens
CASSELE
Steenvoorde
Poperinge
Waetene
S.OMER
BELLE AMBACHT
Belle
WAESTEN AMBACHT
Oriens
Hazebrouck
ARMENTIERES
CHASTELLENIE DE L'ISLE
Pays de L'Alloeue
Merghem
Steegers
La Gorgue
S.Venant
AYRE
PARTIE D'ARTOIS
BETHUNE
ILLUSTRISSIMO VIRO
D. LAMORALDO DE HORNES
VICECOMITI FURNENSI
SUMMO CASLETENSIUM PRÆTORI
NOBILISSIMIS ITEM AC AMPLISSIMIS D.
VASSALLIS CÆTERISQUE
CURIÆ AC DITIONIS CASLETANÆ
MODERATORIBUS. D.D.
Anthonius Sanderus.
Vedastus du Plouich invenit et fecit.
Amstelodami
Sumtibus Henrici Hondy.
Meridies
Scala Virgarum Flandricarum
800
1600
2400
3200
A
1
2
B
Linea A.B. comprehendit duarum horarum iter
C
D
Linea C.D. quadragesima pars est virgæ Flandricæ.

parchi de Steenvoorde , cum Dominio Abbatiæ Meßinensis quæ olim contribuere solebant cum Haesbroeck,Hondeghem & Waelscappelle.

Westoultre Cassel Ambacht.

Winezele , Godevaerts Velde.

Boescepe Cassel Ambacht.

Hazebrouch cum Hospitibus Domini de Waelscappele in eadem Parœcia hospites Abbatis S. Bertini. Hospites item familiæ de la Tour Domini de Briaerde. Tenantia de Haesbrouck.

Hondeghem. Waelscapple hospites Comitis, Hospites familiæ à S. Odomaro Domini de Waelscapple , Hospitales Domini de Caestre & Cornhuyse.

Ebbleghem , Zerkele, Staple, Bavinchove. Bavingahova Malebranco in tabula Morinorum.

Lederzele Hospites Comitis. Hospites familiæ olim de Ongnies , Hospites Præpositur æ S. Audomari , Bonigain, Moerkinne, & Nieuwerleedt.

Volkerinchove hospites Comitis, Hospites Præpositi Watenensis.

Rubrouck Hospites Comitis , hospites Præpositi Brugensis, hospites Præpositi Watenensis. Sagittarii Andomarenses hospites D. de Peene , hospites familiæ olim Paulinæ in Rubrouck.

Zegerscappele, Bollizele, Hospites Comitis, hospites Præpositi Brugensis.

Buuschuere, Tannay in Buuschuere.

Watene , Wulverdinghe, Markinghem hospites familiæ olim de Ongnies.

Terdeghem , Hospites de Montigny, item familiæ quondam de Overbeke, & van Hove.

Vleterne, Hospites S. Ioannis olim ad muros Teroanæ

Strazeele , Borre, Pradeels , Noortberkin hospites Domini de Berkin , hospites de Plesßiet , hospites de Coudeschuere , hospites de Oudenhove , hospites olim Hectoris vanden Schage. Tenantia in eadem parœcia hospites de Droogenhaute , hospites de Molleghem, in antiquiore censu vocati hospites Salamonis.

Zuudberkin Stegers, hospites Domini de Steegers.

Hospites familiæ de Waterleet in Steegers , & de Tarwelande.

Haveskercke , Moerbeke, Tenantia in Moerbeke.

Thiennes, Steenbeke, Tenantia in Steenbeke.

Boeseghem met Wydebrouck,Blarighem,hospites Domini de Crevecœur , hospites de Oudefort in Blarighem. Linde.

Oppidum , Mauronti villa, vulgo Merreghem. Sart in parœcia de Mereghem , Robertmez in eadem Parœcia. Hactenus liber censualis.

Casletum urbs.

In editissimo Flandriæ Occidentalis monte positum Casletum , amœnissimæ , & uberrimæ regiunculæ caput est; quam si videas, Tempe, & aprica Thessaliæ non immerito vocitabis. Arx antiqua , & huic monti imposita. præcipuum olim munimen , ac propugnaculum Flandriæ fuit , contra Gallos præsertim , ac alios Provinciæ hostes. Vnde nomen retinent Casletenses, dicunturque Teutonicè *Voorvechters :* nam primas Flandrorum acies sæpe duxerunt , & Galliæ Regem cum exercitu profligarunt , & frequentes Gallorum impetus primi sustinuerunt. Magna,& potens admodum urbs indubiè aliquando futura erat, si vicissim ipsa, graves ac frequentes Martis , & Vulcani injurias passa non fuisset. ac novissime quidem ipso D. Hieronymi festo ad annum 1631 magnam partem fortuito igne conflagravit ; è cineribus tamen illis amplior jam resurgit urbs ista , atque formosior. Castellum autem vel à Romanis conditum , vel antea per ipsos Morinos tutandis limitibus suis exstructum & à Romanis occupatum , præsidiisque suis firmatum, à Iulio Cæsare præsertim, qui victos à se Belgarum populos, Morinos præcipue hic agentes , in officio hac ratione continere poterat.

Cassel Ambacht.

Primum Tribunalium ab urbe nominis capiens differentiam, parœcias undecim (quas propriè *Cassel Ambacht* vocant) complectitur. Quarum prima ad medium diem in crepidine montis occurrit , *Oxelaria* , Castri veteris fundamenta ostentans , & latifundia Abbatiæ Bertinensis, aut verius Arkensis Comitatus , ad præfatos Bertinenses spectantis. Toparchia hæc partim movetur à curia feudali Casletana , partim à Dynasta de Moerbeke. Proxima Oxelariæ sunt fana Mariæ vulgo *Mariecappel*, & Silvestri vulgo *Silvestercappel* , olim *Weinaertscappel.* Partim Principis nunc , partim gentis Hornanæ, in hoc etiam tractu potentis, & opulentæ, peculia.

Non procul hinc visitur Terdeghemium, vulgo *Terdeghem.* Possessum olim dominium hoc asserit Gramajus à gentilibus de Ballioeul. Nunc ab Hanneroniis in fide ac clientela curiæ feudalis Casletanæ. Proprium hujus Toparchiæ de Terdeghem peculium consistit in centum & quatuordecim terræ mensuris , cujus auctoritas non solum intra parœciæ hujus limites , sed procurrens ultra Steenvordiam , extendit se non solum in parœciam de Winezele , sed in pagum etiam de Noort-Berquin ad tres leucas à Terdeghemio ; olim arcem habuit , & juxta vivarium cum mola aquatica , quæ bellis initio sæculi decimiquinti perierunt. Habet tamen modernus Toparchus prætorium aliud juxta ædem parœciæ situm , elegans ac opportunum.Intra limites parœciæ de Terdeghem protendit se quoque dominium de *Moebeke* gentis Immelotiæ , quod nominatim nuper possidebatur à *Georgio Immelot* equite , moveturque à curia & Castello Casletensi. Iustitiam administrat in eo prætor cum scabinis quinque, Scriba, & satellite.Fundus Dominii Principalis ad trecentas , ut ajunt , terræ mensuras se extendit, habetque sub se alia minoris nominis feuda , duo item dominia , quorum primum dicitur *vander Scaghen* , alterum *de Montignii* , peculium toparchi Terdeghemiensis , quæ omnia variis modis obnoxia sunt toparchiæ huic de Moebeke , & annue sua onera pendunt , & cum in iis aliquid ad alios emptione transiit , jura debita persolvit.

Ad *Arneken* jam venio , pagum hunc primo lapide à Casleto distantem via Broucburgensi Latine *Renticam* vocant. Hic amœnitatem , & agros uberes, cæteraque naturæ beneficia spectare est. Pluribus nunc pagus hic paret domicellis , & inter alios Canonicis S. Petri apud Casletum dominis ditionis Angestanæ, imo Comitibus Arnekanis. Habet hic prætorium suum *Ioannes Laurentius* Dominus de Palfart.

Hardifort à munitione Harduini Comitis Palatini sub Carolo Principe , hic olim pagus nuncupatus fuit, agrum habet fertilem , & nunc etiam domicilium demonstrat , ac dominium *de Lacquoy* ad gentem spectans *de Briarde.*

Oudezeele nomen à veteribus Saliis comminiscitur

tur hic Gramajus, & Semiis, nescio quibus argumentis inductus. Dictus locus de *Oudizele* familiam habuit sibi cognominem, à qua transiit ad gentem de *Plateel*, & ab his ad Briardios: à Briardiis emerunt eum Monachi Gulielmitæ; sed ante nuperos motus cum vendidissent *Ægidio de Courtewyle* præfecto Neoportuensi, ejusque filia *Francisca* nuptui data esset *Claudio d'Ausque*, tandem ad *Ioannem* Claudii filium, virum manu strenuum devenit. Ecclesiæ de Oudezeele patronatum habet Abbatissa de Blendecques.

Zermezele, Personatus quondam fuit ecclesiæ Morinensis, & nunc illius hæredum.

Peene, vetus illustris familiæ de Halewyn dynastia, quæ eo, quod domini à Gallorum regibus ad Marchionalem & Ducalem evecti sint dignitatem, Marchionatus titulo ornata habetur. Castrum pro modulo veteris ævi etiam splendidum habet ac munitum, aucupiumque ac venationem non incommodam.

Zuytpeene, ad differentiam alterius pagi, qui huic ad aquilonem positus. Peculium olim gentis hujus nominis ab Audomarensibus Castellanis ortæ, à quibus per connubium venit ad Iacobum de Massiet, Dominum de la Busche.

Wenemaerscappel, pagus ab Heroë fundatore dictus, ut Gramajo placet.

Quadestrate, nomen habere videtur à viarum difficultate, hybernis tempestatibus vix accessum præbente. Ab hoc loco sive Dominio familia olim fuit cognomen habens.

Godevaertsveldt, *Godsvelde* per syncopen vocant. Castellum hic visitur domini *de Wames* dicti d'Assignies, cujus ex parte locus ipse peculium. Loco nomen esse arbitrantur quidam à Godoaldo quodam Duce Cattorum, qui prælium hic commisit, *Godoalsvelt*.

Eecke, pagus hic ex parte ad Casletanos spectat, ad Belliolanos alioquin pertinens.

Westoutre, pro parte etiam ditionis Casletanæ, aliàs ad Belliolanos spectans. Prætorium habet, quod cum Toparchia modo possidet *Familia de Polinchove*.

Winezele, pagus est amœnus, protensæque magnitudinis, ac venationi commodus, patentes enim habet campos, ac colles atque declivia. Ad Toparchiam autem de Winzele quod attinet, possidet illam modo familia *de Averoult*, cujus merita in Remp. Flandriæ magna, & decora plurima sunt. Illustria cumprimis fuere eidem genti cum aliis familiis connubia. In quibus conjugium cum filia Ducis Britanniæ antiquum & eminens, unde Armoricæ Britanniæ insignibus scutum *Gentis de Averoult* etiam decoratur. Intra limites parochiæ de Winezele situm est Dominium de *Cornhuyse*, habetque prætorem ac scabinos, justitiæ mediæ ac imæ compotes, ac possidetur modo à familia ejusdem nominis de *Cornhuyse*, qui non procul inde in Oudezele splendidam domum habet.

Boescepe, pagus in acclivi montium situs loco peramœno.

Vleteren, partim etiam ditions Balliolanæ pagus, possidetur à familia *Vignacourtiorum* nobilissima.

Secundum Tribunal. Secundum Tribunal ad ortum *Steenvoordiam* Belgica-

continet, nobilem & oppidi instar dynastiam; gentilium *van Belle* pronuper, nunc *de Viesville* nobilissimæ gentis. Intra cujus ambitum Prioratus est, aut melius appendix commendariæ Castrensis equitum Melitensium titulo S. Laurentii, & Hospitalarium à virginibus religiosis procuratum.

Intra limites Steenvordiæ situm est nobile; priscumque dominium familiæ *de Courtewyle*, vulgo *Oudenhoven*. Distat hæc toparchia quadrante milliaris ab ecclesia de Steenvoorde, extenditque se late per parœcias de Steenvoorde, Watou & Godsvelde, limitanea viæ regiæ, quæ de Poperinga Audomaropolim, & Ipras ducit, non procul à sylva de *Beauvoorde*. Præcipuum toparchiæ peculium consistit in centum & quinquaginta mensuris terræ, quæ prata, pascua, arva & sylvas complectitur, habetque clientelas fiduciarias, & feuda non pauca. Porro intra limites ejusdem Steenvordiæ situm dominium de *Eekebeke* gentis Hondegemiæ. quod in fide ac clientela tenetur Comitis Flandriæ sub ejus curia feudali Belliolana. Habet Scabinos quinque, & Iustitiam, ut vocant, mediam, & imam, cum proventibus annuis.

Tertium Tribunal. Sub tertio Casletanæ ditionis tribunali constituitur *Hondeghemium*, Latine Canis villam vocant, Gallice *Kienville*, Teutonice *Hondeghem*. quæ gentis à Casleto dictæ olim, dominatio fuit. Agrum habet fertilem, & pascua læta. Fuit autem dominium hujus loci primitus in familia ejusdem nominis de Hondeghem, postea in familia Iprensi, à quibus partim in familiam S. Aldegundis, & ab hac dotalitio jure transiit ad Rentiacos, à quibus emptione illud partim etiam nuper possedit vir Nobilis *Philippus de Orosco* eques, supremus Bergensium prætor.

Situm in Hondigemio *Dominium de Briarde*, quod possidetur modo à familia *de la Tour*. Sub hoc etiam tertio Tribunali constituitur *Waloncapella* vulgo *Walscappel*, quæ prætorium monstrat Domini de Eeuchoute gentis *de la Bourre*.

Hazenbrouck. Complectitur & tertium hoc ditionis Casletanæ tribunal *suburbanum Hazebroucanum*, ab *Hazebrouca* celebri municipio denominatum. Est autem *Hazebrouca* pulcrum ac populosum in occidua Flandria municipium, jura & privilegia ac nomen oppidi habens, cum jurisdictione propria ac singulari. Situm est in loco fere palustri. Famam textrina linearum telarum, & pannificio, olim opes commoditate rivi effossi, & in Legiam ducti per Niepensse nemus accepit. Præter omnia oppidorum privilegia, gaudet Senatu septemvirali, lege peculiari, mensura & nundinatione propria: Collegiis sagittariorum & Rhetorum populo per opificia, diviso, nisi bellis civilibus afflictum fuisset optimo cuivis non injuria comparandum.

Sylva Niepensis. Tangit Hazebrouca sylvam *Niepensem* totius Flandriæ maximam, atque amœnissimam. in hac Niepa & Borra torrentes Lizam augentes piscationi, prata agrique adjacentes aucupio, nemus autem hoc venationi insignem præbet commoditatem. Arx ibi regia, ampla, & valida; ubi domicilium suum habet quæstor regius. Arx proventus habet opulentos, quam coluerunt, &

ædificiis adornarunt, Robertus Casletanus, Mathildis Philippi Elsatii, & Isabella Philippi Boni viduæ, ac primi opus est fossatum exterius, cum turri antiqua, sicut successorum alia, quæ circa arcem, & in ea Iolentidis à Flandria Comitissæ Barensis opus est Horologium, Campana annum præferente. Castellanus huic loco datur à Principe, sive Gubernator, idemque totius territorii censetur Venator, & nomine Comitis interest rationum redditioni, & jure supremo Quæsturam obtinet totius sylvæ appendices quinque habentis: Mottam videlicet castro instructam, Niepam sacello reclusorio, Pradellam, Borram, & S. Mauronti villam, vulgo *Merreghem*. Præfuerunt autem nomine Principis huic Castro, ac sylvæ Niepensi varii Proceres, tam Belgæ, quam Burgundi.

Pradelles, Dominio de Pradelles olim potita fuit familia ejusdem nominis, ut videre est in archivis Cameræ Insulensis; nunc eo potitur è familia *de Ghistelles Dominus de Zwylande*.

Borra, Patet ex iis fuisse ab hoc loco dictam nobilem olim familiam.

Vleteren, Ornatur castro, gentis Vignacourtiæ itidem dominio. à familia autem *du Boys* sive *van Houte* putatur ædificatum, quod inibi visitur, Castellum forte, ac munitum: Pagus habet arva & prata magnam partem ad Toparchum spectantia, & juxta montem Cattorum, juxta quem fontes. Tribus distat à Casleto leucis, ab Ipra quatuor, ab Hazebrouca duabus, à Balliolo totidem.

Zuytberkin, pagus Plissiaco prætorio, nec uno loco ornatus Gribovalliorum latifundiis, qui nuper tamen cum Baronatu Haveskerkano accessit Comitatui Minariacensi, vulgo *Steegers*. Ab hoc pago nomen adepta floruit nuper familia Berquinorum.

Noortberkin, fors idem cum eo quod in rescriptis Teroanensibus vocatur *Vetusberquinum*.

Volckerinchove.

Atque hæc quidem sunt illa Tribunalia, quæ ut nullo mediante Flandriæ Principem summæ Iurisdictionis compotem agnoscunt, sic alia suis Toparchis, qui Vasalli sunt Principis, parent. Majores autem inter illos sunt Iusticiarii, ac primi Principis Vasalli, Comes, olim dominus de Steegers sive Minariacensis, qui & Baro de Haveskercke; alter dominus de Waten; Comes item de Moerbeke, nunc Marchio. dominus de Ochtizele, qui nunc Toparchus de Staple, è familia de Massiet. Denique dominus de Thiennes. Cætera ad Valvassinos spectant, qui omnes in casu reformationis judiciorum civilium ac feudalium in curia feudali Casletana sortiuntur. Superest ut de aliis quibusdam hac in Castellania locis, aliquid etiam in medium proferamus, in iis primum occurrit

Ochtizele.

Mourbeke, ad occidentem sylvæ Niepensis conspicitur, sacris ac profanis titulis illustris toparchia, ædificiis ac munitionibus, castro splendido & eleganti instructa. Iuxta hoc horti, plantaria, aliæque delitiæ, ac loci ornamenta, privilegiis, prætorio suorum toparcharum, ac generosa stirpe, captoque in acie apud Pictones Ioanne Gallorum Rege, Anglis victoribus insignis. Antiqua hereditas est illustris familiæ à S. Audomaro. ad Comitatus vero apicem à Philippo II, ad Marchionatus autem à Philippo IV Rege evecta est, ab hac S. Audomari familia jure successionis ad Montmorancios devenit. Ager hic lætus est omnium fructuum genere, inprimis cerasorum exuberans, pascuis etiam laudatus, adeo ut coagulum lactis, ut vocant, Moerbecani palato sapidissimum, vasis inclusum, non in vicinas provincias modo, sed in ipsam etiam deferatur Hispaniam. Sunt, qui pago huic à Morinis nomen indant, *Moerbeka*, quasi *Morinorumbeka*; neque sine causa: cum, ubi nunc Tervana, Aria, Bononia, vel Gessoriacum navale, Iccius portus, Audomari fanum, Ardea, Gravelinga, Castellum Morinorum, hoc est Casletum, cæteraque his contermina loca, olim Morini occuparint.

Haveskercke, veterem Baronatum inter Casletana dominia vocat Marchantius. Pagus est ad Legiam situs, clari nominis & amœnus.

Merville.

Maurontivilla, in ditione Casletana eam pono, quia alias eidem subcenseri solebat; nunc avulsa, nescio an suo bono, privatum quid in Flandria oneribus tribuit, vulgo *Merreghen* vocant, Gallice *Merville*. Olim *Menderghem* & *Menreghen* quoque dicebatur: Municipium vero locum hunc vocant, quia libertatem, Senatum, nundinas, forum, leges, & pannificii quæstuosam nundinationem habet, hinc sylvæ, illinc Legiæ commoditatibus gaudens, & è vicino aspiciens *Belliprati Abbatiam* virginalem Ord. Cisterciensis inter Gorgæ Legiæque decursus. Ecclesiam parochialem divo Petro sacram condidit D. Mauronrus, & variis beneficiis auxit. Totum enim territorii Mervillense, cujus erat Toparcha, assignavit in dotem monasterii sub titulo S. Petri à se ædificati, cujus Ecclesia modo est parochialis. Monasterium autem mutatum in Collegium Canonicorum titulo S. Amati in oppido Duacensi.

Strazele, pagus, Comarchum habuit nuper Ludovicum Boddens. Nunc *Conradum* ejus filium Patricium Consularem Brugis habet. Fuit ab hoc etiam loco nominata apud Flandros nobilis olim familia.

Thienes, versus Legiam, & ad medium diem Sylvæ Niepensis situs est pagus, & clari quoque nominis Toparchia, cujus dominium olim habuit familia illa Ariensis, quæ ex Cominiis venit.

Steenbeke, Nobilis & antiqua apud Casletanos toparchia, castrum habet, nuper *Marchionis de Bonnivet*, ex gente de Cordes, & Crevecœur, & late se extendit, amœnoque situ, & ampla jurisdictione. Quam nunc possidet *Comes de Rexem* ex familia *de Linden*. Castrum vero inhabitat *Dominus de Zwylande* ex familia *de Ghistelles*, circa quod amœnæ plantationes arborum, & horti, non procul ab Ecclesia, quæ turrim plumbo tectam habet. Pagus campos patentes & arvos, in quo etiam dominium *de Groenendaele* & *Berkin*, etiam in Thiennes sese protendens, familiæ nunc *de Breemeersch*. Fuisse autem perantiquam & nobilem ab hoc loco familiam, varia nos Principum ac cœnobiorum rescripta docent. Et inprimis

signat

signat litteras Philippi Elsatii, ad annum 1170, *Simon de Steenbeka*.

Boesinghem, Abbatiæ S. Petri in monte Blandinio juxta Gandavum hæreditas, ac peculium ab Arnulfo Marchione Flandrorum *cum Banno & Camba* donatum, aut restitutum. Pagus est ad primum fere ab Aria lapidem situs, campos habet patentes, & acclives, unde latissimus & amœnus in Artesiam prospectus. Sed hæc de toparchiis quibusdam, monente situ earum, quasi extra ordinem dixisse sat habens, ad Tribunalia Casleti redeo.

4. Casleti tribunal. Quartum itaque Tribunal hujus ditionis, constituit *Stapele*, quæ stabulationis mercium, ut loquitur Gramajus, referre videtur memoriam: nuper hanc & Bavinchoviam suis adscripsit titulis *Dionysius de Massiet*, Eques, V. N. Ad toparchiam hujus loci quod attinet, fuit etiam in Gente nominis ejusdem.

Bavinchove, ab antiquo possessore, ut Gramajo videtur, nomen habens. Dominium fuit, teste Espinojo, familiæ quondam ejusdem nominis, postea in Gentem de Briarde succedens. Notandum vero & huic loco memorabile, quod illic castra sua præcipue fixerat, & hospitium habebat Francorum Rex, cum ad annum 1071 à Roberto Frisone superatus fuit.

5. Casleti tribunal. Quintum Tribunal sola facit Ruyschuria, vulgo *Ruuschuere*, nuper dominio & castro familiæ Moerbekanæ, nunc Montmorantiæ clara. Habet in vicinia Abbatiam virginum Ordinis Cisterciensis, quam Desertum vocant, vulgo *Woestyne*, à Claro Marisco dependentem. Cæterum Ruyschuere quasi *Rutschuere*, & alia quædam his similia deducit *à Ruthenis* (quos maritima præsertim Flandriæ incoluisse olim non ambigitur) Adolphus Pamelius in manusc. sua Flandriæ Comitum Genealogia. Castellum hic prævalidum & forte, olim contra Francos munitum.

6. Casleti tribunal. Sextum efficiunt Tribunal *Zercle*. Pagus in rescriptis Teroannensibus *Sarcus* vocatur, & personatus fuit olim Episcopi, & Ecclesia ad præsentationem personæ loci spectat.

Ebbelghem, dominium & feudum, quod tenetur à Castello sive Curia Casletana per ducentos & amplius annos: à veteri & illustri stirpe *de Steenbeke* possessum fuit, cum aliis latifundiis ac dominiis in eadem Castellania, & juxta sitis, ut sunt Pradelles, dominium & Castellum de Pane, Nielles in Steenbeke, & alia.

Linden, à Tilia nomen, etiam in rescriptis Teroanensibus, aliisque diplomatis indutus, pagus est ad novam fossam situs. ejus dominium in gente ejusdem appellationis etiam olim fuit. Vt in plerisque Flandriæ locis contigit. Potitur eo Toparchus, qui nuper *D. Franciscus de Mamez*, Iprensis Ecclesiæ Canonicus, hic alta, media, imaque justitia, Magistratumque ibi cum septem scabinis constituit, prætorem item & alios justitiæ administros. Ad eundem spectat Toparchia de Balques in eodem pago sita. Neque procul inde ad fossam eandem & Legiæ alveum conspicitur pagus de *Wintere*.

7. Casleti tribunal. Septimum conficit Tribunal *Fanum Sigeri*, vulgo *Zegerscappel*.

8. Tribunal. Octavum conficiunt Tribunal vulgo *de Westvierscaere*, pagi de *Rubrouck*, *Broxele*, *Volckerichove*, & *Lederzeele*.

Bollezele, Pagus nundinis annalibus circa Iulii mensem frequentatus: apud Bollezele cis paucos annos ab agricola fodiente repertus fuit cantharus ex alba terra, ingens, ore angusto, in quo duo millia numismatum includebantur, cum effigie, ac inscriptione posthumi in Gallia Cæsaris, à Lolliano devicti atque cæsi.

Blareghem, habet hoc in pago proventus annuos & decimam Collegium Morinensium Canonicorum ad Iprensem ecclesiam partim translatum.

Oubenfort, Prætorium Vignacurtiorum, nominatim domini de Fontaines.

Stegers Comitatus & oppidum. *Minariacum* non esse Vicum, qui hodierno die Mervilla dicitur, sed eo in loco fuisse, ubi nunc ex una parte Lisæ est Comitatus Stegrensis, ex altera finis Atrebatesii ad pontem Lisæ, qui nunc dicitur pons Stegrensis, notavit Hadrianus Scriecquius Senator Iprensis. Ad locum vero pontemque Stegrensem omnia sic concurrunt, ut non supersit dubitandi argumentum. Cum autem omnia hujus ævi rescripta conformiter *Eteram* vocent, annon Minariacum, quod à Romanis in Latinam terminationem detortum, haud dubie *Myn-ryck*, id est, regnum meum, sive mea terra, quomodo *Cortryck*, *Samryck*, *Werwyck* appellantur, significat, lapsu temporis in Latinæ originis vocem *meam terram*, & denique *Me-terram*, & tandem *Eterram* apud Doctos abierit, & inde ad vulgum pervenerit. Castellum à Dominis in supercilio Lisæ extructum est, non illo quidem loco, ubi hodiernum visitur, sed altero juxta Vrbem, ubi ædificiorum fundamenta subinde eruuntur. Præter Arcem autem fuisse etiam oppidum ornatu, armisque suis instructum, etsi verosimile sit, centum conjecturis persuadentibus; tamen clades bellorum, quæ Lisanum hunc tractum sæpiuscule afflixerunt, effecerunt, ut ante annum 1383, quo per Anglos Eterra tanta quanta erat in cineres redacta est, nihil litterarum repererim; & imo cogar ab illo anno hodiernæ Vrbis mendicare cunabula. Bellis Gallicis, post annum millesimum, quadringentesimum, cum domo Burgundica gliscentibus, solo æquatum per Teruanenses, deinceps non surrexit, dominis in interiora secedere malentibus, & florentis oppidi Eterrensis non dissimili commoditate delectatis. Itaque extructum Castrum hoc magnificum, validumque in crepidine fluminis, area, turribus, cœnaculorum & cubiculorum serie splendidum. *Nicolai* vero *Montmorancii* domini de Vendegies de consilio Status, & Præfecti ærario Principum Archiducum Belgii, meritis effectum est, ut anno 1611, Eterra in Comitatus dignitatem sit erecta.

Clarus Mariscus, vulgo *Clairmaretz*, celebre & antiquum Ordinis Cisterciensis ἀσκητήριον, (quanquam de situ loci, an in Flandriæ videlicet, vel Artesiæ solo positum sit, controversia adhuc inter Ordines utriusque Provinciæ, & sub Iudice lis agitetur) ad Castellaniam tamen Casletensem à Iacobo Marchantio in Flandriæ descriptione aliisque quibusdam reducitur. Cœnobium istud à paludibus, quibus undique cingitur, nomen induit.

induit. Porro in eodem Monaſterio perpulchrum eſt videre templum quadringentos pedes in longum, & octingentos infra cælaturam lapideam altum, tribus vitreorum ordinibus, centum ſeptuaginta feneſtris perlucidum, viginti altaribus ornatum, quale vix aliud in toto Ordine invenitur; inſigne Stephani Anglorum Regis unum, à quo non diſcordat refectorium & dormitorium.

Watanum fuiſſe promontorium portus Iccii, eleganter & erudite, in ſuo Iulii Cæſaris portu Iccio oſtendit Ioannes Iacobus Chifletius. Guicciardinus multa inibi antiquitatis monumenta effodi annotavit; ibique olim creditur fuiſſe pharus ex adverſo alterius in monte Dubrenſi poſitæ, cujus rudera admodum attenuata ſuperſunt. Vatenum montem undequaque priſca æſtuaria ambiebant, & exinde aura ſerena Britannia clare conſpicitur. Meyero præbet aſſenſum Gramajus, additque per Romanos redactis in poteſtatem Batavis, ſive reductis, ductam hanc eſſe Coloniam; nec vana fide, ut opinatur, aut conjectura. Illos enim, inquit idem, grandia patrare & pati, ſuperba, & ætatem, ſi non æternitatem ſerentia exſtruere opera ſuetos, uti his locis habitaſſe ex hiſtoriarum collatione, itinerum militarium delineatione, repertorum præcedenti ſæculo numiſmatum inſpectione, clarum evadit: ita nulli dubium eſſe poteſt cavernas, & cuniculos ſubterraneos montis, cui monaſterium inſidet, viarum item occultos meatus, & maxime ſpectabiles Caſtri veteris ruinas & fundamenta inſpicienti. Mons eſt, quem dixi, in extremis Caſletenſium finibus, qua Corum ſpectant, alto vertice, ejus radices legit fluvius Enula, in quo Toparchis Watanenſibus jus eſſe conſtituendi duodecim cygnorum paria anno milleſimo tricenteſimo nonageſimo ſeptimo pronuntiavit Philppus filius Regis Franciæ, Flandriæ Comes literis ad 6 Octobris datis. Cœnobium autem in eo authorem agnoſcit Robertum Friſium Flandriæ Comitem. Cœnobium ædificiis ſatis magnificum fuit, & Theodorici Elſatii tumulo eleganti honoratum. Ædificia jam ejus cum parte proventuum Patribus Societatis Ieſu Natione Anglis, & in Belgium aliaſque Europæ regiones Catholicæ Religionis cauſa profugis aſſignata ſunt. Illi hoc loco reſidentes, ut poſſunt, etiam in Flandria rem Catholicam juvant, ac pubem inprimis per varia Watano vicina loca, catecheſi Chriſtiana imbuunt. Toparchia porro municipii hujus à duobus ſæculis fuit gentilium de Eechoute. Ex quo tempore hæſit Watanum Oigniaco conjunctum, & cum eodem tranſiit ad illuſtriſſimam gentem Merodiam, ac poſſedit illud nuper Philippus Comes Middelburgenſis, ex peregrinatione Hieroſolymitana Eques ſancti Sepulcri; à quo cum filius ejus unicus improles obiiſſet, per filiæ natu majoris nuptias tranſiit id Iſeghemios Comites è ſtirpe Gandavenſi. Cæterum municipii hujus libertas prima à Roberto Comite, altera à Philippo provenit. Leges & Senatus, Reipublicæ forma, à Dominis triplicis juſtitiæ & aliorum jurium compotibus. Nundinas annales, cum nundinatione hebdomadali Carolus Quintus confirmavit. Contubernia terna militaria Ioannes Oigniacus formari, aut confirmari probavit. Cameras Rhetorum alter eodem nomine ſub annum milleſimum quingenteſimum primum, Pannificii decreta & immunitatem Philippus Dux corroboravit. Iuriſdictio ampla eſt, & ditio grata varietate montium, collium, agrorum, paſcuorum, ſylvularum, fluminis in Oceanum ducentis, molis adtractoriæ, qua naves ultra aggerem ſive repagulum ſiſtendo fluminis decurſui factum tranſportantur, piſcatione, aucupio, etiam venatione. Quæ omnia eo dynaſtis ſunt promptiora, quo major etiam extra Watanum, ratione Dominiorum de Merkeghem Wulverghem, Haveskercke, & Ammaniæ de *Noortvierſchaere*, eorum ſe extendit dominatio.

CASTELLANIA FVRNENSIS.



Vrna pulcrum & antiquum in occiduo Flandriæ tractu oppidum, suas per æstatem in vicinia habet amœnitates, inter meridiem præsertim, & occidentem, ubi prata, & juxta nemus; hieme accessu difficilis, aëre etiam duriusculo est. Olim mari vicina, quam ob rem & hodie Vicecomes Furnensis inter littorales Flandriæ Castellanos primatum obtinet. Stagnum (infidæ repulsi Oceani reliquiæ) urbi vicinum est, quod eam sua beat commoditate, terræ quam aëri gratius, aquagium suppeditans urbem interfluens, haud procul oppido se rivo permiscens, hinc Neoportum inde Duynkerkam tendenti. Vicecomes secundam post Principem hic dignitatem obtinet, qui Castellaniæ toti quam sago tam toga præest: Lidekerkii & Staveli proceres hanc possederunt, nunc Hornani potiuntur. Ioannes Dux anno 1410 Castellaniæ gubernandæ 19 constituit Senatores perpetuos cum duobus Consulibus, sed annuatim mutandis. Mutata porro hæc norma decreto anni 1481, cum pro voluntate etiam Senatores destitui, aut continuari posse sancitum. Quod licet certis intervallis violatum, perseverasse tamen censendum est, usque ad unionem, de qua paulo post. Succedit Balivi munus, & dignitas, qui tam urbi, quam territorio etiam nunc præest. Eam anno 1391, in actis Concordiæ per Francorum Legatos juste vocari Magnum Balivum invenio; præter quem porti Balivus est more alibi recepto. Olim à Principe solebat, nunc autem à dicto Magno Balivo constituitur. Senatores quondam duodecim, cum totidem è plebe juratis ab antiquo erant. His Ludovicus Comes abrogatis, illorum numerum ad novem reduxit. Sed per tumultum immutata hæc Senatus facies reductis sex Consiliariis. A tribus sæculis prærerant omnibus duo Consules, & communitatis alter, legis alter dicebatur, quos à Senatu quotannis legi solitos, docet Ioannis Ducis rescriptum anno 1411. mansit hæc tota ratio usque ad annum 1583, id est, primum reductæ per Parmensem civitatis, cum agi cœptum, & triennio sequenti unionis Castellaniæ cum oppido negotium, constituto mixtim ex civibus, & ruri agentibus Senatu viginti virorum, cum duobus Consulibus.

Castellania vero Furnensis flos & sumen Flandriæ nominetur; cui si pascuorum ubertate, & cæteris naturæ bonis, provincia tota responderet: vel ipso Cæsare Carolo V judice, immensis terrarum tractibus Indicisque gazis sola Flandria conferri posset. De hoc universim territorio vere dicetur: nihil illa plaga viridius. Pascuorum utilitas eam frugibus abstulit, (quanquam & in pluribus locis non infœcundus, neque sationi inidoneus ager sit) at vix alibi felicior in gramina terrarum luxuries. privatorum quoque fundos, de more patrio, perpetuæ fossæ, & pleræque in marginibus arbores sepiunt. De ejus Magistratibus & politica gubernatione, uti nos ante, quædam etiam Gramajus in descriptione oppidi attulit, qui & eandem Castellaniam terreni amplitudine & cultu, (pagos enim 42 complectitur) incolarum majestate & opulentia, (in censu enim Flandrico, quanquam variationem aliquam his temporibus census ille exigat, cum Cortracensibus Furnenses paria faciunt, aliisque Castellaniis anteferuntur) situs commoditate (Oceano enim alluitur, & fluviorum aliquot gaudet opportuno incursu) totius Flandriæ Francicæ, id est totius excepta Imperiali Transcaldana, primariam nec immerito facit. Illa præter Eversamii & Roesbrugii asceteria, Abbatiam complexa fuit Dunensem, quæ ob causas nuper Brugas translata (sicut & Roesbruganum cœnobium Ipras) aliqua adhuc istic sui vestigia, & religiosæ familiæ partem bono jure reliquit. Produxit Castellania Furnensis viros plures virtute ac eruditione celebres, interque alios *Adrianum vander Burch* Ic. Vltrajecti, & post Flandriæ præsidem, filiis, *Ioanne* Mechliniensis Senatus, & mox Sanctioris Concilii Præside, & *Lamberto* Vltrajecti ad D. Mariæ Decano nobilitatum. Produxit *Ioannem de Wilde* Ic. Senatus Furnensis Consiliarium; *Carolum Rotcasium*, *Ioannem Boudinium*: si urbem conjungas, *Petrum Mattardum* Præmonstratensis Ordinis Poëtam; *Petrum Wagenerum* ejusdem instituti, nuper edita S. Norberti vita Lyrica clarum; *Paulum Leopardum* Philologum doctissimum; *Ioannem de la Salle*, Theologum & Poëtam. Egit is Curionem in Tieldonck Brabantiæ, ceu Mechliniensis ditionis municipio, & scripsit hactenus metro confutationem Ioannæ Papissæ; *De laudibus item B. Virginis, ac juribus ejus & privilegiis*, de meritis denique bonorum operum, purgatorio, & traditionibus. De quibus suis locis plura. Cæterum cum antiquitus incolæ hujus Castellaniæ, sicut & aliorum locorum, Principi sic obligarentur, ut ejus fere arbitrium pro lege esset: paulatim quædam loca cœnobiis, quædam clientibus in beneficium data, quædam etiam exempta à communi servitute, veluti sunt emancipata, & sub Comitibus dominos, aut Comitis vicarios cœperunt agnoscere, & ab eis jus petere, justitiam exspectare. Quod ut commodius fieret, separata jurisdictione Vasallorum Francorum & liberorum, & Comitis, anno 1240, Thomas & Ioanna Comites, suos illos pagos, & eorum habitatores à servitute liberatos, voluerunt legem & Senatum habere, præscribentes eo fine statuta (quæ *Keuren*

CASTELLANIA FURNENSIS.

BERGEN AMBACHT.

CASLETENSIS CASTELLANIÆ PARS.

BELLE AMBACHT.

BELLE.

CASTELLANIÆ YPRENSIS PARS.

FRANCONATUS PARS.

GERMANICI MARIS PARS.

Wijnocxbergen

Hont Schote

Poperinghe

Veurne

Loo

Nieupoort

Yperen

Dixmuyden

Groote Moere

De Cleene Moere

100 200 400 600 800 1000 1200 1400

Mate van 1400 Roeden van 14 voeten in een Roede maeckende een Vlaemsche Myle.

non à curâ, sed à delectu mulctarum vocant) & Scabinos, quos *Keuriers*, postea *Keurheers* vocarunt, etsi nunc *Landhouders*, Consules præsertim, velut terræ conservatores malunt appellari. Auxit postea has constitutiones Ludovicus Comes anno 1332 Balfartum remittens, & concedens passim, vallis ad sex pedes altis, fossisque ad quadraginta pedes latis ædes contra quasvis injurias muniendi facultatem, definiensque anno 1323, *Ke les Francqs, & Vasalleries demeureroient francs, & quictes de tous cousts, frais, dons, chevanchees, & d'autre chose touchant la keure.* Itaque in aliis Principum precariis, in ditione Furnensi octo parochiæ liberæ, cum suis appendiciis, quas fissuras vocant, subsidiariæ sunt, penduntque non minus, quam quadrantem indictionum solvendarum à Castellania, & habent suum quæque tribunal.

Dominium Vrbis & Castellaniæ.

Castellaniæ Furnensis Dominus hodie est Rex Catholicus, tanquam Flandriæ Comes proprius, supremusque Dominus oppidi & Castellaniæ Furnensis, quæ quadraginta duas parœcias complectitur, quæ in Ammanias triginta octo dividuntur, supra parœcias octo ejusdem Castellaniæ, quæ cum aliis suis angulis, ramis, atque dominiis, aliisque minoris notæ toparchiis, quæ tanquam ad vasallos hujus Castellaniæ pertinent, cum eadem Castellania contribuunt, & subsidia publica luunt. Iisdem porro ammaniis discernitur per sequentes parœcias partitum:

Sub Tribunali Aquilonis, vulgo *Noortvierschare.*

Oostdunkercke
Ramscappelle cum parœcia
S. Georgii
Peruyse
Eggewaertscappelle
Auencappelle
Steenkercke
Lensele
Isenberge
Wulverghem
Houthem
Bulscamp
Adinckercke
Bewesterpoort
Sanctæ Walburgis cum Cauxyde.

Wulpen met de prochie van Boytshoucke Beoosterpoort cum *'s Heer Willem Cappelle.*

Sub Tribunali ad meridiem, vulgo *Zuutvierschare.*

Haringen
Prouene
Stavele
Crombeke
Westvleteren
Oostvleteren
Zeninghe
Beveren
Ghiverinchove
Hoghestade
Polinchove
Loo
Casekinkercke
Stuvekinskercke
Valkeravenkinderkercke
Rellemscappelle
Lampernesse
Zoutenay
Alveringhem cum Dominio S. Audomari, quod etiam se extendit in parœcias de Lampernesse, Polinchove, S. Rycquiers, & urbem de Loo.
S. Rycquiers
Oerem
Vinchem.

Octo autem illæ Parœciæ cum fissuris ac Dominiis, quæ pars sunt hujus Castellaniæ, & cum ea contribuunt, vocantur,

Elverdinghe
Vlamertinghe
Watou
Noortscote cum Poessele, ait liber Flandriæ censorius.
Zuytscote
Reningelst
Lokere
Oestene
't Vrye van Ryssele
Nieucapelle
Swynlandt in variis se parœciis extendens
't Vrye Decani & Capituli sancti Audomari in Alveringhem
't Hofland Capituli Casletensis, quod se extendit in Oost & Westvleteren.
Berkele alias Herkele
't Vrye Dominæ Messinensis in Elsendamme.
Dominium *vanden Oost ende Suytvierscare* in Crombeke & Stavele

Coppernolle in parœcia S. Ioannis apud Poperingam, Dominium Templariorum, dominium de Diephezele cœnobii Eversamensis in Crombeke. Liberum item allodium Dominæ olim de Ronny in Crombeke. Dominium de Couthove. 't Vryelaetscip in Reninghe, 't Hoflant ibidem.

Senatus autem hujus Castellaniæ quotannis innovatur per deputatos Principis, fiuntque Consules duo, & Scabini viginti, penes quos administratio legum, juris, ac Iustitiæ spectat per omnem jurisdictionis suæ limitem, tam in criminalibus quam civilibus caussis; penes eosdem potestas est condendi statuta tam antedictæ Iurisdictioni, quam politiæ convenientia, sub mulctis ac pœnis congruentibus, quas mutare, augere, minuere, ut res exigit, pro lubitu suo possunt. Penes eundem Magistratum potestas creandi & assumendi, iterumque exauctorandi Consiliarios suos, Scribas, clericos Cameræ ostiarios, nuntios, & alios, quorum consilio & obsequiis utuntur. Possunt & augere, eorumque numerum imminuere, prout Reip. expedire judicaverint, eorum item salaria & emolumenta. Præter alia multa ac notabilia jura ejusdem Magistratus, quæ consuetudinum liber fusius uberiusque declarat. Quotannis etiam omnes urbis ac Castellaniæ Furnensis rationes per Consules præfatos exhibentur ante nominatis Principis Commissariis, dum per eos Magistratum innovari contingit. Inter Tribunalia parœciarum liberarum primum occurrit

Watou, quod nomen habere à Batavis credit Gramajus, pagus est in tota Flandria amplissimus, & nescio an aliquis eo per circuitum major. Præter alia naturæ bona, habet amœnissima plantaria arborum, quas *Yepen* vocant sermone vernaculo. Illæ tota ditione, & ab Atrebatibus usque, ad varios usus expetuntur, at nusquam felicius quam hoc in solo crescunt. Habet Tribunal & Curiam, quæ privilegiis ac juribus suis gaudet; & dynastia olim eosdem cum Dixmuda dominos habere solita fuit, ab his autem & ante eos in variis familiis fuit, ac novissime in gente *de la Viesville*, à qua per nuptias partim transiit ad Ideghemiam. Toparchi summa gaudent jurisdictione, habentque aucupium, venationem, olores, & alia his similia jura, quæ summis à Principe locorum dominis competere solent. Fuerunt autem illi quondam numerati inter quatuor Casletanæ ditionis duellorum ac præliorum arbitros, vulgo *Crychwaenders.* Ob quod fortasse munus in hodiernum diem Toparchus de Watou Casletum usque rectum ac liberum iter habet, seu pedes illud, seu eques transire velit. Eum vero locum nuper titulo Comitis possedit vir generosus ac illustri stirpe natus dominus *Ioannes de Yedeghem*, eques ordinis S. Iacobi, Baro de Busbeque, Dominus de Wuse, Bost, Meere, Belle,

Belle, Courtewyle, & aliis in locis: qui locum hunc splendido etiam, ac cum primis augusto ædificio, non sine impensis Principe viro dignis exornavit. Fuit autem hæc Dynastia ad titulum Comitatus evecta sub moderni Comitis *Ioannis de Yedeghem* parente *Carolo de Yedeghem*, viro præstanti virtute, deque Iprensium cumprimis Republica optime merito. Situm est etiam in Watova *Dominium de Dovia*. Priscum & ibi dominium ac luculentum, quod à cognomine gentis *Cortewyliæ* appellatur, seu ipsum potius illi genti cognomentum dedit, cum amplis proventibus ac juribus, quæ possidentur modo à Comite Watovano. Habuit olim prætorium & domum lata fossa cinctam, juxta quam nuper quercus aliquot sunt visæ, densitate ac crassitie tam notandâ, ut similes totâ Flandriâ videri non possint. Ab hoc loco quoque amœnissimus ad montana prospectus, ad Oromansacos veteres, ad Cattorum montes, ad Castellum Morinorum.

Elverdinga ad primum ab Ipra lapidem pagus in Flandria antiquus; memoratur enim à Meyero in annalibus ad annum 804 *Laudo ab Elverdingem*, cum Testardo Boesingano, Vgone à *Longamarchia*, & aliis viris potentibus, quos nonnulli prædonum duces dixere. Hunc dominio loci potitum fuisse, non vane conjicias. Fuit autem ante duo sæcula & amplius, diuque post, hujus loci dynastia Gentilium *à Flandria* naturalium Comitis, inter quos eluxit circa annum domini 1544 *Ludovicus à Flandria* Prati & Woestynæ dominus, eques aurei velleris, ac scriptis etiam editis clarus. Eadem porro Toparchia ad Flandriæ Principes postea relapsa nuper oppignoratione devenit ad Dominum *Adrianum vander Burcht*. In hac quoque parœcia Præpositus de Vormizella, & equites Melitenses dono Gertrudis Comitissæ suis potiuntur juribus. & visitur Castri veteris (quod Principis aulam hodieque vocant) vestigium duplici fossa & aquis cinctum, unde conjicere licet, olim habitatum à Principe locum fuisse. Variis porro gaudet immunitatibus etiamnum ac privilegiis hujus loci Toparcha, moveturque feudum à Camera legali Flandriæ.

Non procul hinc situs ad orientalem plagam partim pagus de Boesinga, & *Noortscote* ab Adela Comitissa Abbatiæ Messinensi assignatus; pascua habet lætissima & arvorum uberem glebam. In eodem tractu visitur pagus de *Zuytscote*, (quod ad meridiem alterius situs est, cum eodem ejusdem fere præstantiæ, arvus & pascuus) eadem Adela Comitissa, Balduini Insulensis uxor, pagum hunc Messinensis Abbatiæ peculium esse voluit. *Reningelst* peculium gentis *Cortewyliæ* fuit, ac pronuper *Longoballiorum*, ab illis ad *Bultelios* venit. Quam ampla sit autem hujus Toparchiæ jurisdictio, vel inde patet, quod præter Senatum pagi, alia duo Tribunalia Castelli, quod majus ac minus appellant, complectatur; neque minoris momenti Dominium de la Clyte, quod cum omni justitia potitur; habet insuper facile centum & viginti feuda, quæ in ipsius fide, & clientela tenentur.

Woestene, pagus ultra Elverdingam media leuca situs, arvis ac sylvis consitus, eundem modo cum ea Dominum habet. Sunt illæ itaque sex de octo libertati vendicatis parœciis. Illis porro adjunguntur dominia quædam peculiari etiam quadam libertate fruentia, Capituli Insulensis in Casekercka & in vicino novæ Capellæ, parochia nuper ad gentem Montmorenciacam spectante. Item Ecclesiæ nuper, Audomarensis in Alvergem, Casletensis in Westvleteren, *Elzendamum* in Oostvleteren Abbatiæ Messinensis, *Crombeka* ad gentem Hornanam Gaesbeciam nuper spectans, *Swynlandia* ad Baronem Anglo-monasterii, *Coppernollia* ad Baronem nuper de Croisilles, denique *Reningen* ad gentem à Gandavo Isengemiam, eodemque in vico *Hoflandia* ad Octavianum nuper le Clercq prætorem Neoportuensem pertinens, prout Templariorum Dominia in Westvleteren, & Eversamiensium in antedicta Crombeca.

Lokeren, cognominis olim familiæ toparchia. Hæreditas hæc porro de Lokeren devoluta est ad familiam Betuniensem. A qua venit ad Hon-de-Scotanos, denique ad Hornanos, nisi qua se extendit Iurisdictio dominii de Canigem cum prætorio domini de Waterleet apud Minoriacum. Pagus est protensæ magnitudinis, montes habet sylvis consitos, & campos patentes mire per æstatem amœnos.

Vlamertinga, pagus ad primum ab Ipra lapidem situs, via silicibus strata, qua Poperingam, & ad alias plures civitates itur. Amœnus ac populosus, pascuus & arvus. Nunc ad cæteros hujus Castellaniæ pagos transeo, qui ad tribunalia vulgo *de Vierscharen* ante nominata referuntur.

In iis, qui meridionale agnoscunt tribunal, sunt *Beoosterpoort*, & *Bewesterpoort*. Sequitur mox *Oostdunkercke*, ita dictus quod ad orientem oppidi Dunkeckani situs sit. In quo prætorium elegantis formæ visitur *Domini de Crequy*. *Oyenkercke* ab aliis nomen habet *Adinkercke*.

Ramscappel.

S. Walburgis limes ad Furnam situs; in qua feudum vulgo *den Tourreul*, quod à Furnensi Burgo movetur, possessum modo à *Georgio Masin*.

S. Niclaes à D. Nicolao nomen adeptus.

Wulpen.

Leysele. Pagus est non procul ab Hondiscota situs.

Houthem, pagus obsessis per Margaretam Principem Blavotinis famam adeptus.

Isenberga, mons Isidis à Meyero in poëmatiis vocatur. Antiquitatem magnam habet. Fuit hoc in loco & etiamnum perseverat Gilda rhetorum vernaculorum.

Bulscamp, Bulsi campum vocat Gramajus. Inclaruit prælio inter Isengrinos, & rusticam multitudinem olim commisso.

Wulveringhem, Wolphardi domicilium ab eodem Gramajo vocitatum, & situs amœnitate, & opportunitate non contemnendum. spectant hic etiam pagi aliquot abs templis præcipue nominati. *Casekinskercke*: *Stevinskercke*: quem eundem quoque locum arbitror esse cum *Steenkercke*. Circa eundem tractum *Volkeravekinskercke*, & *Rellemscappel*, quod idem cum *Ramscappel*.

S. Catharinæ Cappella, sita est in dominio de Bercla spectante ad Dominos Canonicos S. Petri Casletensis.

Soutenay, locus ab omni hominum frequentatione remotiſſimus.

Wilhelmi Capella, ſita eſt in loco non minus ſolitario.

Boytshoucke, ſacra eſt D. Audomaro. Creditur olim obnoxia fuiſſe maris huc uſque reciprocantis æſtuariis; quare dictam volunt Boytshoucke, quaſi navigiorum parvorum, ſive ſcapharum quaſi angulum. Non poſſumus plura de minutis hiſce locis dare.

S. Georgii Eccleſiæ, Parœciæ antiquiſſimæ jus obtinet, etſi ejus maxima & præcipua pars ad aquilonem vergens, hodie vocetur *Nieulandt*, ſive nova terra, ob bonam ejus partem ab Oceano ante abſorptam, & modo oppoſitis aggeribus ab ejus inundationibus ac injuriis vindicatam. Toparchia ſpectat ad Abbatiſſam, quæ monialibus Benedictinis apud Broucburgum præficitur, quæ hic præter luculentos proventus, quos in annum percipit, Magiſtratum rerum civilium arbitrum creat, cauſſis criminalibus Furnenſi tribunali reſervatis.

S. Richiers, non inamœnus hoc in territorio pagus, ab Eccleſiæ patrono nomen habet; cura vero paſtoralis Everſamienſi cœnobio unita eſt, ad eamque Præpoſitus ejus loci aliquem è ſuis religioſum nominat. Quæ nunc ſunt in vicina Loa nundinæ, annales hic etiam olim fuiſſe putantur. Apud D. Richarium non inamœnas habet ædes N. Zanneka vir nobili loco natus, quas circumcirca cingit arboretum de quercubus aſpectu jucundum.

Lampernesſe, cui ab Oceani æſtuariis olim aſſerto loco Græcum nomen λαμπρὴ νῆσος, quod ſplendidam fertilemque Inſulam ſonat, permanere Gramajo placet, vocari in diplomate Dagoberti Regis *Lampas* putat *Ioannes Malebrancus*; palmam fert inter omnes hujus Caſtellaniæ pagos, atque adeo Flandriæ totius. Eſtque paſcuis maxime opimus, & phaſianorum, anſerum, cygnorum, anatum ferorum, ex borealibus terris huc advolantium fœcunditate celebris.

Oerne, ad primum ab oppido Furnenſi lapidem ſitus pagus.

Vinckem, Eccleſiam habet antiquitate ſpectabilem.

Reningen, Toparchia nunc poſſidetur à familia Gandavenſi Villana.

Alverghem, antiquis *Adelſringahem*, Locus eſt amplitudine templi, dominio, ſed nuper, Canonicorum Audomarenſium, prædiis & natali ſolo Iacobi Marchantii Patris, qui doctis commentariis Flandriam illuſtravit, & filii, qui Iuriſprudentia, facundia, & munere Senatoris Brabantiæ inclaruit, nobilis. Dominium quod iſtic Canonici Audomarenſes habuerunt, ante annos aliquot vendidere. Illud ſe in vicina quoque loca protendebat. Egregium juxta illam domicilium viſitur viri nobilis nuper *Franciſci de Wychuys*. Viſitur & ibidem prætorium non ignobile Toparchi de Beau-voorde.

Beveren, pagus amœnitate eximius, ab una ſui parte, qua meridiem ſpectat, prata habet cumprimis jucunda. Viſitur & illic arx admodum elegantis ſtructuræ. Iuxta illam arborum plantaria viſu jucundiſſima, & in ordinem concinnum diſpoſita, quibus per univerſam Flandriam nihil par. Arx cincta foſſis, juxtim horti & pomaria, quidquid denique oculos & mentem oblectare poſſit. Horreum & iſtic eſt, quo in tota etiam hac provincia nullum capacius.

Geverinchove, quam Geverici curiam Gramajus vocat, familiam ejus nominis olim non incelebrem apud noſtrates produxit.

Stavele, Illuſtris familiæ è Ducibus Britanniæ deſcendentis, & nuptiis Vicecomitatum Furnenſem, Dynaſtias Minariaci & Haveskerckæ conſecutæ, aliquando hæreditas & habitatio; à quibus ad Hornanos devenit, & poſſidetur hodie ab Illuſtriſſimo viro Lamoraldo de Hornes Vicecomite Furnenſi, & ejuſdem inſigni ornatur prætorio, qui (præter antiqua jura, quæ iſtic habet) alia nuper etiam à Rege Catholico acquiſivit, oppignoratitiâ ratione, ſicut & in Crombeke & Beveren.

Præpoſitura Everſamienſis Cœnobium eſt Canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini, quo vix ullum elegantius & amœniore loco ſitum Flandria adſpicit: limitibus pagi de Stavele continetur. habet in circuitu prata, & ab omni fere parte fluenta, hortos & plantaria mire jucunda, & in lineam diſpoſita, quibus addo ſylvas & lucos.

Crombeke, dominiis Vicecomitum Furnenſium non caret, in eoque ampla jura poſſident præſules Everſamienſes.

Hoochſtaede, perſonatus Eccleſiæ Everſamienſis curam eidem cœnobio incorporatam habens. Pagus maxima ſui parte arvus eſt, & ab altiore ſitu, ſi vicina reſpicias, nomen habere videtur.

Haringen, Diſtrictu parœciæ ſuæ complectitur vicum qui pons Roſardus dicitur, vulgo *Roeſbrugghe*. Vicus hic eſt habitatione & frequentia populi celebris. ſecat eum fluviolus juxtim ortus à torrentibus per declivia montium lapſis, prataque habet amœnitate & ubertate præſtantia. Fuit olim hujus loci Toparchia in familia Betunienſi, à qua tranſiit ad Caſtellanos Inſulenſes, inde ad gentem *de Huchin*. Poſſederunt & eam poſtea Quiretii, nunc ad illuſtrem virum *Wolfangum nobilem à Plotho* Saxonem ſpectat cum amplis juribus.

Ooſtvleteren, Hoc in loco, ſicut & in Weſtvleteren dominia ſita ſunt, per alios etiam ſe pagos extendentia, nuper gentilium de Ognies, nunc ad Iſegemii Comitis ſtirpem devoluta, cujus etiamnum prætorium viſitur non inelegans. Berkinium Capituli Caſletenſis. Swilandia Baronis de Ingelmunſter. Coppernollia Baronis nuper Croiſilles, nunc Iſeghemii Comitis antedicti. Templa equitum Melitenſium, ſive prædia ab hæredibus templariorum modo poſſeſſa.

Provene.

Polinchove.

Weſtvleteren, pagus ad prata Everſamienſia ſitus, paſcuus etiam & arvus, ad occidentem quoque ſaltuoſus, & ſylvis conſitus.

Loa oppidum pratis, paſcuis; agris etiam cingitur, & torrenti duntaxat incumbit lato, ſive Iperleto, illinc verſus Neoportum, Dixmudam, Furnas, & dinocleſiam nomen Loanum retinenti: & imo amplius portum habuit olim apud Lombarſidam angulo nomen retinente: & coloniam egit olim in vicinos agros, ubi hodieq; montis & templi

pli Loani superest pagus, notior eo, quod istic comprimantur & veneant casei præcipuæ notæ & celebritatis, Parmensibusq; lautitiæ gloriam cedere dedignantes. Vnde loci hujus antiqua celebritas queat æstimari; sicut etiam è viis regiis militaribus tribus: Vna insigni latitudine & rectitudine Minariacum versus, quæ nomen servat in hodiernum diem. Altera versus Caletum, & portum Iccium, & mare, pridem à Comitibus Flandriæ, obstructa. Tertia Gandam versus, in historiis sæpiuscule nominata. Quanta autem fuerit oppidum celebritate ante tria sæcula, quivis observet, qui Comitatus titulum habuisse, Advocatiam principalem, Telonium, Stalla, creditionem, censuram, expeditionem, mansionarios S. Petri, jus gladii, & monetæ, cæteraque regalia. Castrum autem, opus Castrense, suburbium, villæ Castellanum sive Vicecomitem, Scabinos, generalem veritatem, bannum, legem, muros, justitiam, mercatum, bannum panis & vini, forum, communitatem, Senatum perpetuum, ministros Comitis, placita, Castrum, & domum Comitis, Burgenses, resortum sub Atrebatensi, Senatum habuisse cum ampla immunitate. Comitatum & Telonium oppidi; cunctumque ibi jus suum sæculare, exceptis gladio & moneta, dederat cœnobio Canonicorum Philippus Roberti Frisonis filius anno 1093, Philippus Comes Loanus Comitatum suum attribuit monasterio D. Petri recens ibi instituto. Nunc partitim Princeps, & nunc Abbas, mitra etiam ornatus Præpositus, oppido dominantur, etsi ille meri imperii exercitio potior. Vterque Balivum habet, & consulem & Scabinos annales constituit, hic quatuor, ille quinque, junctim utriusque dominii incolis jus justitiamque administrantes.

CASTELLANIA BELLIOLANA.



FEceris medius fidius, quod oportet: si, quibus in tota Græcia nihil olim fuit amœnius, ridentibus Thessaliæ campis, omnem hunc Bellanæ Castellaniæ tractum contuleris. In eo pares celebratis Æmoniæ nemoribus invenies saltus, in eo lucos, fontes, & rivos, prata florida, & arva ad omnem frugem, cum aprico gramine montes, neque præruptos illos, sed quos omni parte possis accedere, & quos fœcunditas etiam commendat, denique cætera naturæ ornamenta licet intueri. De Aquitania scripsit olim Salvianus, quod *illic omnis admodum regio, aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit.* Poterit id non impari ratione de ditione Bellana pronuntiari, ubi, sicut de Aquitanis loquitur, si bellorum eos non concuteret diuturna calamitas, si non cum cæteris provinciis gravi tributorum onere pressi ad pacem, frustra & per tot annorum curricula suspirassent, *vere possessores ac domini terræ illius*, non *tam soli istius portionem*, *quam paradisi* videantur possidere *imaginem*. Adeo non uber solum fœcunditatis, sed quæ præponi interdum fœcunditati solent, jucunditatis, voluptatis, pulcritudinis hic per omnem pagorum ambitum videmus. De reliquo, Castellania hæc, sive ditio, tam ubere amœnoque agro beata, tribunalibus quibusdam, parœciisque ac districtibus repræsentatur. Eorum quæ sequuntur, primo tria Principis sunt peculia, *Ambachtus* videlicet *Belliolanus*, in parœcia Belliolana sita extra oppidum. In parœcia de *S. Ioannis Capella*, in districtu ad Principem spectante, in parœcia de *Berten* cum assectis denique, *Meteren* & *Meris*. Cætera particularium dynastarum sunt peculia, districtus nimirum ac *dominium* præposituræ *S. Donatiani* Brugensis, *Nieukercke*, *Steenwercke* cum assectis, *Nipkercke* cum assectis, *Dranoultre*, *Eecke*, *Caestre*, districtus & *dominium Commendariæ Melitensis*, olim Templariorum, *Westoutre*, districtus *de Vlerinchove*, *Eerten*, denique districtus ac dominium *de Angest in Arneken*.

Soli. Qualitas. Divisio.

Ad eos quod spectat, qui Ballioli dynastia potiti sunt, sciendum inprimis, quod illam, quoad vixit, possederit *Guido Namurcensis*, dono cognominis patris Flandriæ comitis, an. 1287, ejus morte sine liberis Flandriæ reunitam. Quomodo antea *Margareta Constantinopolitana*, idem *Ioanni* ex *Ioanne Dampetræo* nepoti dederat, in solutum bis mille librarum Parisicarum parti in ratam hæreditatis maternæ assignatarum annuatim, sed à patruo Guidone redemptum. Nec ab alio quopiam liquet oppidum territoriumque Belliolanum possessum fuisse, nisi à vetustissima, & dudum, saltem quod ad primogenitos, intermortua gente Balliolana. Hos Balliolanos in diplomatibus signasse *de Bellea*, & dominatos hisce locis fuisse, plura asserunt documenta. Cœnobiis certe Bertinensi & Clari Marsci donaverunt illi prædia & decimas, sita in *allodiis* suis *terræ de Bella*. Quod nisi dicamus, inquit Gramajus, non video unde Castellaniæ hinc inter Iprensem & Casletanam inconcinne procurrenti, nullaque proportione aut commoditate utrisque pagis se inserenti, inventa aut designata fuisset jurisdictio; eo magis, quod Castellania ipsa feudum olim Dynastæ Moerbecani exstiterit, permutatione inter *Walterum de Revenges* Mourbecanum, & *Guidonem* Comitem inita, ad Flandriæ Principes devoluta. Quomodo autem Guido Dampetræus è Borbonica familia Flandriæ Comes, Ballioli dominus factus sit, narrat Oudegerstius annal. cap. 127. Cæterum in *Ambachto de Balliolo* sub Parœcia Balliolana, sita sunt varia dominia à nobilibus viris, aliisque possessa, inter quæ mihi cognita *Bellekin*, *Hagadorne*, *Walhove*, dominium item ac territorium *de Niepe*, quod fuit olim gentis ejusdem nominis, & ab illa per nuptias devolutum ad familiam *van Houte*, ab hac vero successive ad gentiles *de Courtewyle* & *Bulteel*. Gaudet jurisdictione meri & mixti imperii, & à Balliolo

Domini.

liolo distat per medium milliare. Ejus hodie possessor est *Michaël Stephanus Bulteel*, Michaëlis patritii consularis Iprensis filius, vir raræ virtutis, prudentiæ ac eruditionis. Homagium debet Curiæ Balliolanæ tanquam Comitis Flandriæ, habetque à se dependentia varia feuda. Iurisdictio & auctoritas Magistratus urbis & castellaniæ Balliolanæ quanta sit, videri potest in Libro Consuetudinum, per Regem Flandriæ Comitem approbatarum, anno 1632.

Belliolum vulgo Belle.

Belliolum Bellam seu ut antiquis Belgiolum, à Colones Belgis qui deinde se Morinos vocarunt conditum fuisse constanter tradunt autores, à Normannis vastatum, ab Arnulpho Flandriæ Marchione restauratum, & sub Roberto Frisio mœnibus cinctum urbis formam accepit, fidem faciunt rudera ingentia & Castri, unde Castellani dignitas, omnibus notus locus. Varias belli ab Anglis, Gallis, Iprensibus, & ignis perpessum est calamitates, Libertatem & jura municipalia Carolus Cæsar renovavit, senatus formam, & Reipub. normam præscripsit. Cæterum Castellani dignitas hæreditaria in variis ac illustribus olim familiis fuit, ac nuper in Gente Liedekerkana, ac Baronis de Heule. Plebs oppidi textura tincturaque pannorum laneorum rem facit non viliter, & quamvis tanto miseriarum pondere nuper pressa, tamen sic satis animose habitat, & damna resarcit. Floret autem imprimis hoc in oppido mercatus filorum lineorum, quæ candidissima magna copia in Angliam & alias orbis provincias magno cum incolarum quæstu eunt.

Versus Casletum, ceu Morinorum castellum, conspicitur pagus non incelebris, à Castris nomen adeptus, ut Gramajo placet, *Caestre*. In hac parœcia Ordo S. Ioannis Hierosolymitani, nunc Equitum Melitensium, domum habet, & varia prædia. Visitur & ejusdem Ordinis ædicula, in qua rem divinam peragit sacerdos. Cæterum pagus est late patens, ac populosus, agroque pascuo inprimis commendatus. Possidet illum hodie è gente Thiennensi *Baro de Vcclem*, idemque Dominus de Rumbeke, juxta Rollarium.

Bertenum, vulgo *Berten*, proximus huic adjacet pagus, peculium quoque partim familiæ *de Thennes*. Amæni hic circumquaque visuntur montes, nec prærupti, nec infæcundi.

Eecka, partim Bellanæ, patim Casletanæ ditionis pagus, castro eleganti olim instructa fuit, venatione ac piscinis grata, gentis Bellanæ peculium ad nupera usque tempora. Habet autem Eecka pagus nomen ab arbore quadam cava, in qua latuit S. Vulmarus abbas, & hunc templi sui patronum studiose veneratur, putatque se ostendere posse locum, ubi quercus illa olim stetit.

Meteren, ex alia parte Balliolum respicit, pagus sæpe in veteribus rescriptis *Meternis* appellatus.

Meris, *Merens* seu *Mernes*, vocatur in archivis Teroanensibus, *Mariscum* appellat Gramajus. Solum olim Comitem agnovit, nisi qua parte ex ejusdem Principis munificentia intercurrit Iurisdictio Præpositi Casletani. In quo uti & in Meteren, hoc peculiare, & è veterum servitiorum norma, ut municeps ibi, & ex eo etiam in aliis terris nati, liber sit à censu capitis Principi debito; nec integrum sit ulli cedere juri suo, aut in alterius oppidi, aut domini jus concedere, nisi prius exsoluta omnium bonorum decima.

Sequitur non incelebre municipium *Neoclesia*, vulgo *Nieukercke*. Dynastia modo Comitis Egmondani. Ante vastationem anni 1582, templo, turrique egregia instructa, foroque nundinatione hebdomadali privilegiata decorato, macello insuper, strato, vicis, varioque opificum mechanicorum genere, Curiâ Scabinorum septem, tribunal & leges continente. Legibus sigillo ad causas, mensuraque granorum propriis, collegiis sagittariorum ternis, sclopo, arcuque tam æreo, quam chalybeo certantium. Nec populi minor fama fuit ob pannificii celebritatem. Sed hæc omnia civilis belli flamma absumpsit; & periissent, nisi animos Neoclesiani habuissent malis majores, & contra fortunam nitentes. Ecce anno 1608, novæ Curiæ seu Hallæ jacta fundamenta, ecce turrim è ruinis exsurgere; Templi curialis choros tres, cum cruciato opere ad latus restitui, textrinam pannorum levioris lanæ interstinctorum, quos *Bayen* vocant, reduci, & laudem invenire apud exteros, & imo privilegiorum deperditorum fatali isto igne vindicationi & augmentationi cives intendere, auspiciis Caroli nuper Comitis Egmondani, qui inter alia Dynastiam hanc ex domo Luxemburgica adhæreditavit.

In confinio Neoclesiæ situs est clari nominis pagus, neque dispar nomine à superiore *Nipkerka*, quasi Nipensem dicas Ecclesiam. Hic pagus ac dominium *de Nipkercke*, ante annum 1242 Comitum Flandriæ patrimonium fuit, à *Margareta* ejusdem Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, pro se & habitatione sua electum, donec eodem anno eadem ipsa *Margareta* veterem prioratum Benedictinum eo donatum, ac dotatum voluit; simul etiam jurisdictione omnimoda, ac omnibus Dominicalibus Iuribus, Privilegiisque principalibus, quibus ipsa, & prædecessores Comites illud possederant, cessis; soli Pontifici summo, & Abbati majoris Monasterii Turonensis in spiritalibus, solique salvægardiæ suæ, ut ait, in temporalibus illud subjiciens. Olim autem *Prior de Nipkercke* patronatum, & jus nominationis (quod cum aliis juribus jam transiit in ejusdem loci Toparchum) ad curam pastoralem habebat, omnem denique tam in temporalibus, quam spiritualibus in eadem ecclesia jurisdictionem. Erat porro hujus loci dominium feudum immediatè dependens à Comitatu & Camera legali Flandriæ, nuper autem ad instantiam Toparchi Philippi de Vicq Canonici, & Cantoris in æde Cathedrali Iprensi, sub Curia Balliolana, ratione cujus, hujus loci Toparchus, Vasallus est Belliolanus, & omnem habet justitiam, ac curiam feudalem, constituit prætorem, ejusque vicarios, ac satellites. Habet tribunal septem Scabinorum, quorum auctoritas etiam se extendit in *Formelles*, *Steenwercke*, ac Balliolum. Est autem intra ambitum ejusdem parœciæ situm, dominium *de Oosthove & Warnave*, quod à tribus jam fere sæculis, continua serie fuit in familia *de Vicq*, *de Rikasses*. A Toparchia porro *de Oosthave* ante nomi-

nominata, moventur alia quædam dominia ac feuda, ac inprimis dominium *de la Busche in Neerwaesten.* Movetur & à Toparchia de Oosthove, dominium *de Bertolf*, in parœcia de Belle situm. In eadem item parœcia situm dominium *de Galeye*; aliud item quod appellant *het Buysche Goet*, in eadem parœcia, ibidemque dominium *de Proye.* Tenetur & ab Oosthovia dominium *de Boyken* in Steenwercke, aliud denique quod *Savelput* nominant, in parœcia *de Nieukercke*, præter alia feuda, aliosque census ac decimas eidem Toparchiæ adtributas.

Non procul à Nipkercka non incelebris etiam visitur pagus, quem à saxeo opere sive mole vocant *Steenwercke.* Dynastia nuper fuit *Roberti d'Estourniel*, qui vicinæ Zouterstediæ Baro, eoque titulo hæreditarius Flandriæ Marescalcus fuit. Hic genere, virtute ac fama inclytus, jurisdictionis amplitudine, & proventu his in locis non mediocri gaudebat.

Vleninchove, nuper Caroli de Claerhout, qui Hardoiæ fuit & aliis in locis Toparchus, peculium, nunc ad hæredes ejus devolutum. Hujus terræ portio, quæ parœcialem Ecclesiam non habet, partim in Boescepam, partim in Westoutram vicinas parœcias se protendit.

S. Ioannis Capella, vulgo *S. Ians Capelle*, ad medium à Balliolo lapidem in vallibus sita, & mire per æstatem amœna, per quam de Locra in Meternam venitur.

Dranoultre, pagus ad primum à Balliolo lapidem situs, loco, quo jucundiorem non optes, à Dominis præcipue familiæ Audomarensis, qui illum diutissime possederunt, celebritate sua innotuit.



CASTELLANIA BERGENSIS, ET BROVCKBVRGENSIS.

Soli qualitas.


Abet Castellania Bergensis solum fœcundum pecoris, & butyri sapidissimi, caseorumque Batavicis vix cedentium, frugum item arborumque tam pomiferarum, quam lignationi aptarum. Gaudet etiam insigni navigationum compendio, & fluviorum Agnionæ, Colmæ, Pienæ, Lederæ, Oceanique commoditatibus. Cæterum omnis aquarum derivatio, quam conductum vocant, in tria dividitur Aquagia, Orientale nimirum, Australe, & Occiduum. Hoc à quatuor primariis, uti sic dicam ostiis, undas Oceano immittentibus, dictum. Habueruntque pridem tres obices, seu repagula, (quorum occidentale vehementiâ maris, huic viam præbentibus Dunkerkanis, anno 1579 disjectum est) & præficiuntur Aquæ Comites, vulgo *Water-Graven*, & Curatores aggerum, & ab eis dependentium tres, à magno Balivo, Vicecomite & Senatu Bergensi, qui & die Iovis hebdomadæ Paschalis, rationes audiunt, advocatis, & in consilii communionem admissis majoribus singulorum Aquagiorum membris, qui sunt Prælati, Nobiles, Respub. aut etiam Privati, habentes intra limites cujusque latifundia, aut hæreditates. Complectitur porro tota hæc ditio pagos triginta tres, ritu fere Furnensium, divisos in 26 pagos Curiæ seu Keuræ obnoxios, & septem alios, quos Vassallagia, id est, Toparchias nominant, legibus suis utentes, & Toparchis suis parentes, in Oneribus tantum indictionum publicarum Bergensibus auxiliares; quæ sunt: Præpositura Brugensis, Pitgam, Houtkercke, Eclesbeque, Ledringem, Hontscote, Zuytcote, cum dominiis aliquot aliis, quæ in pagis, ubi sita sunt, adnotabo. Pagos autem ipsos, ne quispiam se alteri postpositum jure queratur, serie Alphabeti servata mox describam. Operæ pretium tamen prius fuerit, omnia ea loca, quæ Ditioni Bergensium per librum Flandriæ censualem adnumerantur, huc adducere, ac pauca, quæ ad auctoritatem ac jurisdictionem Vrbis & Castellaniæ ejusdem pertinent, etiam in medium adferre. Sunt igitur loca hæc ex ordine, quem census observat:

Distributio Castellaniæ.

Loca subjecta.

Ghivelde.
Zoudtcote.
Vpem.
Hondscote.
Killem.
Rexpoele cum S. Nicolai Capella.
Waerhem.
Hoymile.
Westcaple.
Bambeke.
Herzeele.
Wormholt.
Quaet-Iper.
Socx.
Crochte.
Wildre.
Steene.
Bierne.
Broukercke.
Groot Zinten.
Cleyn Zinten.
Spiickere.
Arenboudscaple.
Arenboutcapple Capelle.
Coudekercke.
Teteghem.
Liffrinckhoucke.
Pitgam.
Ekelsbeke.
Ledringhem.
Houtkercke.

Annumerantur & his locis Præposituræ quædam. Videlicet Præpositura S. Donatiani in Ammania de Hondscote, Præpositura in Waerhempersele, Vinchouck, Bissezeele, Præpositura de Teteghem; Præpositura de Ghivelde; Præpositura de Lokre in Looberghe, cum Præpositura S. Donatiani in eodem loco.

Castellani & Vicecomites quid.

Apud Belgas vero (ut & apud Gallos ac Germanos) pleraque oppida illustriora suos olim Castellanos habuerunt, quos Franci hodie Vice-Comites, *Viscomtes*, Germani Burchgravios, *Burchgraven* nuncupant. Hi vice Comitum oppidis seu burgis præerant, publicorum carcerum curam gerebant, & sua tribunalia ad jus dicendum, itemque portoria, seu vectigalia sibi propria habebant, alia denique munia alta & honorata post Principem exercebant. De quibus fusius in libro de Castellanis Insulensibus, Florentius vander Haer vir sagax & eruditus disseruit. Tales autem in Brabantia fuerunt Castellani, ait Miræus in notitia Ecclesiarum, Bruxellenses, Antverpienses, Heldomenses, Furenses, Genapienses, & Grimbergani. In Flandria, Gandenses, Brugenses, Iprenses, Tornacenses, Insulenses, Duacenses, Armentarienses, Balliolani, Broucburgenses, Cortracenses, Dixmudani, Furnenses, Winocibergenses, Alostani, Aldeburgenses, Harlebecani, Neoportuenses, Orchiacenses, Roslarienses, & alii. In Artesia, Atrebatenses, Audomarenses, Arienses, Lensenses, Bapalmenses, Hesdinienses. In Hannonia, Montenses, Valentinianenses. In Geldria, Noviomagenses. In Hollandia, Leydenses, Heusdani, Gertrudibergenses. In Vltrajectina ditione Vltrajectini, Montfortenses. Item Limburgenses, Zelandienses, Cameracenses, Teroanenses, Lingenses, Mont-Ioenses, & alii alibi. Ab istis Castellanis, ab Advocatis item Ecclesiarum Belgicarum, nobiles ac vetustæ familiæ nostrates plurimæ suas origines deducunt.

Origi-

Bergæ S. Winoci.

Originem nominis Berga S.Winoci, cum prius Groenenberga, sive Mons Viridis diceretur, accersiit à monte *Granoberga* olim suburbano, sed jam annis ab hinc centum & quinquaginta mœnibus incluso: cui imposita fuit, & sancto Winoco Britanno dedicata, Abbatia Benedictina virilis è Wormholt prius, dein ex templo Bergæ Martiniano huc translata per Balduinum Pulcrobarbum: Proventibus,& Toparchiis cumprimis opulenta: cujus Cœnobiarcha secundum inter Abbates Flandriæ locum obtinet. Præbet certe mons ille, de quo agimus, jucundum oculis spectaculum, unico, ut sic dicam, obtutu

Prata repræsentans & agros & pascua, ridens,
Dum videt insanum timidis sub classibus æquor,
Vicinosque Lacus.

Exiguo etenim loci intervallo, id est, unius milliaris, separatur à mari, minore à lacu quondam Moera, majore à Sylvis. Ab ipsis fere incunabulis oppidum hoc, insignes tulit calamitates.

Comes Flandriæ, partim regalium suorum, partim advocatiæ majoris,Cœnobiorum Wormholtani, & Bergensis titulo est hujus urbis dominus,cui fiduciarius cliens fuit oppidi & Castellaniæ ratione, cum vicinis Robertus Cassetanus, indeque Iolantis ejus filia Barensi regulo nupta, jus aliquod in utramque partem arrogavit, sed frustra, Ludovico Maleano persententiam anni 1350, mense Augusto, declarante, Roberto non proprietatis, sed hypothecæ jus fuisse: unde redditum corpori Flandrico, hoc membrum deinceps non est separatum. Successit igitur Vicecomitis dignitas, quæ à gente Stavela ad Hornanam, ab hac ad Remigium de Hallut, anno 1567 devoluta, eo vendente ad Longinos pervenit, nunc ad illustrem virum Philippum de Orosio equitem. Illa inter alia emolumenta trientem mulctarum percipit, & feudis præest compluribus. Curia porro feudorum Comitis, & Tribunal Vasallicum in prætorio esse solet ad montis crepidinem, cui à vadibus nomen. Senatus forma pæne est eadem cum Furnensi, fuitque antiquitus, id est, post leges & solennia oppidi, per Guidonem, an. 1297 confirmata. Septemdecim Scabini constituuntur quotannis cum Consule, quorum sex è civibus, reliqui ex agro. Balivi eadem, quæ Furnis, est ratio, nisi quod dignitatem augere videatur communis huic & Vicecomiti præfectura. Porro ad viliorem Bergis plebeculam quod attinet, nundinationibus illa marinis, & rerum è pascuis luculenter provenientium, potissimum valet. Nundinas his aliisque mercibus, cum immunitate novem dierum circa solennitatem D. Lucæ concessit Comes; præter quas aliis intervallis fora habent frequentata, licet non privilegiata quatuor, incidentia in medium Augusti, tertium Novembris, octavam Paschæ, & postridie Palmarum.

Sequuntur pagi Castellaniæ Bergensis ordine Alphabetico dispositi.

Aernouts-cappel, Arnoldi Fanum, Vicus est arvus, pratis tamen intermixtus, opimo solo præditus, una fere leuca ab urbe Bergarum distans.

Aernouts-cappelle, Arenbaldi Capella. Vicus est partim pascuus, partim arvus, media leuca distans ab oppido Bergensi.

Belgica.

Bambeke, nobilem Curiam, vulgo *Ingelshof*, limite suo comprehendit pronuper dominorum de Nieuwerleet, nuper dotali titulo Præfecti Audomarensis Domini de Souatré, viri prudentia ac generis nobilitate clari. Ante annos vero centum Moerbecanorum dotali titulo à Drinckami Ecclesia sancto Audomaro inscripta est.

Bierne, Duas partes decimæ de Bierne concedit Winocibergensibus cœnobitis Carolus Bonus ad annum 1121, cujus rei diploma recitat Miræus. In hac Parœcia videre est Prætorium non inelegans Domini *de Bavelaer*.

Brouckercke, Fanum palustre Gramajo.

Bissezeel, ultra Pienam situs pagus, cum *Lobergemio*, aliisque minoribus, Toparchia dono Caroli Comitis ad Ecclesiam D. Donatiani spectans. Quæ ut Comitatum antiquitus habuisse creditur, ita Vicecomitem hodieque habet sui beneficii clientem è gente Vossia.

Coudekercke, pagus medio situs itinere inter Dunkerckam & Bergam.

Crochte.

Socx (sunt qui *Cochiam* nominent) vicus est, media ab oppido Bergensi leuca dissitus, in monticulos & clivos assurgit, & arva habet non infœcunda.

Ekelsbeque, municipium ad secundum à Berga lapidem situm, titulum Baronatus habet; agros fertiles, arcem egregiam, forum hebdomadarium feria tertia recurrens, & alia oppidorum propria. Dynastia fuit olim familiæ Gistellanæ, à qua pervenit ad *Valentinum de Pardieu* equitem. Porro Toparchus de Ekelsbeque, inter Vasallos Castellaniæ Bergensis censetur.

Houtkercke, Vassallus est Castellaniæ hujus loci Toparchus; non ab altitudine inquit Gramajus, sed à veteri lignea Ecclesiæ per D. Amatum dedicatæ fabrica nuncupatum est hoc municipium. Nundinas Festo assumptæ Virginis in cœlum, cum libero mercatu habere solebat. Potitur eo stirps Hornana cum illustri Comitis titulo, per Cæsarem Carolum, ob ejusdem gentis magna in Remp. merita instituto, nec contemnenda Iurisdictione.

Ghievelde, Ægidii campus, quasi *Gillis veldt*, Gramajo vocatur. Gaudet peculiariter Amanno Principis Vicario, Iustitiæ administro.

Ledringhem, Vasallus. Ad occasum Bambekæ inter Pienam, & ejus elicem Lederam, pluribus ab ortu suo pagis nomen communicantem, Vicecomitatu nobilis est pagus.

Leffrinshoucke, pagus est hujus maxima ex parte arvus, paucaque admodum prata habens.

Kiellem. Pagus maxima ex parte arvus est.

Hoymille.

Herzele, Annuas in Iulio nundinas impetravit memoria calamitatum bellis Gallicis toleratarum, quas Cæsar Carolus etiam confirmavit. A residentia dominorum Canonicorum puta, & Episcopi quondam Morinensis eam nuncupatum vult Gramajus.

Oostcappel, Castro satis eleganti & munito, ac dominio Toparchorum de Ricourt innotuit, cujus Iurisdictionem anno 1502, Philippus Archidux, concessit Dionysio Moerbecano Consiliario ac cubiculario suo. Pagus magnam partem

TERRITORIVM BERGENSE.

ZEE.

NOORD

Breebanck

Brake

Kamsbanck

't Scburken

DUNKERKE

De Wateringhe

WATERINGHE VAN NOORT OVER

DE VIER DICKEN

GESEIDT

Groote Moere

Cleine Moere

van

Oost over

BERGEN

GREVELINGHE

BROUCBURGH

BROUCKBURGH AMBACHT

ARTOIS

BERGEN AMBACHT

Watering van zuydt over

CASSEL AMBACHT

VUEREN AMBACHT

VUEREN

Oost

West

Zuydt

Heerſele

Houtkerke

Roetsbrugghe

Ruinmeghem

Nobilibus ac Amplißimis
Dominis Vrbis ac territorii
BERGENSIS, MAGISTRATIBUS
Hosce primos suos ausus DD.C.Q.
Iacobus de la Fontaine

Fluvii navigabiles
De A.
Groote Reuiere.
Opper Colme.
West Colme.
Neder Colme.
Duynkerck vaert.
Houtgracht.
Zeegracht.
Rincsloot.
Yser.

Scala Virgarum

200 400 600 800 1000 1200 1400 1600 1800 2000

A — B

A.B. Linea, quarta pars pedis Bergensis, quorum quatuordecim virgam efficiunt.

arvus eſt, duabus circiter leucis & media ab oppido Bergenſi diſtans.

Pitgam, vaſallus. Celebris ad Colmam fluviolum ſita Toparchia, nuper domini *de Werp*, qui Præfectus ad Trajectum Moſæ regius fuit. Habuit arcem nunc vetuſtate ac bellis dirutam. Intra limites porro hujus parochialis alter eſt dominatus de Helfelt, nuper in familia de Boddens.

Quaet-Iper, Pagus eſt clari per omnem eum tractum nominis. *Rexpoele*.

Spieckere, ultra Colmam verſus mare & Dunkerckam, villa agreſtis prætoria olim fuit, vico nomen ſervans, & vulgo ſic nominata, & varii circa eam à ſanctis ſacellis appellati pagi.

Steene. Vicus ad primum fere lapidem à Berga ſitus eſt.

Grootſenten & *Cleynſenten*, ſanctum majus ac minus vocat Gramajus, & veneratione ligni ſalutiferi olim celeberrimum, & peregrinis notum fuiſſe aſſerit, unde ob celebritatem oppidi vicini, & portus Mardicenſis, frequenter habitato agro, multitudini reſpondentem debuiſſe templorum ſtructuram ſuccedere, idem narrat.

Tetighem. Non à Thetyde vicina, ſed à Theodorico milite olim nuncupatus locus eſt, uti Gramajo placet.

Vxem. Vdonis vocat domicilium Gramajus, pagus eſt ad lacum ſitus, qui ab altera parte Furnenſis territorii pagum attingit Houthem. Fuit autem lacus ille ab æſtu maris natus, quam Mouram vocant, in magnam parvamque diſtinctus, ac ſeptem milliaria in ambitu complexus, piſciumque copioſiſſimus, ſed uliginem fundi, cœnumque, ut ait Marchantius, in cœna ſapientium, & navigabilis, ſubindeque per tempeſtates periculoſus. Hunc nuper Principum indulto Venceſlaus Cobergius, vir induſtrius, at non ſine magnis difficultatibus, exſiccavit. Ab hoc, & minoribus aliis, olim indubie in hoc tractu populi, Morini dicti ſunt. Pagus eſt maximam partem paſcuus, ad primum à Berga lapidem.

Waerhem, ad paluſtrem circa Hondiſcotam Rivulum pagus hic ſitus eſt.

Weſtcappel. Prætorium hic habet dominus de Ricourt, & Valbacon è gente Flaminia. Dominii autem nunc Ricourtiorum juriſdictionem ad annum 1502 conceſſit Philippus Archidux *Dionyſio Moerbecano*, conſiliario ac cubiculario ſuo. In Templo vitreas hic cernis feneſtras, iis picturis exornatas, ut toto vix Belgio elegantiores videre poſſis, unius ſæculi ætatem ferunt. Manſit autem hujus loci eccleſia per nuperos Belgicæ tumultus intacta, ope caſtelli eccleſiæ vicini, eandem protegentis.

Wylra vulgò *Wyldere*.

Wormhout. municipium caſtellaniæ Bergenſis amplum, antiquum & celebre. Legem habet atque tribunal proprium, nundinas Feriis Pentecoſtalibus, etſi nunc obſoletas, Toparchum, Abbatem Winocibergenſem, imo Comitem. Comitatus enim fertur dono primorum Flandriæ Comitum, & merito D. Winoci, qui primam iſtic cellulam ſibi, ſociiſque Cœnobium de conſilio ſancti Bertini conſtruxit.

Zuytcote. Caſtellaniæ vaſallus eſt huius loci Toparchus, & locus olim portu nobilis, & civium gaudens privilegiis, feudum alias caſtri Audomarenſis ex primæva inſtitutione. Pagus ad ſecundum à Berga lapidem ſitus, arvus maximam partem, & littori maris vicinus.

Hondeſchote, ſitus opportunitate, juriſdictionis amplitudine, aliiſque opportunitatibus naturæ beneficio dotatum. Vt enim prætereum communem cum aliis urbibus fluminis Colmæ commoditatem, ad Flandriæ potiora oppida viam ſternentis, vicinum habet lacum, in cujus notabilem partem & ſacræ & politicæ juriſdictionis ſuæ alas extendit, per quem immediate neſcius mari uti frui poſſit nundinatione, nec deſunt in propinquo ſylvæ, nec agri, tam arvi quam paſcui. Iam vero antiquitus aliquid honorum ſupra pagos habuiſſe, id eſt, Telonium, jura piſcationis, textrinulum & tribunal, ex regeſtis eccleſiæ Brugenſis licet obſervare, quæ dominatum habet flumine ſeparatum, communione tamen parochialis, & cura pauperum non diverſam. Verum enimvero omnibus hiſce privilegiis excidiſſe videtur in factione Iſengrinorum, qui & Nigerkenbæ adulatione aucta dicti, & Blavotinorum exiſtente horum Duce, unaque Furnenſium contra Bergenſes ſupradicto Waltero. Ex quo tempore cœpit inſtar aliorum vicus iſte Bergenſi caſtellaniæ & tribunali in ſolidum ſubjacere; & hinc eſt quod reperias inter archiva cœnobii Trinitariorum varias donationes factas à Ioanna & Margareta Comitibus cœnobio de Claro Vivario tunc nuncupato in litteris annorum 1243, 45, 62, & alibi, quas haud dubie Comites non erant facturæ, niſi rerum hic potirentur, cum nulla (prout fieri conſuevit) dominorum loci fiat mentio. Cæterum meminit Iperius in chronico paulo poſt anno 1300. quendam Galterum coëmiſſe villam de Hondeſchote, & in dominium erexiſſe, poſteris loci nomen in cognomentum familiæ mutantibus, qui cœpit exinde famam habere ex opera inprimis manuaria cum an. 1323, privilegium obtinuit lanificii, confirmatum ejuſdem ſæculi anno 73, per Ludovicum Comitem poteſtate facta, plumbetis, ſigilliſque propriis pannos, ſive ſaeyas notandi ab una, & inſignia Flandriæ adjiciendi ab altera partibus, definiendo nuper Senatus & politiæ formandæ rationem, ita ut Balivus cum Scabinis 9. annalibus ſtatueret æſtimatores, ſive cenſores Sayettarum ſex, ſine ſtrepitu Iudicii, res ſui ſtyli decidentes, mulctaſque delicto infligentes, totidem etiam conſarcinatores, & pari numero cenſores annonæ & præfectos pauperum, & integrum ſit prioribus de conſilio notabilium opificii quævis ſtatuta, mulctas, ordinationes concipere & publicare.

Dominus Hondiſcotæ triplicis juſtitiæ compos eſt, curiam habere ſolet duplicibus aquis cinctam, fundamentis adhuc foſſiſque juxta forum extantibus, & platea aulæ, foſſarum altera Valli nomen retinente. Format item pro arbitratu ſenatum fere biennalem, delegans perpetuum prætorem, qui Vicarium habet ſubprætorem. Collegio qui præeſt, Primus ſcabinus vocatur. Adſiſtunt Graphiarii duo, tribunalis alter, alter pupillorum, & habent Curiam non inelegantem anno 1557 erectam.

C A-

CASTELLANIA
BOVRBVRGENSIS.



Astellania Brouckburgensis cum quavis alia per hanc Provinciam sita, certat agrorum ubertate. Magistratum habet cum Brouckburgo communem. Loca, quæ liber censualis Flandriæ illi attribuit, sunt primum *in Curia*, vulgo *op de keure*,

De Prochie ende Winckele van Loon.

De Prochie ende Winckele van kraeyewijck.

De Prochie ende Winckele van S. Ioris, cum parte Parochiæ S. Nicolai.

De Prochie, Ammanscip, ende Limite van Drincham.

De Prochie ende Ammanscip van S. Pietersbrouck.

Hactenus loca Curiæ, nunc ad Vassalagia venio.

Dominium & Iurisdictio de Zinneghem, in quo comprehenditur districtus de Cappelbrouck, de Watene, de Markeghem, de Millain, Toparchi de Hoflande.

Dominium Abbatis de Hasnon, in Parœcia de S. Pietersbrouck, contribuens cum Cappelbrouck.

Dominium de Holcke, & districtus in Cappelbrouck, Markeghem, & Bullezeele, spectans ad Præpositum Watenensem.

Dominium vanden Gheere in Markeghem, spectabat eo tempore, quo census agebatur, ad Toparchum de Mastaing.

Dominium de Hoflande in Millain, spectabat eodem tempore ad Claudium de la Viefville.

Dominium de Ravesberghe in Parœcia de Millain.

Dominium de Ravesberghe in Ammania de Calsvlecke, intra limites Parœciæ de Cappelbrouck.

Dominium de Ravesberghe, in Ammania de Gheersmaervelt in Parœcia de Boberghe, Erighem, & Markeghem.

Hospites Domini de Ravesberghe in Markeghem, contribuentes cum Ammania præfata de Gheersmaervelt.

Dominium de Sburchgravenbrouck in Millain & Marckeghem, spectans ad Cœnobium divæ Virginis juxta Brouckburgum, nunc intra oppidum.

Dominium & Tribunal de Plantgate in Bullezeele, spectans ad Ecclesiam B. Virginis, & Cœnobium de Broucburgo.

Dominium & Tribunal vander Brouck in Millain, Marckeghem, & Looberghe, spectans ad Cœnobium B. Virginis in Broucburgo.

Dominium & Iurisdictio de Cappelbrouck, spectans ad Canonicos Arienses, quod dicitur *van Thienen*.

Dominium de Ravesberghe, quod se diffundit per quatuor Ammanias, sub Parœciis de Markeghem, Millain, Cappelbrouck, Erighem, & Looberghe. Ita prædictus Flandriæ Census, Castellaniam Broucburgensem partitus est Broucburgi, ad ann. 1517. die Novembris 29. per *Iacobum Halewynium*, & alios ad hoc per Principem commissos. Cæterum huic Castellaniæ & urbi præfuit nomine Principis ab anno 1552 ad annum 1572. Dominus *de Caestre* è familia Thienensi. Successit *Iacobus Salet* Burgundus, vir Regi fidus ac strenuus.

Oppidum Bourburgum antiquitate, privilegiis, & rebus præclare gestis, ac toleratis cumprimis nobile, ab agro palustri nomen habet, admodum amœno tamen per æstatem loco situm est, & in planitie, quæ ut undique agros habet totius Flandriæ maxime fœcundos, omnibusque satis idoneos, ita & montes juxta Watanum. Patrimonium, & omne urbis dominium, ad solos Flandriæ Comites pertinuit, sed cum Robertus Flandriæ Comes, vulgo dictus à Betunia, duos reliquisset filios, Ludovicum Nivernensem, qui postea Flandriæ Comes fuit, & Robertum natu minorem, quem Casletanum appellarunt, Roberto hæreditatis partitione inter alia cessit Broucburgus, cum Castellania, Dunkercka, & Warnestonum, sub unius feudi clientela & Homagio. Hic Robertus à Flandria dictus, filium quoque habuit Robertum, qui se Barensem nominavit. Hujus filia Ioanna Ludovico Luxemburgensi Comiti Sanpaulino Franciæ Conestabili juncta fuit, à quibus luculenta hæc hæreditas, inconsultò olim à corpore Comitatus Flandriæ avulsa, transiit ad Vindocinenses Borbonios, & ab ipso modo Gallorum Rege possidetur. Cives Broucburgenses probi, ac antiqui candoris; in vestibus ac conviviis prisca illis moderatio, luxus in cæteris minor: egregie modo contra Gallicos & aliorum hostium incursus munitum est, ac militari præsidio instructum. Portas publicas habet duas ad meridiem, & Eurum, alteram item, quam Aquaticam vocant, quæ ad Aquilonem erat, sub Carolo Cæsare V, obstructa fuit. Dies hebdomadario mercatui constituti sunt Martis & Veneris, illo etiam, & Sabbatho jus dicitur. Nundinæ annales bis hic celebrantur ad divi Ioannis Baptistæ natalem, & exaltationem S. Crucis, circa quam diem solenni etiam supplicatione recolitur miraculum, quod anno 1383 in æde parœciali contigit. Flumen urbem secat, quod Bergam versus & Audomaropolin fluit, alia etiam fossa, quæ navigationi à decennio idonea facta est, fluit in A fluvium, cujus pars media, sive alveus ad Flandricum limitem vergens, ad Castellaniam Broucburgensem spectat. In oppido eodem Gildæ sunt, sive Sodalitia Divis Georgio, Barbaræ, & Sebastiano sacra.

Habuit Broucburgus, ut alia pleraque vetusta Flandrorum oppida, suos olim Castellanos, erantque illi præcipui post Principem Iustitiæ administri, & Principis quasi Vicarii, etiam militiæ Duces,

Duces; quo munus, ut primo ad certos annos, vel ad vitam unius datum, ita postea multis in locis ad posteros transire, & hæreditarium esse cœpit. Fuit autem hæc dignitas olim in familia Burburgensi, Comitum dein Gisnensium, è Gandavensi gente.

Pagorum Castellaniæ occurrit primus è Gravelinga venienti, nec procul inde situs, *S. Georgii*, vulgo *S. Ioris*. Ejus Ecclesia condita fertur ab Anglis, gente olim in excitandis Deo Basilicis, ac Templis, religiosa admodum & magnifica.

Craeyewijck, hujus etiam ditiunculæ pagus visitur. In quo domum habet non inelegantem dominus *Eugenius Macmahon* Hibernus, illi nomen *Malenburch*.

Loon, itidem hujus ditiunculæ Parœcia est, in eaque situm dominium de *Plancques*, quod in fide ac clientela tenetur Regis Gallorum, sub Curia Broucburgensi.

S. Pietersbrouck; In quo ad flumen A habet prætorium nobilis, & antiqua familia *de Weez*, quæ ex Gisnensibus dynastis originem ducit, unde *de Gisnes* dicta. Circa hunc tractum in Parœcia videlicet S. Nicolai, qua parte spectat ad Castellaniam Burburgensem, omni videlicet illa parte, quæ sita est cis flumen de A, visitur non inelegans prætorium nomine *Brouck*, quod alia à se quædam moventia feuda habet, & possidebatur nuper à *Gulielmo Page*.

Looberge, ut in libro censuali Flandriæ notatur, quoad dominium ac tribunal *vander Brouck*, ad hanc spectat Castellaniam. quodque à Cœnobio B. Mariæ Virginis in Broucburgo, olim juxta urbem, sito possidetur, etiam in *Markeghem* ac *Millain* se extendit. Sita autem est Ecclesia sub dominio S. Donatiani in territorio Bergensi. Domus item Domini *de Boddengien*, pratis & arboretis per circuitum amœna ab arte & natura, vulgo *het Hof van Roosendale*. Habet hic liberum etiam allodium, & ædes non inconspicuas fossa munitas, *Iacobus de Immeloot* patritius Iprensis.

Drincham, clari nominis pagus est, & ab eodem familia hujus nominis apud Flandros antiquis etiam temporibus floruit. Ad annum 1172, *Wilhelmus de Drincham* signat litteras *Balduini Castellani de Brobruch*: post multos exin annos per Ludovicum Flandriæ Comitem, toparchia hujus loci in partem hæreditatis donata fuit filio notho ejusdem Principis. à cujus stirpe accessit ad familiam Ghistellanam: possidebat autem illam cum insigni prætorio nuper *N. Cuperius*. Pagus est situs via, qua Broucburgo Castellum Morinorum itur. ibidem videre est insigne etiam modò prætorium, quo splendidius nullum habet Castellania Broucburgensis. Toparchi sedes est, & habitatio.

Holcke, tertius Castellaniæ Broucburgensis Vasallus, Comitatus etiam titulo insignis est, locusque perantiquus.

Capellebrouck, secundus Castellaniæ vasallus est; donatum fuit hujus loci dominium à Philippo Elsatio Flandrorum Comite Canonicis Ariensibus, quo etiamnum potiuntur cum omni justitia, in eoque loco varia habent prædia ac census: Trajectum item de Waetene; sub eodem contribuit dominium *de Gheer*, ad Baronem de Ekelsbeke pertinens, cum Trajecto de Linck.

Ravesberge, primus Castellaniæ Vasallus est & Baronia, spectans ad Baronem *de Bovignies*, cujus Iurisdictio se extendit ad Parochias de *Markeghem*, *Capellebrouck*, *Millain*, & aliò.

Sinneghem, ab hoc cognomen adepta, in hanc usque diem perseverat nobilis & antiqua familia *de Sinneghem*. cujus etiam Toparchus, etsi Vasallus sit Castellaniæ ordine quartus, majore tamen Iustitia non potitur. Ad Comitem de Roeux modo spectat, extenditque se in parœciis de *Millain*, *Capellebrouck*, & aliis. Censum autem cum illo pendit dominium, vulgo de *Mevrauwen*, quod est Abbatiæ Broucburgensis, item *Burchgravenbrouck*.

Erighem & *Millain*. In priore situm est feudum de *Nieulandt*, in clientela Curiæ Broucburgensis, quam vernacule nominant *het Ghyselhuys*, ad Ducem Havriacum pertinens. In posteriore Prætorium habet Dominus de Belliencourt, è familia de Sinneghem. Hæc sunt quæ de hoc territorio intelligere potui.

FLANDRIA IMPERIALIS, ET PROPRIETARIA.

Flandriæ partes tres; Francica, Proprietaria, Imperialis.



Ivisa fuit olim Flandria ratione Dominii in eam partem quæ *Francorum* erat, in *Imperialem*; quæ Cæsaribus obstringebatur, & denique in *Proprietariam*, quæ præter Flandriæ Principem non agnoscebat. Quæ Francorum erat, in Teutonicam, quam absolute Flandriam vocant, & Gallicam, quam Gallo-Flandriam appellamus, Liza fluvio, & idiomate sejungitur, Comitatus titulo gaudens. Proprietaria, nec Gallorum Regi, nec Cæsari fidem jurabat, sed Flandriæ Principi: continetque *Dendermundam*, *Gheersbergam*, *Bornhemam*, cum illarum agris. *Imperialis* vero Flandria Aloſtanos, Waſios, cum quatuor Ambactis Transcaldiaque complectitur, quam vulgo *Dominatum* vocant; tum quod antiquitus distinctis dominis, ut Wasia Hollandis, Alostana privatim suis Comitibus parebant, quatuor Ambacta Vltrajectino Præsuli, si vera sunt illius Sedis archiva, beneficium debebant: tum quod supremæ cognitionis auctoritate, mero in omnibus imperio Flandriæ Comites ibi pollerent, unde Ludovicus Malensis Flandriæ Comitem Dominumque sese inscribebat. Imperialis dicitur, eo quod supremam olim agnoverit Imperatorum potestatem. Regio est exigua satis, Scaldi & Tenera fluviis clausa, Brabantiæque Ducatui confinalis. Audiebat hæc olim Bracantum, à Bracanto arce, diruta à Comite Balduino Pio. Hodie dicitur Comitatus Alostanus, ab urbe Alosto, ditionis metropoli. Alostum vernacule & per contractionem *Aelst* vocatur, forte ob hanc causam, quod in orientali Flandria sita sit urbs, quasi *Al-oost*. Condita perhibetur à Gothis, eo præsertim loco, ubi nunc mons Placentiæ, pone templum xenodochiumque, anno 489, ea tempestate, qua Vandali, Gothi, Alemani, aliæque feræ nationes, terras Pyræneo, Oceano, Rhenoque tenus rapinis inundarunt. Derivatum hunc Comitatum quidam existimant, ex Comitibus *Castelli novi* Gandensis, ab Otthone Primo Cæsare, anno 948 ædificati, cui deinde à Gandavo cognomen fuit. Nam illius arcis Otthonianæ præsidibus terra Brachantia, quæ post Alostana audiit, cum quatuor Ambactis assignabatur, ut stipendia alimoniamque præsidiariis militibus illinc providerent; quam auctoritatem in Dominatum verterunt Cæsarum beneficio Alostani Comites. Decoratur Alostum Burggraviatu, Tenera fluvio, monetæ olim cudendæ officinis, per Guydum Comitem Gandavum translatis: lupuli mercatu celebri: aulæorum artificiosa textrina: nundinis mense Octobri annuis: Collegio Canonicorum D. Gaugerici, ex Haltro, pago vicino, huc transducto: cœnobiis Gulielmico & Carmelitico virilibus, finitimaque Abbatia Rostenia Bernardina fœminea, fundata anno 1228. Cives hic fruuntur iisdem, quibus quatuor membra, privilegiis, & permittuntur alterius territorii corpus amplecti absque bonorum suorum decumatione. Obsessa à Gandensibus adversus Principem suum insurgentibus, obsidionem fortiter repulit anno 1453. quo facinore, cladem, quam antea ab iisdem passa fuerat 1380, egregie vindicavit. Illustribus Maximiliani Austrii Regis Romanorum Belgiique Legatorum comitiis anno 1483 frequentabatur, ubi Margarita ejus filia Carolo Octavo Galliæ Regi desponsata fuit, atque missa, non tam ex Patris, quam Gandensium arbitrio. Distat Alostum Gandavo quinque, Bruxella quatuor, Mechlinia sex milliaribus. Ager Alostanus optimi frumenti ferax est, præsertim secalicei. Scaldim Teneramque, velut Mesopotamia & interamnis, interjacet, & ad Gandavi, Aldenardæ, Dendremundæ ab Oriente portas extensus, latusque Scaldis dextrum legens, ad montem Trinitatis, Turnaco vicinum, porrigitur: ac Brabantiam versus quingentis & ultra passibus jurisdictionis suæ limites expandit. Summum Prætorem habet à Principe impositum, cui quinque Bailivi, ceu Reipub. gerundæ præsides, assidenti in urbe Alosti. Pagos centum & duos illi asscribit vulgaris calculus, in quibus sunt *Steenhusa* gentis Gruthusæ, Principatus titulo potius, exulumque asylo, quam opibus clara: *Liedekerca*, gentis Hennartæ vetusta ad Tenaram arce nobilis: *Lombeca* Burggraviatu insignita: *Resseghemium* & *Massemæa*, *Herpa*, *Wiesa*, *Dionysii Boucla*, *Hundelgemum*. At illo, quem diximus, pagorum numero continentur hæ quinque Baroniæ primariæ: *Roda*, septendecim pagos includens, *Boulora* sedecim, *Gavera* undecim, *Zottingema* decem, *Schorissa* septem. In pagi Zottingemi templo sepultus est Lamorallus Egmondanus, nobilitate, forma regia, victoriisque de Gallo partis, & Flandriæ gubernatione magis, quam vitæ exitu florentissimus.

Cur Dominatus dicatur.

Cur Imperialis olim. Termini. Cur Bracantum Alostum.

Vrbis laudes.

Ager Alostanus.

Pagi.

Nienovia.

Continetur hoc Comitatu *Nienovia*. Liber censualis Flandriæ *Nieneven*, vulgus *Nienhoven*, quasi Nienevæ villam nuncupat. Exiguum est oppidum, Alosto distans milliaribus duobus, distinctaque ab eo jurisdictione conspicuum. Commen-


FLANDRIÆ
Partes duæ,
quarum altera
PROPRIETARIA,
altera
IMPERIALIS
vulgo dicitur.
Nobil.mo Stren.mo Prud.mo q Viro
D. IACOBO WITS
Exercitus Ordinum Belgicæ
Fœderatæ Ephoro, et Concilii
militaris Præsidi, ac præsidi
ariorum militum in urbe Am
steldamensi Præfecto,
Viro de patria ac Rege hujus
salute præclare merito, et
indies merenti, D.D.
Guil. et Joh. Blaeu.
Huius tabulæ Mensuræ
Milliarica Germanica magna
Mill. Flandrica et Brabantica
CASSELRYE VAN CORTRYCKE
CASSELRYE VAN OUDENAERDE
DE VIER AMBACHTEN
TLANDT VAN WAES
TLANDT VAN AELST
Landt van Dender-monde
Baronie van Bornhem
Landt van Beveren
BRABANTIÆ
HANNONIÆ PARS
BUSCAMBVELT
GHENT
Walcheren
Aselt
Hulst

22

mendatur à Teneræ appulsu,ab Abbatia D.Cornelii, ordinis Præmonstratensis, anno 1137 fundata per Gerardum Connestablium, virum nobilissimum: à nundinis itidem mense Septembri annuis, & arce, Ludovici Malensis tempestate à Gandensibus diruta. Fuit olim Henrici à Flandria castrense peculium. Iam pertinet ad familiam Egmondanam, cum territorio tenuis spatii, in quo Tempelmarsa est. Celebris est scriptore Ioanne Despauterio, Flandriæ Prisciano, Grammaticorum coryphæo.

Quatuor Ambacti. Præter Comitatum Alostanum, adjunguntur Imperiali Flandriæ quatuor illi pagi, sive potius unus pagus in quatuor regiones divisus, quos vulgo *de vier Ambachten* vocant: regiuncula *Wasia*, & pagi quidam agrique ultra Scaldim, Teutonice *'t landt van Overschelde.* Sunt autem quatuor ipsi Ambacti, *Hulsti*, *Axelæ*, *Assenedæ*, *Bouchautæ* nominibus insignia. Hulsto conveniunt 12, Axelæ 7, totidem Assenedæ, Bouchautæ quatuor. Ambachti vox oritur ex vocibus *Ampt*, contracte Am, quod munus publicum significat, & *Acht*, in æstimatione habeo, ut *Ambachtus* sit & collegium voluntarium, dignum cui obediatur; & is, qui in tale collegium cooptatur, sive ruri, sive in urbe, ita, ut illicitum sit cuiquam extra jus illarum sodalitatum exercere artificia, artesque mechanicas. Sic Iulius Cæsar: *Alterum* inquit, *genus in Galliis equitum hanc unam gratiam potentiamque novit, si quamplurimos circum se Ambactos clientesque habeat.* Porro terra quatuor Ambactorum triginta, ut dixi, pagos continens, tritici bonitate & candore, pascuorum ubertate, elicibus, appulsuque maris, Lacu, Sassi statione, & Abbatiis Oostecloa & Dorisela, commendatur. Inter illos pagos est *Hontenessa.* Ambactus

Hulstum. Hulsti quatuor Ambactorum primarius est. Oppidum Burggraviatu superbit, elicibusque vicini, maris. Celebre est obsidione Archiducis Alberti à quo expugnatum & Fœderatis Ordinibus ereptum est. Iactat natales Cornelii Ianssenii Theologiæ Doctoris Lovaniensis, & primi Gandavensis Episcopi. Distat Teneramunda quinque, Gandavo septem milliaribus. Metropolis est Wasiæ, regiunculæ fertilissimæ.

Axel. *Axella*, in eadem provincia Wasia, unius quatuor Ambactorum, ut vocant, caput, uno & dimidio milliari Hulsta distat, quatuor aut paulo longius Gandavo. Oppidum est mediocre, quod superioribus seculis magnas vices sustinuit, ob Gandavensium vicinitatem; qui quum locum hunc ante nullis mœnibus clausum munivissent, urbs anno 1452 à Philippi Boni militibus, qui tum Gandavenses oppugnabant, capta, direpta & flammis deformata fuit, quia Gandavo clam commeatus & suppetias misisse accusabatur: sed postea incolarum & accolarum impensis fuit restituta, & utcunque mœnibus septa, ita ut magis adversus subitos incursus, quam obsidionem hostilem tuta esset. Hanc Illustrissimus Arausionensium Princeps Mauritius, cum Philippo Sicneio, adhuc pene adolescens, & necdum summæ præfecturæ in provinciis Fœderatis, abdicato Leicestrio, admotus, (sed paulo post Hollandiæ Zelandiæque Præfectus factus) anno 1586 astu intercepit, 16 Iulii, milite per molem lapideam, quæ in fossa aquas sustinet & dirimit, in oppidum transcendente. Hispanus in ea quatuor omnino vexilla in præsidio collocaverat. major terror, quam cædes fuit; munimenta quoque, quæ in vicino locata erant, eodem impetu capta: &, ut oppidi securitati consuleretur, vicini aggeres perfossi, & fluctus marini in campos longe lateque immissi. post illa urbs, Belgis tam opportuna, etiam vallis & propugnaculis permuniri cœpit; ut jam cuivis obsidioni tolerandæ par esse videatur. Superioribus annis aliquot arva, quæ Belgæ consulto merserant, rursus fluctibus ducto aggere erepta, annitente imprimis Peronio illius Præfecto; qui astus, quum urbs caperetur inventor & actor fuerat.

Terneusium. Terneusium, haud vulgare municipium Flandriæ, quod jam olim Balivum suum, Scabinos & alios justitiæ ministros habuit, ab Illustr. D D. Ordinibus confœderati Belgii primum muniri cœpit, & præsidio adversus Hispanum instrui. natura ipsa & situ munitissimum est, quippe pene in medio terrarum situm, quas fluctus singulis duodecim horis opplent; unde accessus ad id difficillimus est.

Rupelmunda. Rupelmunda itidem in Wasia est, nomen sumens à flumine Rupela, quod ex adverso in Scaldim aquas suas exonerat. Iacet ad lævam Scaldis ripam, ex opposito ostii Rupelæ. Arx est miræ antiquitatis, cujus crebra in Flandrorum annalibus mentio fit. Arci adjacet pulcher & sic satis amplus pagus, cui natales suos debet Gerardus Mercator, Cosmographus celeberrimus.

In hoc tractu est etiam propugnaculum illud vulgo dictum *'t Veer*, ad sinistram Scaldis oram. Pervium est, & liberum fluminis trajectum in urbem Antverpiam præstat. Causæ hujus munitionis ab Arebergio factæ, sunt hæ: Anno 1592, 18 Ian. locus hic *'t Veer* à milite quodam præsidiario utriusque propugnaculi Lillo & Liefkenshoeck, occupatus, &, milite intus resistente trucidato, omnibus, quæ huc è castello Antverpiano propter rebellem militem trasportata fuerant, inter quæ arca margaritis plena, spoliatus fuit. Sequenti vero anno Batavus miles triremi impositus, noctu navem prætoriam, in Scaldi quiescentem prope *'t Veer*, invasit, prædamque inde avectam septem aliis juxta navibus divitem ad Zelandiæ oram exposuit; & plura similia.

Flandria Proprietaria. Atqui hactenus de ea Flandriæ parte actum, quæ Imperatoribus Sacri Imperii fidem jurare solebat. Continet autem hæc eadem tabella Flandriam Proprietariam, quæ soli Flandriæ Principi jurabat. Ad hanc pertinent *Teneramunda*, *Gheersberga*, *Bornhemium.*


Teneramunda. Est autem Teneræmunda hinc pratorum & fluminum amœnitate læta, inde arvorum ubertate dives, sita ad limites Brabantiæ Flandriæque, ad meridionalem Scaldæ plagam, in solo Imperii sive Romano, ut Dintherus vocat: quod & situs demonstrat, & omnes Scriptores fatentur; eâ loci opportunitate, ut vix major esse queat. Est enim præstantissimis, nobilissimisque Belgicæ urbibus cincta. Intra sextum milliare habet Antverpiam & Mechliniam, intra quintum Gandavum, Bruxellas, Hulstum, & denique intra secundum Alostum: ad quæ omnia non terrâ

solum

ſolum commoda via patet ; ſed & aquis merces ultro citroque tranſvehuntur. Eſſe vero non Feudum Imperii, ſed Alodium, vel ex diviſione Flandriæ apparet : quæ quum dividatur , ut jam ante dixi , in Comitatum , Imperialem , & Proprietariam, & proprietariæ nomine Teneræmonda cenſeatur ; nominis indicio liquet neminem ſuperiorem agnoſcere hujus oppidi dominum: nec Gallo debere fidem ut Comitatum ; nec Imperatori, ut Imperialem : Gallici Iuris numquam fuiſſe palam eſt : Imperatori ſi deberet , nihil opus haberet tertio hoc diviſionis membro : Inter Imperiales enim cenſeretur, non proprietarias. Et ut omittam illud proprietatis nomen , quum variæ fuerint controverſiæ inter Imperatores & Comites Flandriæ , ob non præſtitam fidem ratione terrarum Imperialium , nulla fuit umquam contentio de ſupremo in Teneræmondam dominio. Exiſtimandum vero, etſi non ab Imperatore, imperialiter tamen hanc ditionem poſſideri , & dono quondam Imperatoris , Alodium privati juris factam : Quando autem ab Imperii clientela defecerit , incertum eſt. Manuſcriptus quidam de Flandriâ Codex , vocat Teneræmondam Francum Alodium , & Reſortum quidem in Flandria debere ; non eſſe tamen Flandriæ Feudum.

Gerardomontium Flandri vocant *Geertsberghe* , Galli corrupte *Grandmond*. Situm eſt ad eundem Teneram , & Aldenarda dumtaxat tribus , Teneramunda vero quinque leucis abjunctum, perexiguum quidem , ſed amœnum valde oppidulum. Conditum fertur â Balduino Montenſi , Comite Flandriæ , anno 1068 , quo tempore de illuſtri quodam Dynaſta , ut ajunt , Gerardo, victoriam reportaverat , cui recens oppidum fecit cognomine. Gerardomontenſis fuit Marcus Nævianus vir inſigniter doctus , & complurium operum ſcriptor.

TERRITORIVM TENERÆMONDENSE.



Habet ditio Teneræmondenſis ad ortum Brabantiam : ubi etiam à ditione Bornehemia Scaldis dividit , ut ad Septentrionem à Waſia Durma. Ad occaſum finitima eſt huic Caſtellania Gandenſis, inde Aloſtana ditio: quæ etiam Meridianum latus claudit. Mediam fere Scaldis ſecat. Tenera etiam qui urbi nomen dedit , per Comitatum Aloſtenſem huc delapſus , aliquam partem rigat. Vnde præter ingentem commoditatem , ſumma etiam terris ubertas. Ager cum omnis generis frumenti eſt ferax , tum etiam canabis , & præ tota Flandria , imo Belgica lini abundans : quod ex adſitis , diſſitiſque locis , hebdomadatim hinc mercatores petunt. Prata irrigua & læta gramine. Sylvæ neque multæ , neque magnæ ; lignorum tamen affatim ex contermina Brabantia advehitur. Pagos univerſim habet ſedecim ; quorum cis Scaldim ſiti ſunt hi : *Opwijck* , *Wetere* , *Bella ad Scaldim*, *Bella ad Teneram*, *S. Gillis cum Swivike* , *Baſerode*, & *Lebbeke*. Vltra vero in latere Flandrico : *Zele*, *Hamme* , *Vuytberghen* , *Overmeere* , *Berlaere* , *Calckene* , *Laerne*, *Grimberghe* , & *Moerſeke*. Ex his omnibus octo tantum cenſentur Tribunalia Principis , Teneræmondæ Domini adnumeratis etiam iis , quæ annos aliquot pignori data fiduciario jure poſſidentur. Sunt autem hæc : *Zele* , *Hamme* , *Wettre* , *Opwijck* , & *Lebbeke*; *Bella ad Teneram*, cum *S. Gillis* & *Swiveke*, *Grimberge*, *Berlaere* , *Baſerode*. Cætera loca à Dynaſtæ clientibus hæreditario jure tenentur.

Pagi in hoc territorio vel immediate Domino Teneræmondæ parent, & duo Dominia fiduciario jure poſſidentur. Omnium agmen ducit *Zele* amplitudine; continet enim 2500 terræ bonaria, fertilitate , divitiis , cæteriſque longe præcellens , numero etiam incolarum tanto , ut cum multis non minimis oppidis queat comparari. Ad ſeptentrionem Durma irrigatur , ad meridiem Scalda , ſed non tanto ſpatio. Illic lætiſſima habet prata , hic nulla : præter alios fructus , maximus hic eſt lini proventus , quod per totum annum varie diſtrahitur ; plurimum tamen nundinatione anniverſali, quæ magna celebritate quotannis celebratur ipſo D. Michaelis.

Sequitur *Hamme* , in limite ditionis ad Durmam flumen , inſignis pagus. Habet ejus dominus præter conſtitutionem Majoris , Meſſarii, Scabinorum , aliorumque munerum , Ius aucupii & venationis : altam vero juſtitiam , relevia feudorum , jus decimarum , in venditionibus optimum cathallum , & mulctas , quæ tres libras excedunt, cum imperio in Vaſallos, aliiſque regalibus , Princeps ſibi reſervavit. In templo Divi Petri humanum os viſitur , in Durma flumine olim inventum , quod femoris eſſe palam eſt ; tantæ magnitudinis , ut ſi cum aliis conferas, in duplum excedat. continet enim in longitudinem quatuor pedes , & ſeſquipollicem ; in ambitu vero qua anguſtiſſimum , tredecim pollices.

Circa fines hujus pagi vicus eſt , cui à Templi nomine S. Annæ nomen. Incolæ Hammenſes cenſentur : parentque eidem Domino , & eorum ſemper aliquis inter Scabinos ejus pagi.

Wettere , in colle media inter Gandavum & Teneræmondam via : unde lætiſſimus quaquaverſum proſpectus , vel in ipſam Gandam latiſſime extenditur , etiam ultra flumen ; ubi complectitur *Eertburam*, procurritque ad uſque Lokeren, Walſiæ pagum. Inibi viſitur vetus illud prætorium *vander Moſt* , Flandris finitimiſque populariter notum ; quod ab antiqua gente *vander Moſt* , nomen habet. Vt Hamme Durma , ita Wettere Scalde ditatur. & ad mille octingenta bonaria pagi amplitudo ſe protendit.

Sequitur *Opwyck* , quod alioquin tertio fere loco numeratur. Hic termini Brabantiæ , & hujus

Belgica. Tt

Terneuſium. *Rupelmunda.* *Flandria Proprietaria.* *Teneramunda.* *Wettere.* *Opwijck.*

jus ditionis concurrunt, eo loco qui dicitur *den Merchtenesschen Cauter*, id est, Merchtenensis planities.

Lebbeke.

Hic vicina est *Lebbeka*.

Denderbelle.

Non procul inde *Bella* est *ad Teneram*: unde etiam vulgo *Denderbelle*, id est *Teneræ Bella* dicitur. Visuntur hic parietinæ antiquæ arcis ad fluminis ripam, quam Incolæ affirmant multis ætatibus demolitam in ruinis jacuisse. Est autem dicta Arx Dominium & Feudum, quod à Teneræmondæ Domino tenetur. Cujus ratione licet possessori majorem statuere, qui cum Feudatariis hæredat & exhæredat, quoad ea quæ dicto dominio subsunt. Olim fuit in familia *de Masseme*: Post *Masminios* fuit gentis *Vyterswaenen*, nunc *Yedeghemii* potiuntur.

Sant Gilles.

Propius urbem pagus est, qui *S. Ægidii* dicitur: olim vero *Swiveka* & *Swevika* vocabatur.

Grimbergen.

Alia parte ultra Scaldim vicina est *Grimberga*, ab incultis montibus nomen habens. *Grim* enim prisca lingua tetrum, ferum, torvum, & incultum notat. Et quidem habet hic pagus incultos aliquot colles, sed aliorum locorum fertilitas, quam vicinus Scaldis affundit, facile hoc soli vitium compensat.

Berlaere.

Grimbergæ quoad inculta dissimile non est *Berlaere*, ubertate tamen fructuum longe impar. Locus est natura munitissimus: Nam præterquam quod multis partibus, præsertim meridiem versus colles tuentur; habet insuper à latere, fronte & tergo Scaldim, cujus alluvia intra aggerem ad Incolas spectare, nuper à Principe definitum: quæ autem extra aggerem & nunc sunt, & in posterum Scaldis adjiciet; ab Archiducum Quæstore *Carolo de Steelandt*, emptione sui juris fecerunt. Alterum vero latus longo tractu paludstria tegunt; in quibus sparsim locus est naturæ miraculo memorabilis, præter accolas paucis notus. Hujus ea natura est, ut cum quotannis omnem circumquaque paludem aquæ tegant; licet æque declivis, semper tamen emineat; neque ab hominum memoria umquam mersus sit; sed semper supra quamvis undarum altitudinem surrexerit, cætera frugifer, & salubris; sive spongiosa terræ cavitas id efficiat, sive intus levis materiæ abundantia mergi vetet, sive occulta aliqua ratio in caussa, non definio. Eodem pago, ea regione, quæ collibus adjacet, ad australe templi latus, ingentes lacus visuntur: qui etiam, non acclivi modo situ, & variorum piscium abundantia mirandi sunt; sed insuper, quod æstate, ubi hic illic aliqua tepet, alibi glaciale ingressis affundat frigus: sive scaturigo aliqua id effecit; sive occulta naturæ vis, incertum.

Locus memorabilis.

Baserode.

Superest *Baseroda*. Etenim id nomen latius se diffundit, quam Teneræmondæ Dominus mediate vel immediate possidet. Complectitur enim varia loca ad ripam Scaldæ, contiguis omnia limitibus; quæ distinctionis caussa alia insuper nomina adsciscunt; nempe *Baserode*, *Vlassenbroeck*, *Sancti Vrsmari Baesrode*, *Sancti Amandi Baesrode*, & *Sanctæ Mariæ*, sive *Mariekercke Baesrode*. An olim hæc omnia unica Baserode appellatione comprehensa sint, & dein cum ad commoditatem populi varia templa structa sunt, à templi nomine nomen acceperint, incertum; etsi verisimile. Suum tribunal habet: pendetque à Teneræmondæ dominio, qui Majorem illic statuit, & septem Scabinos: Hoc tribunal Baserodii *externum tribunal* vocant; ad distinctionem sui tribunalis, quod *internum* dicitur. Veteres autem memoriæ *Tribunal Regium* illud indigetant; quia Regi Teneræmondæ Domino immediate suberat.

Basseroda vero *sancti Vrsmari* postquam diu conjunctim cum Moerseke dominio possessa esset; tandem etiam seorsum dominii titulum accepit, & in externam familiam commigravit.

Mariekercke Basseroda vero extra limites Teneræmondensis dominii sita, ditioni Bornehemiæ subcensetur; At vero paullo amplius juris in *S. Amandi Basserodam* Domino Teneræmondensi esse, non hinc solum liquet, quod tertiam partem mulctarum, & optimi cathalli hic habet, quam debent omnes, exceptis civibus Alostensibus, & Gerardimontanis, sed etiam quod olim Robertus primogenitus Guidonis Flandriæ Comitis, ut Dominus Teneræmondæ cum Abbate *S. Amandi*, & *Leonio Domino de A*, milite, itidem dominis, præscribit hujus pagi cultoribus statuta de mulctis & pœnis. Habet dominus omnem Iustitiam civilem & criminalem, omnis generis, cum omni jure quod competit Dominis habentibus altam justitiam. Et inter cætera recipit tertiam partem mulctarum, & optimi cathalli ab omnibus incolis, exceptis civibus Alostensibus, & Gerardimontanis; alterum trientem Teneræmondæ Domino deberi jam dixi. Tertium caput Grimbergæ Dominus. Incolæ ejus loci sunt immunes à vectigalibus, impositionibus, & militia; cujus immunitatis gratia sunt devincti Dominis Teneræmondæ & Grimbergæ singulis annis in unum diem mittere viginti quinque viros ad fodiendas urbis fossas: Antverpianis itidem, ad fodiendum veterem rivum ejus urbis dictum *de Burchtgracht*, (id est Burgi fossam) eaque ratione, sunt liberi à telonio, ubi Teneræmondani & Grimbergenses, & ubi subditi Marchionatus Antverpiensis fruuntur ea libertate, exceptis Civibus Alostensibus & Gerardimontanis.

Novus Burgus vicus magis est in suburbio quam pagus: nullum enim hic Tribunal, aut Scabini. Itaque oppido accensetur, & iisdem utitur privilegiis. Locus est munitioni opportunus, inter paludes, quæ à nomine vetusti sacelli, cujus nunc nihil præter locum ostenditur, D. Odulphi paludes dicuntur, & duo flumina, Scaldam & Teneram: habuitque non antiquitus solum, sed etiam nuperrimo bello arcem, quæ tamen excisa est.

Pagi, qui à Domini subditis, in clientela hæreditario jure possidentur, habent singula sua sibi Tribunalia, ubi Domini per Prætores, Majores, & Scabinos, quos ad lubitum statuunt & destituunt, Iustitiam exercent civilem & criminalem. Varias insuper habent clientelas; dein piscationem, aucupia, venationem, cygnos: præterea redditus pecuniarios, & aliarum rerum Optimum insuper cathallum eorum, qui iis locis moriuntur, sive Indigenæ sunt, sive Inquilini, sive Peregrini, nisi aut natalibus, aut inscriptione Teneræmondæ civitatem sint adepti. Præter hæc certa emolumenta, cum arvorum possessor

mutatur

mutatur, aut emptione, aut mutatione, morte etiam, si feudalia bona sint: Confiscationem adhæc, & nothorum bona, eaque quæ incerto possessore aut relicta sunt, aut in ripas ejecta: Ius item arrestandi, captivandi, dimittendi: Quæ omnibus fere communia, semel hic ob oculos pono; ne sæpius iterando Lectori molestiam pariam, & fastidium, sunt autem hæc: Cis Scaldim, *Schelle-Belle*: trans Scaldim vero *Moerseke*, *Vytberge*, *Overmeere*, *Calckene*, & *Laere*.

Schellebella, quasi *Scheldebella* dicitur; Latine *Bella ad Scaldim*, in cujus crepidine sita est, ad discrimen alterius *Bellæ*, quæ eadem ratione *Teneræ Bella* dicitur. Habuit olim insigne ad Scaldim Prætorium, sed eo per nuperi belli turbas exciso, novo eoque ampliore ædificio exornatur. Forum habet spatiosum, celeberrimum annali nundinatione, equorum præsertim. In hoc pago, loco qui *Tusschenbeke* dicitur, Cœnobium est Virginale, cum Præpositura Præmonstratensi; olim in Cerscamp Alostanæ ditionis pago, ab Swani Alostensis vidua fundatum anno 1138. Cæterum quem locum Cœnobio suo ea vidua legerat, posteritas mutavit, hac præsertim ratione, quod ita circumquaque serpentes omnia infesta redderent, ut ne altaria quidem ab hoc malo essent tuta. Obit adhuc Præpositus, quem ab Abbate Tronciniensi accipiunt, Pastorale munus in Cercamp ne omnino primæ institutionis memoria abolita videatur. Appendix Scheldebelle est *Wanfele*. Ante duo sæcula vero & amplius, triens *Schellebelle*, cum *Eertbrugge* (quæ certa Regio est hujus pagi, suis etiam privilegiis & immunitatibus ornata) erat penes familiam *van Belle*.

Vltra Scaldim prima *Moerseca* occurrit, intra primum ab urbe lapidem sic sita, ut potissimam sui partem alluvioni debeat. Hanc longo ambitu Scalda munit: cujus etiam hic antiquus alveus visitur, qui aggeribus excluso amne utilem piscationem ministrat. Non procul à ripa antiquæ molis rudera visuntur, cujus rei, aut temporis, vulgo incertum. Incolæ arcem fuisse existimant, ut alibi multæ circa fluminum ripas. didici, vetus Moersecæ Dynastarum domicilium fuisse. Duplex hic est Scabinorum ordo, quorum prior cum Prætore agrorum, arvorum, & universim pagi res curat: alter cum Sculteto ea quæ ad paludes & prata spectant. Est in hujus dominii finibus celeberrima statio navium eo loco, qui *drie Goten*, id est *tres Canales* appellatur. Inter quadraginta Feuda, quæ hujus Dominii beneficio possidentur, clientelam Moersecæ Comarcho debet Basserodæ S. Vrsmari Dominus, ratione ejus dominii, quod à Moerseca dependet. Iunctum id à prima origine Moersecæ existimem, quia illius est Feudum, & aut partitione hæreditaria, aut aliàs divulsum. Est autem *Basseroda* sita ad Scaldim, intra primum ab urbe lapidem, habetque celeberrimam stationem navium, quæ indies ultro, citroque Antverpiam commeant, statis ad æstum temporibus. Hujus agrum ita Scaldis suo fluxu & refluxu detexit, ut ab uno anno, vix credibile terræ spatium gurgite hauserit; quod ad oppositos Moersecæ aggeres allisum, multa pratorum jugera illi pago adjecit. Templum habet divo Vrsmaro sacrum, amœnissimo ad flumen situ.

Præter Basserodam aliud insuper dominium Moerseca complectitur, quod *Castelle* vocant: cujus titulo conjunctim cum Moersecano Domini antiquitus usi.

Sequuntur pagi duo, *Vijtbergen* & *Overmeere*, quorum ille à vicinis Berlaræ montibus, aut tumulis potius nomen habet, ut si dicas *Extra Montes*. hic vero à situ ultra lacum, qui Vytbergæ: unde etiam inibi plateæ nomen, *de Meerstraet*, id est, *Lacûs platea*. Prior ille pagus est ad Scaldim, qui fluvius prata quotannis inundans, magnam herbis & pecoris adfert ubertatem. Alter in vicinia. Illius titulum Dominus præfert ob antiquitatem. in *Overmeere* ædes toparchæ: præter ædificii antiquitatem, loci amplitudinem, villæ commoditatem, amœnissimæ sunt vivariis, arboretis, hortis.

His contiguum est *Calckene*, Gandavo & Teneræmonda æqualiter distans, cujus extrema longo tractu Scaldis beat: ex quo navigabilis rivus, cum commodissima statione manu ductus est anno 1540. Oppidulum hic olim stetit, ut vetus inter incolas narratio est, eo vico qui *Rot* dicitur, opportuno ad Scaldim loco: ejusque rei argumentum, varia sparsim fundamenta, quæ adhuc indies eruuntur. Dein plura hic antiquitus fuere Prætoria, & ex iis potissima duo, in vicis Raveschoot & Gavere: atque ibi quidem Flandriæ Comites domum venatoriam, hîc vero priscam gentem de Calckene domicilium habuit.

Extremus ditionis Teneræmondanæ locus est *Laerne*; ad limites Castellaniæ Gandensis, & ditionis Oudenburgicæ; qui & ipse uberrimo Scaldis amne ditatur. Arcem habet vetustam, cujus varie Annales meminerunt.

Scabini Capitales sive majores, & eorum munus.

Præter Majores & Scabinos dictorum locorum, qui vel mediate, vel immediate Teneræmondæ domino parent; universim insuper dictis pagis, & quodcunque est territorii Teneræmondani præsunt Septemviri, ex domini pagis electi, quos Scabinos Capitales vocant: habentque nunc ut Scabini urbani, Syndicum, Quæstorem ærarii, & Scribam. Horum est homines territorii, & privilegia universim, & singulatim tueri; rem nummariam curare; assensu Principis tributa indicere; partitiones singulis pagis transmittere; & de his quotannis coram Domini delegatis rationem dare. Præterea si quid olim in materia civili controversi, & dubii, in judicando Scabinos dictorum tribunalium morabatur, ad hos deferri solitum, ut sententiam suam exprimentes, eam nomine scabinorum pro tribunali, ubi caussa ventilabatur, pronunciari mandarent: idque vocant, ut jam dixi, ad Caput ire, & sententiam capitalem. Duravit autem ea consuetudo capitalis sententiæ, ad nuperos usque Belgicæ tumultus, ex quo in desuetudinem abiit. Hos exstitisse, & insuper quod de capitali sententia dixi, usitatum fuisse, vel ante Roberti Advocati tempora, id est, circa annum 1200, satis liquet ex ejus conventione cum Capitulo Cameracensi; ubi hæc sunt verba: *Et sciendum quod dicti Scabini de Odenghem, pro enquesta quæstionum de hæreditate, & cathallo, debent ire ad Scabinos terræ de Tenremonda, ad quos usque nunc iverunt; pro enquesta vero aliarum querelarum, & forefactorum, ibunt ad Scabinos de Tenremonda,*

monda, vel alibi infra dominium terræ de Tenremonda, prout Ecclesiæ Cameracensi videbitur expedire. Itaque ævo priores videntur septemviris Wasiæ, quos demum anno 1241, à Ioanna Comite Flandriæ, & Thoma Sabaudo ejus marito, institutos constat. Eos video conventum & consessum habuisse in arce, sive domo Teneræmondana: Quod palam facit transactio Roberti Guidonis primogeniti, cum Canonicis Teneræmondæ; super mulctis in Moorsele, Wiese, & Gheverghem; ubi hæc verba: *In omnibus forefactis, & infracturis, in locis prædictis evenientibus, super terris & tenemento dictorum Canonicorum; in quibus Dominus Teneræmondensis participat, judicare debent dicti Scabini secundum legem & statuta Hominum Domini Teneræmondensis; & ad eos venire, si opus fuerit, ad enqueстam: in reliquis vero in quibus Dominus Teneræmondensis non participat; ad Scabinos Capitales terræ Teneræmondensis, in domum de Teneræmonda, veniant ad enqueстam, & secundum eorum legem, & statuta judicent de eisdem.* Vbi illud etiam notandum est; legem & statuta eos habuisse, quæ penitus interciderunt.

Quantum ad Flandriæ expensas ditio hæc conferat.

Nunc ut tamquam è tabella Lector videat, Teneræmondæ, ejusque territorii opes, & amplitudinem; operæ pretium facturus videor, si cujusque pagi terræ utilis dimensionem hic subjungam, ut facta est anno 1552. & insuper ex censu sive transporto Flandriæ, ut vocant, quantum ad communia Flandriæ tributa, ab hac dynastia conferatur. Et quidem quoad oppidum, id in centum libras, quas omnis Flandria confert, solvit decem solidos, id est, ex ducentis libris unam. Territorium vero viginti novem solidos: eaque ratione, in mille libras, quatuordecim libras, & decem solidos: fitque partitio hunc in modum, quæ à dictis *Scabinis Capitalibus* ad singula loca transmittitur.

Zele continet 1903 bonaria, dodrantem & 24 decempedas: solvit duas libras, & unum solidum.

Hamme continet 1439 bonaria, dodrantem & 22 decempedas: solvit libram & septem solidos.

Opwijck continet 1113 bonaria, quadrantem, & 56 decempedas: solvit libram & octo solidos.

Wberge & Overmere 983 bonaria, dodrantem, & 46 decempedas: solvit octodecim solidos.

Berlaere continet 9034 bonaria, dodrantem, & 106 decempedas: solvit sexdecim solidos.

S. Gillis, Belle, & Swiveke, continent 601 bonaria, & quadrantem, solvunt simul unam libram.

Wettere cum *Lichtervelde* continet 1273 bonaria.

Schellebelle cum *Wansele* 570 bonaria, quadrantem, & 64 decempedas: solvunt simul cum *Wettere* duas libras & duos solidos.

Laerne continet 940 bonaria: solvit cum *Lichtervelde* quindecim solidos.

Calckene continet 1071 bonaria: solvit unam libram, & duos solidos.

Grimberghen continet 545 bonaria, & semi, & centum decempedas: solvit duodecim solidos.

Moerseke continet 381 bonaria, & semi, & centum decempedas: solvit novem solidos.

Baseroede & Vlassenbroeck continent 468 bonaria, & sedecim decempedas: solvunt sedecim solidos.

Lebbeke continet 951 bonaria, quadrantem, & 72 decempedas: solvit unam libram, & quatuor solidos.

Summa hujus partitionis, ut ante dixi, continet quatuordecim libras, & decem solidos, in singulas mille libras; Territorii autem amplitudo 13 millia bonariorum complectitur, & insuper 193 bonaria: dodrantem & octo decempedas.

Prædicta autem partitio ita decreta est, sub Carolo V Cæsare. Fuerat quidem ante conscriptus hujusmodi census sub Roberto Betunio, & multo post sub Ioanne Burgundo Ardenburgi: sed cum uno & amplius sæculo, magna mutatio locorum facta esset, aliis locis bello vel inundatione minutis, aliis contra auctis, eaque ratione illa distributio ad inæqualitatem recidisset, novoque ad id opus esset æquilibrio; missi Teneræmondam à Carolo Cæsare *Guilelmus de Wael* Eques, Hansbecæ & Axpoelæ Dominus: *Petrus vanden Houte*, & *Adrianus Rokeghem*: qui quanta fieri potuit accuratione, modum Iustitiæ distributivæ servantes, novum Flandriæ censum condidere, qui adhuc est in usu, & erit: donec ob dictas causas nova iterum erit opus partitione. Hujusmodi autem censum *Transportum* vocant, quod cum Roberto Bethunio ex iniquissimo carcere redimendo, Flandri Regi Philippo Pulchro viginti millia nummûm Turonensium (Meyerus triginta millia dicit) promisissent, datis pignori Insulis, Duaco & Orciaco; ejusque summæ semissem præsentanea pecunia redemissent, reliquum pro opibus singularum urbium, pagorumque in Regem transportarunt. Quam tamen pecuniam falsis hostium pollicitationibus adductus, ad se Robertus retraxit: relicto Regi pignore, & renunciata redimendi facultate. Quam Galli perfidiam, utraque egregie gens luit: neque ulla umquam solida pax coiit, donec hæreditate materna Ludovicus Maleanus dictas urbes recepit.

Præter ea quæ diximus loca, insuper territorii Teneræmondensis censentur alia tria, quæ quidem non æque ac superiora huic Dominio subsunt, cum jam diu facta Ecclesiastici Iuris amortisata dicantur; Feudo tamen tenentur ab hujus dynastiæ curia, & quamvis cum cætera ditione in censu Flandriæ non contribuant; suum tamen onus pendunt cum hoc oppido; idque certa proportione, sunt autem *Appels*, & *Odenghem*, *Eeghen*: contiguis omnia limitibus inter Teneram & Scaldim.

Appels.

Et quidem quod ad *Appels* attinet, id nomen habet à *S. Appollonia*, quæ nostra lingua (ut & Apollonius) *Appels* dicitur: ad cujus memoriam celeberrima hic quotannis peregrinatio; quia cum primis creditur averruncare dolores dentium. Omnem hunc pagum, *excepta hæreditate Domini Teneræmondensis, & servis quos ibidem habebat*, legavit *Margareta Domicella de Tenermonde*; Roberti Betuniæ & Teneræmondæ Domini matertera, Abbatiæ Swivecanæ Ordinis Cistertiensis; cum omni jurisdictione, civili & criminali. Quæ donatio ut rata foret, curavit eam confirmari.

In finibus hujus pagi trajectus est ultra Scaldim, qui à Canonicis Teneræmondanis in clientela Principis possidetur. Cæterum alluviones ad Incolas spectare, sub annuo censu, nuper à Prin-

Principe definitum; non solum cis flumen, sed etiam ultra, eo loco, qui dicitur *het Eylandt*, id est *Insula*, quam Scaldis novum quærens alveum, à cætero pagi corpore avulsit.

Sequitur *Odenghem*, quod nunc vulgo *Oudeghem*, & *Auweghem* dicunt; id partim est alodium Ecclesiæ Cameracensis, partim vero nostræ Curiæ Feudum. quatenus alodium, datum est illi Ecclesiæ à Gerardo Secundo, trigesimo tertio Cameracensium Præsule. Quod reliquum est Feudum Curiæ Teneræmondensis, id Canonici pretio suum fecere, cum ante esset Elisabethæ de Blauwere, uxoris Reginaldi Boccaert. Est autem Feudum hoc dominium, quod complectitur circiter sexaginta clientelas, & alia insuper triginta quatuor hominia; sed quæ non stant judicio tribunalis hujus dominii. Sunt autem ea sparsim sita variis in pagis, *Mespelaere*, *Nieukercke*, *Everghem*, & *Leeuwe*, in ditione Alostana.

Præter *Appels* & *Oudeghem*, de quibus dixi, Teneræmondæ insuper accensetur *Eeghene*, quod dynastarum dono jamdiu ad Abbatiam Affligemensem translatum est; habeturque Feudum quod Teneræmondæ Domini beneficio possidetur. Suum Tribunal habet; sed in Ecclesiasticis subcensetur Wichlinæ, pago ditionis Alostanæ.

Supersunt *Wiese*, *Moorsele*, *Gheverghem*: quæ loca partim familiæ Teneræmondanæ,nunc etiam, quatenus Canonicis subsunt, Teneræmondæ Dominio annumerantur; solentque ut reliqua, ad dictos Septemviros sive Scabinos Capitales Territorii, *ad inquestam* ire, ut ex variis, quæ supersunt, sententiis liquet. Sciendum inter Teneræmondam & Alostum esse, ultra Teneram.

Et quidem quod ad *Wiesam* attinet, ea in priscis diplomatibus *Winsia* appellatur. Est autem partim alodium, quod dono Ringoti & Adelwidis Dynastarum Teneræmondæ, ab hujus oppidi Canonicis possidetur; continetque tertiam totius pagi, estque à vectigalibus, impositionibus, aliisque hujusmodi oneribus immune, ad militares tamen expensas Præsidii Teneræmondani cum hoc oppido contribuit. Reliquum vero Feudum est, quod à Comitatu Alostensi tenetur. Spectabat autem nuper ad nobilem gentem de Yedeghem; nunc Pontificio consensu permutatione per Ioannem de Yedeghem Wiesiæ Dominum, cum Canonicis facta, allodium hoc eidem Feudo connexum est, aut connectendum putatur.

Sequitur *Moorsela*, partim ditionis Alostanæ ut dixi, partim Alodium; quod itidem Canonici Teneræmondenses, veterum præbendarum ut vocant, possident, dono dictorum dynastarum Ringoti & Adelwidis. Complectitur autem pagi duos trientes: habentque ibidem Majorem, & septem Scabinos: quorum tres ex Wiesia deliguntur, ceteri hinc. Hi justitiam exercent civilem, & criminalem, iis locis qui Canonicis, ut Dominis, sunt obnoxii. Criminales tamen sententias Prætor Teneræmondanus exsequitur. quatenus autem hi ditionem habent,eatenus immunitas viget, qua Wiesæ incolæ, Canonicorum subditi gaudent. Reliquum Alosto subcensetur.

Porro *Gheverghem* etiam Alodium est, *Moorselæ* contiguum: in quod ex dictorum Ringoti & Adelwidis dono, soli Canonici nostri jus habent.

Tria hæc alodia, quæ dixi, cum prædicti Canonici jam ad annos 153, libere, ut ajunt, possedissent; tandem Robertus Guidonis primogenitus, paululum eorum jus restrinxit: ut patet ex contractu, qui ea de re & usu & scripto superest,cujus etiam verba hic citat Lindanus,de anno 1264, Feria quinta post B. Mariæ Magdalenæ mense Iulio. Hanc etiam conventionem approbavit Roberti & Canonicorum rogatu,Episcopus Cameracensis: & nuper etiam Philippus II Austriacus: nominatim illum articulum de immunitate,ab exercitu & chevalcia. Sed ejus diploma ne cui in posterum fraudi sit, visum hic errorem detegere, qui illorum vitio irrepsit, qui Regi supplicarunt. Nam cum dono Remigii sive Ringoti Calvi, Moorselam Canonici adepti sint, ut jam monui, & supra liquido constat, ex Odardi Præsulis diplomate; ejus tamen donationis auctorem Robertum Comitem per ignorantiam faciunt. At vero conformiter ultimo illi dictæ conventionis articulo, & 27 cum Capitulo Cameracensi, horum pagorum incolæ cum aliis nonnullis, comparuerunt coram Senatu Teneræmondano.

BORNHEM BARONATVS, ET CASTELLANIA.



Ornehemium titulo Baronatus nobile Dominium, una est Ditionum illarum in Flandria, quas Castellanias vocant; talique nomine insignitur in libro Edictorum, in quo census Flandriæ positus, ad 14 Aprilis anni 1517. unde in hanc usque diem auctoritate gaudet, & prærogativis, quæ aliis per Flandriam Castellaniis concessæ sunt. Et declaratum id sententia Consilii Regii Mechliniensis ad 15 Iulii anni 1633 contra inquilinos pagi de Hinghene, qui se eximere nitebantur. Est autem Bornehemum ea ditio, quæ, sicut Teneræmunda & Gerardimontium, constituit tertium illud in divisione Flandriæ membrum, censenturque juris proprii, aut, ut Meyerus ait, *Optimo jure prædia, ac nulli obligata*. Quod, quoad Bornhemium, de priscis Dominis Flandriæ Comitibus intellige:qui ejus ratione neque Cæsari, neque Gallo fuere clientes; alioquin de hodiernis secus est:nam postquam ad Flandriæ Comites semel devenit; ea lege divulsum est, uti in eorum clientela possideretur. Limites habet ad ortum *Rupellam* fluviolum, qui illud fere peninsulam facit; (amnis est Nethæ & Diliæ, inquit Lindanus, qui juncti eo loco, qui vulgo

Limites.



Tonghsken, id nomen adſciſcunt : forte à curvato, erucarum more , fluxu & flexu. Nam & ſubtumidus eſt Rupella,& multos exiguo ſpatio meandros habet : & nos erucas , quæ ſimili inceſſu, *Ruypen* vocamus) ad meridiem limitanea habet dominia Depuers & Oppuers in Brabantiæ Ducatu ſita, & pagum S. Amandi, rivulum item dictum *Coninxbeke* (id eſt, Regis Torrentem;) ad ſeptentrionem Scaldi cingitur, ad occaſum item, & pago S. Amandi. Complectitur autem intra dominii ſui limites , *Bornehemum* , *Hinghene*, *Haeſdoncq*, *Wintam*, *Eycke*, *Luypeghem*, & *S.Mariæ Baeſrodam*, dictam *Mariekercke*; nam quod ad dominium de *Opdorp* ſpectat, quanquam ejuſdem Caſtellaniæ membrum ſit, ſitu tamen disjungitur , eſtque limitaneum terris de *Malderen* , *Buggenhout* & *S. Amandi*.

Parochiales Eccleſiæ 4.

Quatuor in ea ditione ſunt Parochiales Eccleſiæ, *Bornhemum* , quæ ſacra D. Ludgero ; *Mariekercke*, quæ titulum habet Virginis Matris, ſub Patronatu Capituli S. Iacobi Lovanienſis ; *Hinghene*, cujus dominio temporali potitur è gente nunc Scetzia, Baro de Hoboke , & Eccleſiæ quæ titulo S. Stephani protomartyris inſignitur, Patronatu Mechlinienſis Archipræſul, ut Affligemii Abbas, Haeſdoncq ; hæ Parœciales : aliis duabus , videlicet *Opdorp* & *Eycke* , per Sacellanos deſervitur.

4 Tribunalia.

Quatuor itidem ſunt in hac ditione juri dicundo conſtituta Tribunalia , quæ omni juſtitia potiuntur. In *Bornhemo* videlicet , *Hinghene* , *Mariekercke* , & *Opdorp* ; inter quæ Principem obtinet locum , tribunal Bornehemenſe , ubi & Iuſtitiæ adminiſter Magnum ſe Prætorem indigetat, adjunctoque ſibi Bornehemenſi Senatu , ſecundum veterem Flandriæ calculum , partitur onera tam ſolita , quam inſolita , ut militum hoſpitia , & alia , quæ in hac ditione enaſci ſolent. Intra limites municipii Bornhemenſis exſtat Prioratus ordinis S. Benedicti Eccleſiæ Parœciali unitus , qui per vetuſtos Bornhemii Dominos olim erectus , fuit primum Abbatia Canonicorum Regularium , quorum cum res fractæ bellis , & alia temporum injuria pæne dilapſæ eſſent , uniri Cœnobio Affligemienſi cupierunt , atque ita in Prioratum ordinis Benedictini præfata Abbatia converſa fuit , & in hodiernam uſque diem ſic perſeverat. In ea Abbatia , conditor Wenemarus Caſtellanus Gandenſis ipſe humatus fertur, ejuſque id monumentum fuiſſe (res hæc certo non nititur fundamento , quanquam aſſerat Lindanus) quod ante ſacra hæc bella ſpectabatur circa Cryptam , ad ſeptentrionale templi latus ; Lindanus ait ex collectaneis Gaillardi , qui etiam Felcardum Caſtellanum Gandavenſem , Wenemari avum , hujus Abbatiæ conditorem exiſtimat. Ejuſdem gentis alterum ibidem ſepulcrum viſitur cum antiqua effigie, armata lorica , caſſide , clypeo , in quo , familiæ Caſtellanorum ritu , (quod cum Eſcarbunculo Armorum Reguli vocant) inſignia , & gladio in manu , cujus mucro ſurſum erectus , ſaxo adhuc inſcriptum legitur ; *Sigerus Caſtellanus*. Gandenſem Caſtellanum nemo fuiſſe dubitet, tum quod hoc dominium ſtirpis olim Gandaviæ , tum quod Gandenſibus Caſtellanis peculiaris ille ſcribendi mos fuerit. Cæterum Priori huic , & Religioſis jus nominandi Paſtores tam in Bornhem , quam Hingene & Haeſdoncque , licet competere videatur , hujus tamen juris poſſeſſione excidiſſe , quoad Hingene & Haeſdoncq videntur , ubi , præter oblationes , Priori Bornhemenſi cedentes , ſolemnibus Feſtis , nihil habent.

Arx.

Ad ripam veteris Scaldæ , qui iſtac præterlabi ſolebat , Arx viſitur fortis & antiqua , cum turri mediam

mediam aream occupante, quæ cum ad Ripam fluminis illic structa censeri debeat ad muniendum locum, merito antiquitatis ultimæ opus esse credemus, cum cætera quæ adhærent recentiora sint. Constat etiam diplomate ad annum 1223, à Toparcho Bornhemensi aquaticam molam erectam, ad locum vulgo *Cortlandes*, quod fieri aliter non potuit, nisi fluvio istac præterlabente. cujus etiamnum reliquiæ vetus Scalda appellantur, quæ ad leucam grandem se protendunt, sub dominio Baronis constitutæ, piscatione & anatum captura felices.

Bornhemi incolis olim dedit privilegium Guido Flandriæ Comes, quod ex Colomensis familiæ Bornhemium nunc possidentis, Archivis descriptum publici juris fecit Lindanus.

Leges etiam, & libertatem, quas aliquot ante annis Mariekercæ incolis Hugo de Gandavo Castellanus Gandensis dedit, antiquitatis interesset, nisi hic darem. Sunt autem hæ:

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, salutem in perpetuum. Quoniam fragilis est hominis vita, & labilis memoria, & ea quæ in mundo fiunt, citius ab humanis sensibus evanescunt; necessarium est, ut quæ ad posteriorum notitiam pervenire debent, studio solerti scripto commendarentur. Eapropter ego Hugo Gandensis Castellanus, uxorque mea Oda, filiusque meus Hugo primogenitus, notum facimus omnibus tam præsentibus quam futuris, præsens scriptum inspecturis, quod villam de Baserode S. Mariæ, liberam sub hac forma constituimus:

Vt inhabitantes, villam liberam mensuras quinquaginta pedum latitudinis, & centum pedum longitudinis habeant: & singulæ mensuræ, singulis annis duos solidos Flandrenses, & duos capones, nobis & successoribus nostris solvant.

Concessimus etiam eis, ut habeant viginti bonaria palustris fundi, ad opus ignis, hoc modo: quod de quinquaginta jugalibus vehiculis, nobis duos solidos Flandrenses solvere teneantur. Et si quis plura vehicula reperit; magis solvet: & qui minus; minus.

Si quis vero inventus fuerit superflue plures turbas (id est cespites) sibi attrahere; sub forefacto quinque solidorum Flandrensium erit. Et si cui vendiderit; viginti solidorum prænotati numismatis nobis reus tenebitur.

Si quis etiam Burgensium forefecerit in tantum, quod coram Iudicibus & Scabinis comparere minime ausus fuerit; nobis decem libras Flandrensis monetæ persolvet: & insuper alienabitur à villa libera per annum; nec redire in eandem, nisi de consensu Castellani & Scabinorum, ei licebit.

Si quis Burgensis, alterius sanguinem fuderit; nobis trium librarum Flandrensium reus tenebitur.

Si quis alterum percusserit sine sanguinis effusione; nobis viginti solidos Flandrenses, & de conviciis & opprobriis quinque solidos persolvet.

Si quis extraneus quoque, prædictorum modo, in Burgensem, infra libertatem liberæ villæ excesserit; duplici pœna punietur.

Constituimus etiam quod Burgensis ejus dictæ villæ, nec Castellano, nec successoribus suis, nisi in propria terra, & infra Teutonicam Linguam, debeat assistere.

Si vero Castellanus, vel successor ejus, in communi exercitu captus fuerit; Burgenses consilio Scabinorum in deliberationem ipsius, manum auxiliatricem, & ad militiam filii sui primogeniti, & ad desponsationem filiæ primogenitæ, eis debent porrigere.

Et si contigerit quod aliquis extraneus dictam villam residendi causa introierit; intra annum se & sua introducet, & nulli alias respondere tenebitur.

Et si quis Burgensium utriusque sexus obierit infra libertatem; proximus extraneus non habet apponere in domum suam, nisi in eadem libertate manserit: & hoc Castellani & Scabinorum fiat consilio.

Constituimus etiam de thelonio: quod si quis extraneus vendiderit equum vel equam, vel extraneus emerit infra terminum libertatis; venditor dabit duos denarios, & emptor duos; & si quis extraneorum vendiderit aut emerit vacuum pecus, quod supra decem solidos valeat; emptor dabit duos denarios, & venditor unum. Nec aliquis Burgensium solvet thelonium qui cumque infra ambitum libertatis novæ villæ emerit, vel vendiderit.

Insuper servi Castellani in villa libera permanentes, libertate villæ prænominatæ privabuntur.

Constituimus etiam pro bono pacis: quod ubi Castellanus pro alieno excessu decem libras acceperit; ille qui injuriam passus est, quinquaginta solidos recipiet; & ubi Castellanus tres libras acceperit, injuriato quindecim solidi persolventur; & ubi Castellanus viginti solidos acceperit; quinque solidi Flandrensis monetæ, injuriato tribuuntur.

Si vero contigerit, quod aliquis extraneus ad inhabitandum liberam villam advolaverit; Castellano duos solidos, & Officiali suo quatuor denarios, & singulis Scabinis duos denarios, & hos Flandrenses persolvet.

Injuriatus etiam Burgensis, si queri neglexerit, idem patietur, quod injurians.

Censum quidem liberæ villæ tenentur Burgenses in festo S. Andreæ solvere; quod si in eadem die non solverint: cum fore facto duorum solidorum Flandrensium persolvent.

Et si quis Burgensis alias detentus fuerit, sive justè, sive injustè; Comburgenses sui tenentur ipsum liberare tali conditione; ut si juste fuerit detentus, liberare debent detentum sumptu ipsius: & si injuste; cum sumptu liberæ villæ revocabitur.

Et notandum: quod quidquid paginæ præsentis forma non continetur; Scabinorum judicio relinquimus terminandum.

Vt igitur præscripta rata permaneant, & inconvulsa, & ab omni exactione liberrima: sigillorum nostrorum appensione, sub jurejurando roboravimus. Actum anno Domini 1528, mense Martio.

Eodem in pago Asylum est, quo se fontes in dies recipiunt, ob inviolatam loci immunitatem.

Domini Bornhemienses.

Consentiunt Historiographi Flandriæ Ottonem Imperatorem, cum is Imperii limites contra Francos munire vellet, Gandavi ad ripam legiæ arcem excitasse, quam ad discrimen veteris Castri Ganda, seu illius quod antea quoque à Balduino Ferreo conditum erat, Castellum novum appellarunt. Arcis illius præfectura primatibus viris commissa fuit, qui Comites nominati sunt, quorum sub potestate & jure posita quatuor officia cum oppidis suis, Asseneda, Bocholt, Axela, & Hulsto, adjuncta Wasia, & ditione Alostana; præcipue, ut annonam inde miles præsidiarius habere posset. Hujus rei præcisum memorare initium non exiguus labor sit: Constat hoc tamen è primis Comitibus illis Wychmannum ad 961 Christi annum vixisse, & Lutgardem Arnulphi Flandriæ Comitis, seu Marchionis filiam, conjugem habuisse. Hunc è Bilingia nobilissima Saxonum familia oriundum fuisse, non pauci arbitrantur. Secuti Wychmannum alii Comites pari auctoritate & imperio,

rio, donec à Flandriæ Principibus ea Arx Cæsaribus erepta fuit, in qua cum alii præfecti titulo Castellani positi essent, Comites in Alostanam ditionem secessere. Primus autem è Castellanis fuit Lambertus, qui à Balduino Barbato Flandriæ Comite, qui ope præcipue hujus Lamberti arcem novam ab Henrico II, Imperatore, ceperat circa annum 1007, id munus hæreditario jure posteris etiam suis cessurum accepit. An autem veteres Gandæ Comites, ditionem hanc Bornhemiensem cum aliis dominiis suis supra memoratis habuerint, hactenus non liquet, sicut nec per titulos certos aliave authentica hactenus documenta constat, è Comitum illorum stirpe hunc *Lambertum* fuisse: quanquam à non paucis id asseratur. Probabile tamen id omnino cum Gandavensi Castello, parte Wasiæ, & quatuor Officiorum, Bornehemiense Castellum Lamberto donatum fuisse. *Wenemarus* enim quartus Castellanus Gandavensis, fundator Abbatiæ Canonicorum Regularium de Bornhem, voluit ab his duos sæculares Presbyteros in Haesdoncq, & unum in Bornhem constitui, prout, inquit, avus ejus Folcardus, Lamberti, ut putatur, filius, & in Castellania Gandensi successor jusserat.

Ab hoc itaque Lamberto, ad annum 1007 Castellano Gandavensi constituto, series Toparchorum Bornehemiensium ducitur, de qua videndus *Andreas du Chesne* Gallus Turonensis, qui de Gandavensi stirpe, volumen, singulari studio ac labore contextum, edidit.

Porro *Margareta Palæologa, Marchio Montisferratensis, & Ducissa Mantuæ*, anno 1567 mortua, cum partitione quadam in vivis facta, dominium de Bornhem reliquisset *Isabellæ Gonzagæ* filiæ suæ, eamque rem approbasset Dux Nivernensis ejus filius, anno 1569, Isabella eadem possessionem ejusdem dominii adivit, eodemque ad annum 1582 potita fuit, uxor (Alfonsum nominat Lindanus) Marchionis *Piscaræ, & del Vasto.* cujus filius natu major *Alfonsus Felix Davalus de Aquio, Marchio itidem de Piscara & Vasto*, in paterna bona succedens, dominium hoc vendidit Domino *Petro Coloma,* supremo rationum militarium in exercitu Belgico Regis Catholici Præfecto, *Domino de Bobadilla.* Hic uxorem habuit *Ioannam l'Escuyer* Roberti filiam *Vicecomitem de Doullens, Dominam de Brestel, Tena, Alesnes, Seroux*, & *Moriensart*, ac liberos plures; multa quoque beneficia contulit Ditioni de Bornhem, signanter erecta super fundamentis antiqui repaguli è Regione Tamisiæ cataracta nova, per quam Domino permittente, & non aliter, navigia egredi & ingredi possunt; quæ res magna tam Castro Bornehemiensi, quam terris aliis ad veterem Scaldam sitis, commoda adfert. Huic ad annum 1621 defuncto, successit filius natu minor, Dominus *Alexander Coloma*, qui sobole nulla relicta, etiam anno 1625 pluribus additus est, in Toparchia ac Baronatu successorem modo habens *Petrum Coloma*, virum animis ac virtute præstantem. Porro cujus antea mentionem fecimus, *Opdorp* pagus, vel potius vicus est, quasi Flandriæ Teneremundanæ lacinia, qua ab S. Amando & Basserodia pagos Brabantiæ, Malderen, Hippelo, & Buggenhoutum spectat. Qui in Opdorp nascuntur, aut moriuntur, hi in Ecclesia de Malderen baptisantur & sepeliuntur, quæ iis Parochialis est, adeoque incolæ Opdorpiani dicuntur vivi Flandri, & mortui Brabanti. Hi etiam incolæ fruuntur immunitate omnium publicorum onerum, & exactionum, quæ personas, res, aut jumenta inhabitantium spectant, idque jure antiquissimæ possessionis atque etiam diplomatis, quod privilegii instar Comes Flandriæ, Domino de Grimberges, & hæredibus anno 1258 indulsit, & largitus est. Exemplar hic subjicio. *Guido Comes Flandriæ universis præsentes litteras inspecturis salutem. Noverit universitas vestra, quod nos dilecto & fideli nostro Wilhelmo de Grimberges Domino de Asche, & hæredibus suis post ipsum pro fideli suo servitio, quod nobis multotiens impendit, dedimus in augmentum fœdi sui, quod de nobis tenet, quidquid habemus apud Hupdorpe, tam in hominibus, quam hospitibus, redditibus, decimis, sive aliis quibuscunque rebus, cum omni justitia alta, & bassa, libere à nobis & nostris hæredibus, Comitibus Flandriæ tenendum in perpetuum & habendum. In cujus rei testimonium præsentes litteras nostro sigillo fecimus roborari. Datum apud Warneston anno Domini* 1258 *die Iovis post diem Pentecostes, mense Majo.* Hoc itaque privilegio locique situ, quasi inter Flandros, Brabantosque medii, Opdorpiani publicanorum molestiis, exactionibusque sese hactenus subduxerunt. Perfugium quoque casu delinquentibus aut alieno ære oppressis, Opdorp semper tutum exstitit, habitumque est: celebre etiam emporium habens, in quod omnis generis mercimonia, & magna copia equi 3. Kal. Iulii undiquaque libere inferuntur. Toparchia hæc Opdorp Castellum quoddam, ceu domum prætoriam habet, à Marselariis ibi constructum, sacellum quoque. Exstat & alterum in eodem pago de Malderen Castellum, aquis pariter & duplici fossa atque agmine circundatum, dictum *Curia de Marselaer*; sive locus à nobili gente nomen, sive hæc ipsa à loco appellationem mutuarit. Trecentis certe & amplius annis, hæc plaga & curia eo nomine innotuit antiquis eorum sæculorum codicibus clara, celebrisque. & Marselarii cum Grimberganis affinitate contracta, totidem sæculis toparchiam hanc de Opdorp, utrumque etiam Castellum possederunt. Verum ut turbulenta superioris ævi tempora in possessiones, & familias multas sævierunt: ita etiam prædicta curiarum altera de Marselaer in Malderen venum exposita, per *Marchantium* Brabantiæ Consiliarium empta possidetur. Ipsam vero toparchiam de Opdorp, quam pretio, litigioque quæsierant Liesveldiani, anno 1628, novis pactis in familiam suam reduxit vir nobilis ac eruditus *Federicus de Marselaer* Eques, Dominus de Percq, Elewijt, S. Huberti, Herseaux, Oycke, Loppem, Nederockersele, *Gerardi de Marselaer* Equitis (qui Gulielmi de Grimberges, Domini de Asche filiam, Elisabetham conjugem habuit) in septimo gradu nepos.

TER-

TERRITORIVM GERARDIMONTENSE.



Erritorium Gerardimontense quadraginta quinque pagis constat, qui omnes exemplo civitatis sunt Imperialis soli, & olim, uti reliquus Comitatus Alostani tractus, nomine *Brachanti*, *Brachati*, *Burbanti*, *Brachbanti*, & *Brachbancisiæ* comprehensi; quod ultimum vocabulum in vita S.Levini, hujusce ditionis non minus, quam Gandensium Apostoli, per Monachum Gerardimontensem à ducentis retro annis conscripta, me legisse memini in hunc sensum: *Sanctus Levinus Brachbencisiam, hoc est ditionem Alostanam* (cujus non est infima portio *Gerardimontense* territorium) *ingressus, summopere admiratus fuit amœnissimam terram, spatiosam, & nimis delectabilem, & benignitate Dei exuberantem, lacte & melle, & diversarum frugum, arborumque fertilitate, omniumque bonorum abundantia affatim affluentem, incolasque personali forma micantes, cultu vestimentorum compositos, loquela, & morum gravitate honestos, magnanimos viros, egregios præliatores, regali militia idoneos, & omni exercitatione studiorum suorum huic sæculo dignos.*

Brachatum seu *Brachantum* in agro *Alostano* (unde Brabantiæ Ducatus nomen accepit juxta *Petri Louwy* ad Molanum notas) esse videtur *Brakela* ditionis nostræ pagus. Siquidem scriptores in *Brakela* natum *S. Lietbertum*, Cameracensem Episcopum, vocant *Brabantinum*. Meyerus ad annum 1077, loquitur in hunc sensum: *Obiit Lietbertus Episcopus Cameracensis cœlo postea ob pietatem donatus. hunc Flandrum stirpe fuisse tradunt, eo quod ab nobilitate Brachatensi duceret originem, Brachatum seu Brachantum esse Brakele in agro Alostensi. Ejus opus est cœnobium S. Sepulchri Cameraci, absolvit & cœnobium D. Andreæ Apostoli, Regulares instituit monachos ad D. Auberti, & in monte D. Eligii.*

Boulariæ Baronatus.

Boularia illustris Flandriæ Imperialis Baronatus juxta vetus denombrementum in duodecim pagos, *Boulariam* superiorem, & inferiorem, *Onkersele*, *Waerbeke*, *Goefferdinghem*, *Niewenhove*, *Aspelaere*, *Nederhasselt*, *Yedeghem*, *Deeftinghen*, *Vluerseghem*, *Smerlibbe*, jurisdictionis suæ alas extendit. quos ultra Flandriæ census annumerat, non sunt proprii Baronatus, sed vel ipsius Baronis ex alio titulo, vel ab eo moventur in feudum. Tota Baronia solo amœna est, cœlo læta, ubere gleba dives, fecunda pascuis, Tenera fluvio irrigua, silvis decora, incolarum numero prægnans, qui dominorum auspicia secuti non semel illustre in religionem & Principem fidei testimonium reddiderunt. Dynastarum summa semper auctoritas fuit, quos dominii beneficio Marchantius recenset tutores fuisse solitos juniorum Flandriæ Comitum, quos parentum mors præmatura pupillos fecerat, atque pro ætate imperio administrando impares. Sunt domini fluxus Teneræ, quatenus Gerardimontem non permeat, ejusque continentem, ut nostri censent: qua ratione, aliisque, tot pertinaces inter *Boulariæ* Dominos & Gerardimontenses ab omni tempore controversiæ ad ferrum, & ignem nonnunquam progressæ. Quartum ursorum Flandriæ ingenii Gothici signum in bellum Domini Boularienses efferunt, unde tribuni militares à plerisque dicti, atque *Baverones*, quos *Barones* vernacule *Baenderheeren* seu Bandæ dominos scriptores vocant. Procopius Bandophoros Romæis ait nominari. Vnde *Banderi* ditio sive Baronia obligata erat ad sequendum illud signum, quò Dux Bandæ jusserat. Boularia penes varias familias fuit: principio penes Gentem de *Boulare* cognominem. Nicolao Boulariensi Equite, Idæ *de Rœulx*, Hannoniæ Comitis Balduini Animosi ex Arnulpho fratre neptis, marito, sine prole mascula defuncto, Alceidis de Boulario Abbatiæ de *Beaupré* fundatrix, Boulariam ad aliam familiam devolvit ter nupta, viris ex familiis de *Trasegnies*, *Gavere*, & *Wauryn* illustribus. Omnium vero diutissime Baronatus penes stirpem *Liedekerkanam* sive *Gavriam* fuit, illustrem atque potentem; à qua ad *Reynghaertsvlietios* transiit, à *Reynghaertsvlietiis* ad *Bochoutanos* abiit Baronia, Equites Brabantos, Bruxellæ Vicecomites. A Maria Bochautia Boulariæ Domina, pervenit Boularia ad Nassovios Adolphi Cæsaris posteros. Tandem Philippus Guillielmus Nassovius, Auraicæ Princeps, Boulariam venditione cessit Francisco Bernardino *de Cassina*.

Pagi Baronatus.

Vt vero de duodecim Baronatus pagis aliquid dicamus: omnium metrocomia est *Boularia*, quæ superior nominatur inter Acriniam & Gerardimontem, opimo pastoratu, noto titulo sanctæ Aldegundis, sub patrocinio Abbatiæ S. Sepulchri. *Boulariam* inferiorem peculiari honore domicilii, & præsentiæ dignantur dynastæ, ubi ambitiosum habent domicilium, quod veteri arce diruta restauravit Franciscus Bernardinus *de Cassina*, aquis cinctum, quas præterlabens Tenera subministrat. Hortus illi adjacet pereleganter excitatus, ut Dædalii ingenii opus esse dicas. Vt *Goefferdighem* superiori *Boulare* affine est, sic *Onkerselia* est attigua inferiori. Habet in ea prætorium, cujus Balivus major, & Scabini Gerardimonte caput petunt. In via Bruxellensi similiter stant *Nieuwenhove* & *Waerbeka* retro *Raespaeliam*. Illa eo latere quo *Sandbergam* respicit nemus habet. *Angherellium* alias dictum ab Eechautiis Angherellæ dominis, penes quos superioribus sæculis nemoris hujus possessio fuit. *Nederhasselt* asyli jure celebratur. Nec contemnendi nominis pagi sunt *Vloeseghem* & *Smerlibbe*, magno Boulariæ Prætore utrobique Vicarium ponente. *Aspelare* in via Alostensi quemadmodum incolarum numero superioribus præit, ita pulchrius est illis municipium. *Yedeghem* amœnissimum fluvii transitu, pascuorum commoditate, *Belliprati*, atque *Raespaliæ* affinitate municipium, via Ninoviensi, ultra bis mille passus in unam propemodum planitiem se extendit. frumentum profert bonitate præ reliquis terri-

territorii, & abundantia exteris notum, ac eo nomine à Scriptoribus, nominatim à *Gramajo*, commendatum. Domum hic habet atque prætorium cum Meyero & Scabinis Gens *Yedeghemia*.

Deeftinga.

Feuda Baronatus.

A pagis Baronatui propriis, ad alios transeamus, quos Flandriæ Census Boulariæ accenset, qui à Barone moventur in feudum, suisque seorsim dominis parent Baronis vasallis. Sunt autem *Sandberga*, *Oultra*, *Paricke*, *Vphasselt*, *Hoomberghe* & *Escha S. Levini*. *Sandberga* situ ad Teneram peramœno, præter pascua, silvas, vivaria, fertiles agros, castrum habet aquis munitum. Spectat Sandberga modo ad Gentiles de *Lalaing*, olim fuit procerum *vander Aa*, *Oultre*, *Liekerke*, *Enghien*, & ante eos nobilium cognominum. Penes familias *vander Aa* & *Enghien* similiter *Oultra* fuit. Prætorem, Proprætorem, Meyerum, & Scabinos habet. *Vphasselt*, Latinè olim *Haslutum*, magnum est municipium nobilissimæ stirpis *van Hasselt*, urbis Gerardimontis patritiæ cognomentum. subjacet illi *Mounenbrouck*, olim *Moorenbroeck*, cum Majore, & Scabinis, quod è gente *Wallia* jam pridem in *Steelandiam*, (demum in familiam *du Faing* Baronis de Iamoigne) migravit.

Oomberga est nobilissimæ Dammanorum familiæ peculium, Gandavi Consularis, Meyeri, Marchantii, Guicciardini, aliorumque Historicorum paginis commendatæ. *Parika* vel *Paricla*. Varia suo ambitu complectitur dominia, ut *Hombrouck*. Aliud in Paricla dominium est *Herimez*, cum Balivo, & Scabinis, gentis olim *Lewerghemiæ*.

Etiam *Esche* Sancti Levini in Boulariensis fide possidetur, beati Levini Scotiæ Archiepiscopi, Gandensium ac Alostanorum Apostoli martyrio famosum. Inter inferiorem Boulariam & Yedeghemium gratissimo ad Teneram situ jacet *Schendelbeka*, pagus quidem Boulariæ minimè subalternus, sed Boulariensi dynastæ proprius in clientela Comitis Alostani.

Schornacensis Baronatus.

Subsidiarius alter Baronatus, qui Gerardimontio accensetur, est Schornacum, Gallicè *Escornaix*, Flandricè *Schoorisse*, primum familiæ cognominis, deinde Procerum Gavriorum peculium. Quorum virtuti, splendori nobilitatis adjectæ, Schornacum acceptam à Ludovico Maleano Flandriæ Comite ann. 1378. Aldenardæ Baroniæ dignitatem debet. Maleanus enim eo anno præter equestrem baltheum etiam Baronis titulum Arnulpho de Gavere toparchæ de *Schoorisse* & Domino de *Croisilles* conferendum omnino censuit, propter insignem Aldenardæ contra Gandenses navatam operam. Hodie Schornacum est illustris familiæ de *Lalaing*. Et vetus Baronum denombrementum ei annumerat pagos septem, *Schornacum* nempe Baronatus caput & possessorum primæ stirpis cognomentum, ubi Hospitale visitur pauperum infirmorum, anno 1420 à Schoorissæ Domino fundatum, & pluribus bonis dotatum, atque ab Episcopo Cameracensi confirmatum, cui Moniales regulæ Cisterciensis olim quatuor, nunc septem præsunt, sub cura, aliisque regaliæ juribus magni Balivi, & Scabinorum, quibus fas est Monialibus proventum perperam administrantibus curatorem ejus constituere. Scornaci natus fuit Matthæus ille montis S. Martini Canonicus, postea anno 1190 quintus Abbas Ninovensis, prædicator, sciens, religiosus, ut refert Catalogus Abbatum Ninovensium.

Materne, cujus aliquando Domina fuit sanctissima virgo *Amelberga*.

Reliqui pagi sunt *Seghelsem*, *Sancti Cornelii*, *Hoorenbeka*, *Roosebeke*, *Boucle Sancti Blasii*, & *Weldene*. Totidemque numerat census Flandricus, verum excluso *Weldene*, in ejus locum substituit *Hoorenbeke* S. Mariæ, & pagum *Weldene* inter pagos diversorum vasallorum constituit. Baronis denombremento fidem habere præstat, quod in archivis Petræ Comitis Alostani sive Curiæ feudalis speciale denombrementum alias repertum sit Dominii *Hoorenbecæ* Sanctæ Mariæ, quo Schornacensis Dominus agnoscit se hoc Dominium seorsim à Schornaco in fide Alostani Principis possidere. Horum pagorum plerisque sunt alia Dominia, ut *Roosbecæ* Dominium quondam Lummeniorum, *Schornaci Ryst* Quesnoytiorum peculium, *Maternæ* possessiones Prioristæ Nosocomii Aldenardensis, habentes Majorem & Scabinos super realibus jus dicentes. Variis locis caput petere pagi Baronatus solent, *Seghelsem*, *Loby*, *Boucla* Sancti Blasii, *Roosbecæ*, illa *Velticæ*, *Schornacum Maternæ*, ista autem *Alosti*.

Reliqui territorii pagi.

Præter *Boulariæ*, *Schornacique* Baronias subsidio adhuc urbi sunt pagi triginta sex, in quibus *Steenhusa* Principatus olim potentissimæ gentis *Gruthuse* & *Hasselt ter Vryen*, ab omni Comitis Flandriæ & Alostani censu & Iurisdictione immunes, *Elst*, *Edelaere*, *Leupeghem*, *Volkeghem*, *Etichove*, *Meldene*, *Nieukerke*, Pamelæ Baroni proprii, *Quaresmont*, *Orroir* & *Sulseka* Lignæ Principis, *Marke*, & *Kerckem* ex familia de *Limmene* in Adorniam translati, *Amongies*, & *Roosenaken* Montmorenciacorum Procerum, Sanctæ *Mariæ Lierda* antiquo titulo Comitatus, & *Hemelveerdighem* spectabili arce temploque Dominici præcursoris patrocinio & miraculis nobili, qua ratione magna populi frequentia visitatur. Iam utrumque dominium est Mastaingnæ Comitis, olim Masminiorum Procerum, ex qua gente Robertus aurei velleris Eques magnus fuit cultor Carthusiæ *ten Bossche* juxta *Hemelveerdighem* in *Lierda* Sancti Martini, qui pagus cum *Munninx-Swalleme* est ex iis qui *'s Graven* proprie vocantur, estque Gerardimonti contributarius.

Iam residuos territorii nostri pagos enumeremus, ut Sancti *Dionysii Bouclam*, gentis Borlutiæ Gandavi patritiæ.

Viana & *Mourbeka* municipia Egmondanæ gentis sunt. Illud antiquo castro & insigni (cujus modo rudera tantum supersunt) asyli jure, annuisque mense Septemb. postridie divi Michaëlis Archangeli nundinis Grisearumque S. Francisci monasterio celebratur. Hoc vicinum est Raespaliæ silvæ peramœnæ, atque amplæ, cujus fontem purissimum Cl. Daniel Heinsius carmine Elegiaco lib. 5, eleg. 7. laudavit.

Agmen claudat dominiorum nostri territorii *Hundelghemum*, quod cum *Hunneghemio* nostro *Hunnicum* quid olere videtur. Est gentis Rymiorum nobilis, & antiquæ, quam ex Saxonia oriundam ferunt, & primùm inde venisse Balduinum *Rym*, postquam ea gens à Carolo Magno victa, huc illuc vitandis rebellionibus sparsa est.

TER-

TERRITORIVM NINIVENSE.

Territorium Ninivensé.

Civitas Ninivensis nullum habet territorium, in quo aliquam jurisdictionem exerceat, præter agrum suburbanum, in quo aliquot villæ domusque rusticanæ sunt constitutæ: aliquos tamen pagos subsidiarios habet; aliquos obnoxios jure fiduciario, sive ratione curiæ feudorum. Ager suburbanus in varios tractus divisus est. Inter quos recensetur Nederwyck urbi contiguus; Riedeve, seu Riede-hove, seu Rihove, Baeckergem, Schoore, Puybroeck.

Herlinckhovia.

Primus pagus qui jure fiduciario ratione prætoratus civilis sive majoratus civitati Ninivensi obnoxius, est Herlingi-curia, seu Herlinckhovia, ferè contigua mœnibus Ninivensibus versus occidentem. Huic nomen deducit Baptista Gramajus ab Herlingo, uno ex Gothorum ducibus: & forte non male; si Ninive à Gothis condita adstruatur. Ninivensibus in sufferendis militum oneribus suppetias debet; nihil aliud: dominum & prætorem criminalem agnoscit eundem quæ Ninive.

Reliqui territorii pagi.

Riddershoven.

Titulo fiduciario & subsidiario Ninivæ accensetur *Ridders-hoven*. Curiam equestrem appellat Gramajus. Estque intra limites Toparchiæ Velsicanæ, Romanæ antiquitatis, à numismatis antiquis ibidem repertis celebratæ.

Tempelmars.

Eodem titulo censetur *Tempel-mars* seu Templum Martis in tractu Insulensi inter Siclium & Insulas. Cui titulo sub fiduciario seu feudali accensetur Vendovilla seu Vindorum-villa. Templi-Martii toparchus est D. Ligniacensis. In subsidium militum contribuunt Templum-Martium & Vindorum-villa trientem, & curia equestris semunciam, ut docent antiquæ Ninivensium constitutiones lingua Flandrica conscriptæ.

Dominium de Rotzelaer.

Dominium de Rotzelaer (quod complectitur hosce pagos, Hauthemium, Nunckerxken, seu Kesken & Vleckgemiam) est in ditione Alostana. Spectavit olim ad Barones de Rotzelaer (ut hinc forte Dominio nomen, cum intra fines ejus nullus locus sit Rotzelaer vocatus) in Brabantia. Devolutum est postmodum illud dominium ad Duces Brabantiæ, & per Ioannem Ducem venditum fuit Henrico filio Guidonis Dampetræ, Comiti de Loo seu Laude, domino etiam Ninivensi, ad annum 1331. Quo sine liberis defuncto cum alia ejus hæreditate Dominium hoc ad pecula Comitatus Flandriæ accessit. Ab eo tempore Balivi Ninivenses etiam istius dominii administrationem habuerunt.

Baronatus de Wedergraet.

Dominium de *Wedergraet* seu *Contrecueur* quandam habuit dependentiam olim cum oppido Ninivensi ratione subjectionis feudalis, quam habebat Windica-Teneræ, unus è potissimis ditionis Alostanæ & territorii de Wedergraet pagus. Complectitur pagos hosce, Windicam-Teneræ, Alodium sive Neygen, Apelteram cum Eychemio, & Polarium. Dominium illud possedit olim Osto de Wedergraet, eques. Dominium hoc de Wedergraet nomen sortitum videtur à Castro dicto de Wedergraet, quod in colliculo ad Teneram prope Apelteram ædificatum jam plane dirutum est.

Pagus alius vicinus Ninivæ ad Eurum *Okegemium* dictus, anno 1399 pertinebat ad dominium Ninivensem, & huic etiamnum quandam servitutem debet prætor civilis, sive major pagi, in deducendis ad locum supplicii reis. Dominus præterea Ninivensis confert dictum Majoris officium. Pagus hic valde exiguus est, ad Teneram situs, lupuli ferax optimi. Hactenus peculium Comitis fuit in ditione Alostana. Intra limites pagi Okegemensis jacet dominium de Idevoede.

Ronse.

Rotnacum oppidum ultra Scaldim in Brachbanto duobus ab Aldenarda, quatuor à Gerardimontio situm milliaribus, vicinos habet montes sylvosos, quorum aspectu oculi per æstatem mire pascuntur. *Ronse* vernaculis, *Renesse* Gallis, *Rotornacum* Latinis, & per syncopen *Rotnacum* nuncupatur. Peculium est Comitis Nassovii, qui prætorium istic excitavit totius, ausim dicere, Belgicæ splendidissimum. Famam olim opesque peperit, tanto pannificii, & aliorum artificiorum quæstu, ut in generali Flandriæ censu, cuncta oppida, præterquam tres Flandriæ matrices, collatione antecedat. Interjacet Rotnaco & Lessiniæ sylva Podsbergia ingens atque luculenta. Celebritatem etiam ac frequentiam sibi miram conciliavit templo collegioque Canonicorum, cum Præposito D. Hermetis Martyris, ejurandis energumenis famigerato.

Lessinia & Flobeka.

Flobeca ac Lessinia, Flandriæ & Aldenardensi territorio antiquitus contributæ, ob controversias de iisdem inter Principes Flandrorum & Hannonium minimè raro ortas, positæ sunt velut in medium, ac terræ controversæ dictæ, & Principi applicitæ Senatui. Est autem Lessinia sive Flandriæ, sive Hannoniæ, sive neutrius oppidum Provinciæ, diffitum ab Angiano leucis fere quatuor, à Montibus sex, ab Atho duabus, interluit ipsum fluvius Tenera. cæterum arx Flobekana, quæ fortis & valida olim fuit, bellorum ac temporum injuriis dejecta, ob eam præcipuè causam non restauratur, ne sicut olim jurgiis, ac contentionibus caussam præbuit, ita fors modo inter utramque provinciam aliquas pariat difficultates.

DITIO AC COMITATVS
ALOSTANVS.



ITIO hæc ab altera Scaldis ripa, quæ nunc etiam Flandriæ Imperialis nomine censetur, Brabantiam versus, & Hannoniam se protendit, & à Gandavo, Aldenarda, Teneramunda ab Oriente extensa, ejusdem fluminis dextrum latus legens, in Occidentem ad montem S. Trinitatis Tornaco vicinum usque porrigitur, Scaldi & Teneræ veluti Mesopotamia, & interamnis interjacens, & ultra hunc quoque fluvium Brabantiam versus quingentis eoque amplius passibus jurisdictionis suæ alas expandens. Excelsa montibus regio, vallibus amœna, fontibus irrigua, sapidissimi frumenti ferax, præsertim secalicei, neque cæterarum frugum indiga; etiam lupuli salictarii, cujus in coquenda cerevisia præcipuus usus est, juxta oppidum præsertim ditionis caput, abundans, ob cujus celebrem mercatum idem frequentari solet. Proprios olim Comites habuit, etiam in fide Flandrorum, & à Flandris, beneficio partim Ecclesiæ Cameracensis, partim Ducis Lotharingiæ, partim immediate Imperii, possessa fuit. Hujus itaque Comitatus occasione Flandriæ Comites, sacri Imperii Principes appellabantur, erantque in numero quatuor Imperii Comitum Militarium, & Ecclesiæ Cameracensis perpetui protectores à Cæsaribus constituti. Derivatum hunc Comitatum quidam existimant ex Comitibus Castelli novi Gandensis (sic enim dicebantur) ab Othone Primo Cæsare ad Gandavum anno 948 ædificati, & à splendida Germanica familia, cui deinde à Gandavo cognomen fuit, mansitque, administrati. Nam illius arcis Ottonianæ præsidibus terra Brachantia, quæ post Alostana audiit, cum quatuor ambactis assignabatur, ut stipendia alimoniamque præsidiariis militibus inde providerent: quam auctoritatem in dominatum verterunt Cæsarum beneficio Alostani Comites dehinc nuncupati. Certe Annales Flandriæ mentionem faciunt Wichmanni Comitis novi Castelli Gandensis, quem Otthoni Cæsari reluctantem Misachus Slavus anno 967 interfecit: atque Theodorici Alostani Comitis: cujus ex filio nepotem Theodoricum cognomento Gandavensem ad Frisios ulciscendos, qui patrem ejus interemerant, anno 1018 abiisse, Sigebertus auctor est. Pagos sub se fertur habere centum & septuaginta duos, quos illi, inquit Marchantius, vulgaris calculus magis, quam censualis Flandriæ Catalogus adscribit. Summum prætorem habet à Principe impositum, cui quinque prætores alii, per ditionem hanc quinque dynastiis Præpositi, seu Reip. gerundæ præsides adsident, cum opus est, in urbe Alosto convenientes. Hanc dignitatem, viri illustres, & è præstantibus familiis nati gessere complures, nec alii ferè quiquam. E Montmorenciaca præsertim gente præfuere huic muneri non pauci, sicut & ex Villana familia Gandavensi: eamque nuper gessit è gente Croya Claudius Comes *de Roeux*, nulli Procerum Belgicorum secundus. Habuit & olim prætor Alostanus jus in Lessiniam & Flobecam, quæ duo loca nec Hannoniis jam adhærent, nec Flandris, eorum tamen ratione stipendium etiamnum annuum percipit, quod in rationes regias transit, eo quod (ut aliqui volunt) à curia feudali Alostana quondam moverentur; quamquam qui Aldenardæ Toparchus, eorum etiam locorum aliquando Dominus fuerit, & psa feuda ab Aldenardensi Baronatu penderent. Quinque dynastias hoc ordine censent, *Rode, Gavere, Sotteghem, Boulaere, Scoorisse.* Præter pagos aliquot alios, & parœcias, quas *diversche Prochien* vocant, & ex quibus parvæ quasi Castellaniæ utriusque oppidi Alosti, & Gerardimontii conflantur; Bornhemium quoque olim, & adjacentem regiunculam ut S. Amandi, & alia, nunc avulsa, diversis hisce parœciis adhæsisse, Alostani asserunt. Seriem Prætorum recenset Espinojus; qui consulendus.

Loca ditionis Alostanæ, novissimus Flandriæ Comes sic enumerat:

Alostum, Gerardimontium, Imperialis Flandriæ Metropoles.

Ditio Rodensis, vulgò *'t Lant van Rode.*

Scelde Rode	Baleghem
Botelare	Morsele
Ghendbrugghe	Oosterzele
Munte	Berleghem
Melle	Melsene
Gonterode	Ghysele
Sceldewindeke	Baveghem
Possessores Terræ vulgò *den Teerlinck*	Lettelhautem
Lanscautere	Vlierzele.

Ditio Sotteghemensis, vulgò *'t Lant van Sotteghem.*

Zotteghem	hove & Leene
Eerteghem	S. Marien Oudenhove
Strype	Borst
S. Georix Oudenhove	Migelbeke
Grootverdeghem	Velseke.
Grotenberge, Wassen-	

Ditio Gaverensis, vulgò *'t Lant van Gavere.*

Gavere	Paulathem
Semmer zake	Marielathem
Vurste	Meyleghem
Wassene	Ermelghem
Bayeghem	Nederzwalmen.
Dickelverme	

Ditio

Ditio Boulariensis, vulgò *'t Lant van Boulaere.*

Onkerzeele
Overvoelaere
Deeftinghe
Scendelbeke
Yeghem
Waertbeke & Nieuwenhove
Vloeseghem
Smerribbe
Aspelaere
Nederhasselt
Santberghe
Oultre
Paricle
Vphasselt
Oomberghe
S. Lievens Hesche.

Ditio Scornacensis, vulgò *'t Lant van Scoorisse.*

Schoorisse
Materne
Zegelsem
S. Marien Hoorenbeke
S. Cornelis Hoorenbeke
Roosbeke
S. Blasius Boucle
Weldene. Non in censu numeratus hic pagus, quanquam seorsim à Scornaco olim in fide Alostani Principis à Domino Scornacensi possessus sit.

Diversæ Parœciæ, vulgò *diversche Prochien.*

Aeyeghem & Vlackem
Raesseghem & Borstbeke
Bost, Bambrugghe, Zonneghem & Cotthem
Scheerscamp
Denderhautem
Herpe
Ermbodeghem, Welleyderghem & ter Alphene
Grondeghem & Otterghem
Ghyseghem
Helderghem
Hilleghem
Hardessem
Lede
Lemberghe
Liedekercke
Meere
Massene vanden Westren
Morsele alias Mansele
Okeghem
Woubrechghem
Amognies
Orroir
S. Denys Boucle
Elst
Hofstade
Hallertkerxkem
Herzele
Ympe
Leeuwe
Lombeke
S. Lievens Hauten
Meerelbeke
Mespelaere
Oordeghem & Smettelede
Wychlen
Wiese
Rosenake
Appeltren & Eychem sub Baronatu de Wedergraet
Dickele
Edelaer
Eenam & Neder-Eenam
Grymegem
Hundelghem
Luepeghem
Mourbeke
S. Marie Lierde
Opbrakele
Sententelins
Volkeghem
Voorde
Denderwindeke sub Baronatu de Wedergraet
Nederbrakele
Berchem
Etichove
Marcke & Berchem
Steenhuyse
Neyghene sub Baronatu de Wedergraet
Hemelverdighem
Leeuwerghem
Liefferinghe
S. Martens Liere
Muenicx Zwalmen
Pollaer sub Baronia de Wedergraet
Viane
Weldene sub ditione Scornacensi censendus.
Wileghem
Ronse
Salardinghem
Zulzeke & Quarmont
Meldene
Nukercke.

Superest nunc, ut de singulis, aut majore parte eorum aliquid, aut de præcipuis saltem ditionibus in medium adferamus.

Inter ditiones Alostanas prima occurrit Rodensis, vulgo *het Landt van Rode.* Quem antiquum Flandriæ Baronatum, & Principum litteris assertum cupit Espinojus. In ditione autem hac Rodensi secundum ordinem in censu Flandrico servatum primus occurrit pagus de *Scelderode*, ita dictus, quod ad Scaldim fluvium situs sit. *Ditio Rodensis.*

In Alostana quoque ditione situm non ignobile dominium de *Oyenberghe.*

A curia feudali Alostana in ejus quoque ditione situm tenetur Dominium *de Poppenrode.* In eadem ditiuncula Toparchiæ sunt aliæ non paucæ, quarum omnium potestas & onera Catalogis principalium feudorum, quæ immediate à Burgo Alostensi tenentur, particulatim inserta sunt. Sunt præterea & *Botelaere*, & Gentbrugghe.

Mellæ dominium hic habet temporale, causa Toparchiæ suæ Rodensis, *Franciscus de Rodrigues Debora.* Protendit se ultra Scaldim parœcia, amœno cum primis loco sita. In ipso pago ædificia non parum venusta variorum dominorum sunt. Visitur & aquatica mola juxta molam granariam super torrentem posita, quæ cuprum & æs cudit, raro per totam Flandriam exemplo. Exstant & vestigia prætorii hodie Comitis Iseghemiensis, quod olim inhabitavit Sigerus Cortracensis, famosus ille & Flandricos inter magnates potens, cui ad castrum Rupelmondæ cervix jussu Comitis fuit præcisa. Ab illo Prætorio subterranea via fuisse fertur ad vicinum Principis Castellum nomine Vauleghem in parœcia de Wettere situm.

Munte ad secundum fere à Gandavo lapidem situs est pagus.

Gonterodia.

Sceldewindeka, quod ad Scaldim jaceat.

Sequitur hic *Balegemium* & *Lanscoutere.*

In Baleghemio situm est prætorium & Toparchia *de Bottele.* Visitur & in eodem pago Sylva amœna Marchionis de Lede è Bettiorum familia, editiore & patente loco sita, prætorium item ejusdem, quod splendidum olim fuit, vulgo *Eesseghem,* vel ipsis ruderibus suis conspicuum.

Baveghem, his vicinus est pagus, cujus Temporalem habet Toparchiam, & insuper Ecclesiæ patronatum Gandavensis Episcopus.

Morsele. In Morsela cernitur sylva Domini de Wassenhout in alto posita.

Oosterziele, temporale Dominium ad Baronem Rodensem spectat, Ecclesiæ vero patronatus ad Præsulem Eynhamensem.

Berleghem, Familiæ Rodoaniæ nunc est peculium. Melsene, & Lettelhoutem.

Ghysele, Toparchia ad Antistitem Gandavensem spectans.

Inter Alostenses secunda nominatur Ditio Sotteghemiensis, vulgo *het Landt van Sottegem*, à ditionis hujus Capite: quod municipium est egregium, frequenti populo habitatum, quanquam non una vice sat graviter à Vulcano tactum, & Marte. Arcem habet egregiam, domicilium nuper Comitum aliquot Egmondæ. Locus hic licet olim habuerit alia, eadem tamen nunc insignia habet cum familia Angiana. *Ditio Sotteghemiensis.*



Illustrißimo Domino
D. PRÆTORI
Cæterisque Amplißimis ac Nobilißimis
MAGISTRATIBVS
Comitatus et Ditionis Alostanæ
Prudentißimis Æquißimisque
IMPERIALIS FLANDRIÆ
MODERATORIBVS
Geographicam hanc eiusdem Ditionis
Tabulam honoris et obseruantiæ ergo
D.D.
Antonius Sanderus Gandauensis.

O Landt behoorende onder Aelst.
A Is het lant van Rode.
B tLant van Gauere.
C tLant van Zottegem.
D tLant van Boulare.
E tLant van Schorisse.

NOVA ET ACCVRATA
COMITATVS ET DITIONIS
ALOSTANÆ
in Flandria Imperiali
TABVLA.

Een Vlaemsche myle van 1000 Roeden

24

Sotteghem. Municipium vero eſt quarto ab urbe Ganda lapide, ſitum amœno loco, & populoſum. Miſerabilem in modum direptum incenſumque fuit ad annum 1452 ſub Philippo Bono, à Stampano & Burgundiæ notho, uti narrat Meyerus ſub eodem Principe. attritum vero nuperis tumultibus nunc reſpirat. Viſitur in eo prætorium Comitis Egmondani ſplendidum. Varia in eo quoque conſtituta ſunt juri dicundo tribunalia. Primum eſt oppidi, quod cum Ammanno ſeptem habet Scabinos, quorum prior titulo Conſulis inſignitur, alta gaudens, & media, imaque Iurisdictione. Secundum vocitatur *het Eygendom.* Habet etiam Scabinos ſeptem, eorumque Iurisdictio ſe extendit ad parœcias vulgo *Sotteghem buyten met Wijnhuyſe, Ertweteghem, Strijpen, S. Gaugerici Oudenhove, Godtverdeghem, & Grootenberge.* Tertium denique, quod vocatur *het Landt van Sotteghem*, & complectitur pagum de *Veltzicke*, in quo duo conſtituta ſunt tribunalia, unum eorum, qui vocantur *Poortſcepenen*, & alterum eorum, qui *Lantſcepenen.* Summus autem prætor *Sotteghemienſis* toti præeſt ditioni, *S. Marien Oudenhove, Migelbeke, Borſt.*

Geiteghem, Strijpe, S. Goorix Oudenhove, Grootverdeghem, Grootenberghe, Waſſenhove, Leene, Borſt, Migelbeke.

Marien Oudenhove, cujus pagi Toparchiam ſupremam poſſidet Comes Egmondanus, à terra Sottegemienſi dependentem. In eodem pago exiſtit dominium *de Silaers* cum arce ſatis commoda: cenſeturque unum inter quinque præcipua feuda terræ Sottegemienſis. Non procul autem ab hoc Caſtello *de Lilaers* fluit rivus originem ſuam habens ex ſuperiore Brakela. qui pagus cum ſit montoſus, multos habet fontes, unde dictus rivus promanat. in hoc autem pago prope dictam arcem incipit habere nomen *de Swalme*, ſicque fluens verſus *Swalme Monachorum* vulgo *Muncx-Swalme*, tandem citatò curſu labitur in Scaldin apud Swalme omnium Sanctorum. Ab eo autem Caſtello ad Scaldim uſque ſuper præfatum fluviolum ſex viſuntur molæ aquaticæ, in quarum aliquibus etiam nuper papyrus confici ſolebat. Sunt & varii in *Marien Oudenhove* monticuli, & fontes amœni. Diſtatque locus à Gandavo quinque, ab Aloſto quatuor, à Ninive Flandrorum tribus, totidem ab Aldenarda, à Gerardimontio autem una leuca cum media.

Veltzike. Locum hunc à Caſtris Ciceronis appellatum, conſentiunt ad unum penè omnes qui de Flandria ſcripſere, quaſi dicas *'t Velt*, quod exercitum ſignificat, *van Cic.*, id eſt, Ciceronis. Videtur, inquit Marchantius in Aloſto, ex ratione vocis, ſitus, itineriſque à Cæſare poſiti, ſonare Veltcica Caſtra Ciceronis: familiare enim Flandris eſt, quærere dictionis brevitatem, conciſione vocum. Porro quintum Ciceronem Iulii Cæſaris legatum in Nerviis fuiſſe, palam eſt, non minus, quam ſitum Veltcicæ eſſe aptiſſimum Caſtris collocandis, propter fontium, paſcuorum, agrorumque ubertatem, & commoditatem lignationis. In eadem ſententia eſt Gramajus, in antiquitatibus item Belgicis Marcus Varnewicus. Qui plurima Romanæ antiquitatis monumenta ex hoc, & vicino agro indies erui ſcribunt.

Tertia inter regiunculas Aloſtanas occurrit ditio Gaverenſis, vulgo *het Lant van Gavere.* Titulum Principatus habet, quem ſuis inſerit Comes Egmondanus. Parœcia ad Scaldim ſita eſt, Arx item vetuſta; & clade Gandavenſium, ſub Philippo Bono nobilis: Dominium loci per annos plures, quam Neſtoris, in familia nobiliſſima ejuſdem nominis fuit. Tandem ad Gentem *de Laval* Stirpis Montmorenciæ devenit, per nuptias Beatricis de Gavera. Hoc cum Lavalliorum familia multis etiam annis tenuiſſet, Guido Comes *de Laval* cum pluribus aliis terris vendidit Iacobo *de Luxembourg* Domino de Frennes anno 1515. in cujus favorem à Carolo Cæſare Gavera titulum Comitatus ad annum 1519; à Philippo vero Secundo ejus filio Principatûs accepit, in favorem Ioannis Comitis Egmondani, qui Franciſcum *de Luxembourg*, ſororem natu majorem Domini *de Frennes*, Gaveræ Hæredem, matrimonio ſibi junxerat. *Ditio Gaverenſis.*

Zemmerzake, Vruſte, Waſſene, Bayghem, Paulathem, Marielathem, Meyleghem, Nederzwalmen, nihil peculiare præbent ſcribendum.

Quarta cenſetur inter regiunculas Aloſtenſes, Ditio Boularienſis, vulgo *het Landt van Boulaere*, in qua ſunt pagi *Ditio Boularienſis.*

Onckerzele, Overboelaere, de Ainghe, Yeghem, Waertbeke, Nieuwenhove, Vloeſeghem, Smeribbe, Paricle.

Scendelbeke, pagus quidem Boulariæ minimè ſubalternus, ſed Boularienſi dynaſtæ proprius, in clientela Comitis Aloſtani.

Aſpelaer.

Zandberge.

Oultre. Fuit hæc Eſpinojo teſte primitus ſic appellata familia ab illuſtri gente *van Aa*, quæ per Brabantiam & Flandriam olim poſſeſſionibus variis locuples fuit. Dominium autem *van Aa* juxta Bruxellam in municipio de Anderlecht ſitum eſt, quo etiam Anderlechto gens eadem potita fuit, ſicut & juribus multis in ipſa urbe Bruxella, & tota Gaesbecana ditione.

Vphaſſelt. Arcem olim habuit egregiam, ſed bellorum injuria eam deſtruxit.

S. Lievens Heeſche. Hic cæſus B. Gandavenſium Apoſtolus Levinus, & in Holthem poſtea tumulatus. Locus amœnus, & fontibus irriguus eſt; quin ſeniorum traditione aſſeritur, B. Livini tempore fontem hic, eo loco miraculoſe natum. ubi is baculum fixerat.

Zegelſem S. Marien Horenbeke, S. Cornelis Horenbeke, Roosbeke, S. Blaſii Boucke.

Hactenus de pagis ac villis, quæ ſub ditionis Aloſtanæ regiunculis quinque, vulgo *de vijf Roeden van het Landt van Aelſt*, ponuntur, aliqua in medium adtulimus, nunc ad diverſas parœcias tranſimus, eas ordine illo tractaturi, quem liber Flandriæ cenſualis obſervavit.

Diverſæ Parœciæ in ditione Aloſtana, vulgo diverſche Prochien.

Aeyeghem & Vlackem.

Raſſeghem. Poſſidetur hic locus jam titulo Baronatus ab Illuſtri familia Vilani à Gandavo, paternæ hæreditatis peculium. Borſtbeke, *Boſt*, gentis nunc Ideghemiæ peculium eſt. *Bambrugghe*, Sonneghem, Cotthem, Sheerſcamp, Denderhoven.

Herpe, Pagus via regia Gandavum Aloſto venien-

nientibus ſitus, in clivos hinc inde aſſurgens paſcuus & arvus.

Reliqui ſunt Ermbodeghem, Welleyderghem, ter Alphene, Grondeghem, Otterghem, Ghyſeghem, Hoftſtade, Herdeghem, Halterkerkem, Hilleghem, Leeuwe, Meere, Meſpelaere, Morſele alias Mauſele, Amognies, Roſenake, Ornie, Appeltrem, Fychem, Dickele, Elſt, Smettelede, Ockeghem, Woubrechteghem, Nedereenam, Neyghene, Grymeghem. nec non

Hardeſſem, quod multo tempore peculium fuit familiæ Wterzwaene, poſtea uxorio jure tranſiit in gentem *de Cottreau*, nunc Baronatus titulo beneficio Alberti Archiducis inſigne.

Lede, Baronia per Albertum Pium Belgarum Principem inſtituta. Nunc Marchionatus titulo honorata per Philippum Quartum Regem Catholicum, ob merita videlicet ac virtutem Marchionis Ledani è familia *Bettica*. Pagus eſt ſitus editiore loco, & unde aſpectus quaquaverſum amœnus.

Lemberghe, Toparchia hujus loci ad Baronem de Rodes ſpectat.

Lombeke, habet Burchgravium, teſte Marchantio, & Vicecomitatus etiam vocatur ab Eſpinojo: fuitque poſſeſſus longo tempore per familiam Gaverenſem, & Margareta *de Gavere*, Arnulfi filia, cum dominio de Lydekercke & aliis, attulit eum in dotem Ioanni Vilani à Gandavo, à qua Gandavenſium familia præfatum dominium per nuptias filiæ hæredis etiam ante receſſerat.

Lidekerca, illuſtris & vetuſta Toparchia, peculium eſt familiæ nunc de *Hennin Lietard*, in qua Comes de Boſſu illam poſſidet titulo Baronis. Vetuſtam habet arcem ad Teneræ ripam, & olim cœnobium, quod aliò nunc tranſlatum.

Merlebeke, Toparchia ad gentem ſpectat Trieſtiam.

Maſſeme, pagus clari nominis, ad proceres nunc ſpectat familiæ Gandavenſis, ac nominatim ad Comitem in ea Iſeghemium. Splendidum habuit olim prætorium, cujus adhuc veſtigia viſuntur.

Weſtrem, Peculium familiæ Gandavenſis, pari ferè diſtantia ad iter regium ab Aloſto & Gandavo ſitum. Pagus maximam partem arvus eſt, ut cæteri ferè Aloſtani.

S. Denys Boucle, à patrono Eccleſiæ nomen habet, ut alia ſolent loca Sanctorum titulis inſignita. Peculium nunc gentis Borlutiæ, olim veterem ejus nominis familiam etiam habuit.

Oordeghem, Pagus amœnus & in editiore loco ſitus, jam dudum Gandavenſis familiæ peculium.

Wychelen, Advocati de Wichelen fuere gentiles Vuterzwane, Toga & armis clari.

Wieſe, Peculium gentis Ideghemiæ. Olim *Winſia* vocabatur, & in litteris Roberti à Betunia ad annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum quartum *Wienſe*.

Edelaer, non immerito mihi nobilis eſſe pagus poterit, vel ob ſacellum Deiparæ Virgini ſacrum à Ceraſo, vulgo *onſe lieve Vrouwe van Kerſſelaer* dictum, quod hoc in loco ſitum. Diſtat ad mediam fere leucam ab Aldenarda, ſylvam habens mirè amœnam, in vicinia Baronis Pamelenſis, in acclivio montis oppidanis conſpicuam.

Eynham, Locus eſt antiquitate & dignitate memorabilis, ad Scaldim juxta Aldenardam ſitus. Fuit vero olim Eynham oppidum, & caſtrum munitiſſimum, ſedeſque Principalis Regni Lotharici ſeu Provinciæ Brabantenſis. Et in Eenamenſis cœnobii vicinia rudera quædam ſuperſunt, & veteris ſacelli parietinæ, quod vulgo *ſacellum Lotharicii* vocant, ut & ipſum locum *Lothryck*, id eſt, Lotharii regnum: ab arce credo, aut prætorio ibidem per Lotharium ſtructo: quæ res ſuſpicionem meam confirmavit, non quidem ducatum Eenhamam fuiſſe, quod alibi nuſquam exſtat, ſed præ aliis amatum hunc Principibus locum & primariam ditionis Lotharingicæ fuiſſe ſedem, & inde Eenhamenſem hunc titulum pro tota ditione poni. Sita eſt Eenamia primo fere ad Aldenardam lapide, habens ad orientem & meridiem ſylvas & montes perquam jucundos, ad occidentem & aquilonem flumen & prata mirùm etiam amœnitate ſua placentia: neque fontes deſunt, & ager arvus, eccleſia parœcialis D. Laurentio, ad cujus feſta annales etiam iſtic ſunt nundinæ. Sæpius locus hic per bella ruinas & calamitates paſſus eſt.

Steenhuyſe, titulum Principatus habet, qui olim ad gentem Gruthuſiam ſpectavit, & nuptiis tranſiit ad familiam de la Baulme Comitum de S. Amour. Exulum ac reorum aſylum eſt, multis juribus ac privilegiis exornatum.

Hemelverdighem. Vt pleraque ditionis Aloſtanæ loca nobilibus olim ſuis familiis floruerunt, ita nec ſua huic loco defuit.

Hundelghem. Toparchia loci diutine fuit in familia Rymiorum.

Leeuwerghem. Helene, Leuxeghem, Lieſſeringhe, Moerbeke, S. Mariæ Lierda.

S. Martini Lierda. Mevincxſmalmen, op Brakele, Sententelins, Volkeghem, Weldene, Voorde, Wileghem, Denderwindeken, Salardighem, Meldene, Quaremont, Marcke, Nukerke, Sulſeke, Etichove, Pollaer.

Viane. Non Baronatum modo locum hunc, ſed Comitatum etiam nominat Eſpinojus, & antiquis id diplomatis probari poſſe aſſerit.

Brakele, vulgo *Neder Brakele*. Ab hoc loco Brachantum, à Brachanto Brabantiam appellatam volunt.

Berchem pagus ad Scaldim altero ab Aldenarda lapide ſitus.

QVATERNA FLANDRIÆ
AMBACTA.



Mbacta hæc, alius officia, alius opificia, vulgus *de vier Ambachten* appellat, nec aliud ea voce significatur, quam tractus ille omnis, olim sub Vltrajectensi Præsule constitutus, qui triginta per Flandriam pagos universim complectitur; in quatuor verò Regiones distinguitur, ad quatuor capita, sive oppida, quorum duo mœnibus cincta, Hulstum, & Axella, duo mœnibus carent, Bocholta videlicet & Asseneda, respicientes. Ager quatuor Ambactorum tritici, & quidem optimi candidissimique feracissimus est, pascuorumque ubertate, elicibus, appulsuque maris, lacu, & Sassi statione commendatur, à præcipuo Ambactorum ordiar.

Ambactum Hulstense.

Ambactum Hulstense, nisi Oceani irrumpentis vehementia incredibile dispendium pareret, soli fœcunditate (ager enim admodum generosus, & optimi tritici ferax est) ditionis amplitudine, dignitatis eminentia primas obtinet. Nunc annorum 1506, 1570. & aliàs, inundatione melior agri portio sub undis absconditur, olim fortassis per otium pacis recuperanda. Pagos nihilominus interest annotare, & in iis Cœnobiorum amplissima latifundia. Et Cambronenses in primis apud Hannones Cœnobitæ Prioratum habent in *Stoppeldijck*, & Iustitiam in Abbatis valle, vulgò *Absdael*, ex munificentia præcipuè Castellanorum Gandensium. Dunenses Curiam Monachorum, vulgò *het Hof ten Sande* in Hontenessa, quæ in amplum se extendit, tria enim millia & 500 terræ mensuras continet, sub Dominio Flandriæ Principis, & Patronatu quoad Ecclesiam Domini de Heule, quæ titulum S. Martini habet: agros arva & pascua apud *Ossenesse* dono Comitum Flandriæ, qui Toparchi, patronatum Ecclesiæ habente Heulæ Domino. Baudeloenses, qui Gandavum migrarunt, habent hospitalitatem in Wendelzea, decimas in *Pauwelspolder*, qui 100 continet mensuras, & Ecclesiam habet D. Gerulpho sacram, & Patronum, Trunchinii Abbatem. Sacellum in Lanswæda, Deiparæ Virgini sacrum, & olim miraculis clarum, quorum venerationi anno 1495 annalem supplicationem instituit Trajectinus Antistes. Doustani, vulgò *Ter Doest*, Cisterciensis ordinis apud Brugas olim Cœnobium, nunc Episcopatui unitum, apud Clingam. Trunchinienses apud *Heinsdijck*, ubi pagus 1800 mensuras continet, Ecclesiam D. Catharinæ sacram habet, ejusque Patronum Abbatem Trunchiniensem, sub Dominio Comitis Flandriæ: domus Melitensium apud *Groude*: Capitulum Cortracense apud Franconis aggerem, vulgò *Vranxdal*, latè dominantur. Et notandum Ioannem Guidonis Flandriæ Principis filium, Namurci Regulum, Polderum, inde Namurcensis nomen indutum, vulgo *den Polder van Namen*, cum vicinis 1500 terræ jugeris, olim ab Oceano oppressis recuperasse, & adjacere aut potius hoc Ambacto concludi nobilissima Dominia de *Maelstede*, & fani Ioannis ad Lapidem, vulgo *S. Ians Steene*, quorum illud familiæ *vander Gracht* dudum, hoc à quinque retro sæculis fuit Vicecomitum Gandavensium, & mansit in stirpe Gandavensi in hodiernum diem obediens Comiti Isegemio, ex eadem familia, & nunc ejus fratri Gulielmo, cum titulo Baronis, & Domini de Weldere. continebat 3000 mensuras terræ, nunc aliquam ejus partem fors Oceanus texit. Habet nundinas annales, mercatum equorum celebrem, privilegia & dominium Francum, item decimationem, quæ anno 1262, Baudelonensibus attributa & confirmata. Potens hoc in tractu, & antiqua Maelstediorum familia olim fuit. In ea Wulfardus Dominus *de Maelstede*, & Gerardus ejus filius, ad annum 1248, fidem præstant Margaretæ Flandrorum Comiti. Ad annum 1280 Ioannes *de Maelstede* jure peculiari possidet omnes molas & vivaria territorii Hulstani, ut in Archivis legitur Rupelmundanis.

Axele Ambachtum.

Axele vulgo, Axla Malebranco, Axela Vredio, per quam sicut & per Hulstam Malebrancus ab Ordborg viam militarem ducit usque Andoverpos. Secundum inter Ambacta Flandriæ locum tenet, & caput olim agri fertilis fuit, & pars Flandriæ continentis. At tota nunc vel mari, vel marinis æstuariis clausa, quod tamen, inquit Gramajus, seu veterem, seu hodiernum Axellæ situm inspicias, commodè debet intelligi. Quamvis enim lacus Moeræ ad orientem æstivum Ambactum Axellense contingat, tamen oppidum non nisi eminus respicit mediis intercurrentibus agris pagorum de *Beóostenvliede*, ubi Ecclesia D. Martino sacra, patronum habet Toparchum de *Heule & Zuytdorpe*. Quamvis etiam absorpta potiori parte Westdorpiæ, & Dominatus Stelandici, Oceanus videatur pomœrium suum extendisse, tamen ubi anno 813 (paulo serius à Christi natali, ut mox videbitur) Gobertus Dynasta non contentus 33 pagis Bertinianos locupletasse, Cœnobium S. Salvatoris legitur dedicasse, ne sic quidem oppido censendus est impendere, quod directiore fluxu Aquagii ad portum, cui à figura adunca nasi, vulgo *Ter Neusen* nomen est, in mare defert mercimonia, & naves suas, ex privilegio Guidonis Comitis. Abbatia porro à planitie sepibus vestita nomen adepta, vulgo *Ter Haegen*, titulo domus Gaudii anno 1230 cœpit. Et reperio ob maris insolentiam, & periculi metum religiosis oblatum ab Iutta *van Bryen*, fundum intra limitem Parochiæ Meckelbecanæ struen-

struendo Cœnobio prætulisse, & augente dotem, ac instante Margareta Principe anno 1278. ad priorem in suburbano Axellensi locum revertisse, ibidemque hæsisse, donec per martiales nimbos Oceani inclementiores pulsæ, Gandam profugæ, Cœnobium istic adornarunt. Nundinæ autem à Carolo Cæsare V confirmatæ, insigni mercium maritimarum adfluentia olim fuerunt decoratæ, ita ut stapula piscium, vulgo Axella vocaretur. Ambactum vero, præter nominatos ante pagos continet, (ut prætereantur Ertinga sub aquis, & Vrendica inter fanum Wilhelmi, vulgo *Willemskercke*, juxta easdem latentes,) *Notenam* Petri van Houte Præfecti rerum maritimarum sub Philippo Audace patriam, *Andijck* etiam & *Saemslacht*, à salmonibus, ut apparet, nuncupatum, Castro veteri sub Philippo Duce anno 1452, & nuperis turbis multum læso, spectabile & commendaria Melitensium nunc, olim Templariorum Priore anno 1282. quod reperi certa latifundia data à Gerardo de Maelstede Equite militibus S. Templi, ad opus Templi de *Saemslacht*. Fuit Dominium in familia ejusdem nominis nobili & vetusta, transiitque ad gentem *vanden Scoutete*. Civilium bellorum fluctus anno 1452, etiam Axella percepit: quum à Gandensibus munita, à Philippi Boni Gandenses oppugnantis militibus direpta fuit, atque incensa, quia Gandavi inopiam clanculum juvare insimulabatur: incolarum & accolarum impensis post restituta, nuperis Bellis vallis ac præsidio tam armata, ut contra fortes etiam adversantium insultus se tueri possit. Fuit olim cognomentum, & ex parte Castrense peculium illustris prosapiæ, jampridem in gentem *vander Gracht*, quæ Patronatum Ecclesiæ possidebat, & Liekerkanam transcriptæ. Possedit & illam pluribus annis familia Ghistellana.

Assenede Ambachtum. Hasnethe à Malebranco in tabula, *Asnetha* à Vredio in Chronico Msc. sancti Bavonis *Asneise* appellatur. Huic Comitatui (nempe Castri Gandensis, cujus primus Comes ab Ottone ad annum 949 constitutus fuit Wichmannus) quatuor villæ cum appendiciis Asneis, Bocholt, Axla, Hulsta, cum tota Wasia subjectæ fuerunt, inquit chronicon. Hæ villæ quatuor ministeria seu Ambacta vulgo vocantur, quæ sub Vltrajectina diœcesi fuerunt usque ad annum 1559, quo multiplicatis in Belgio Episcopatibus, sub diœcesi Gandensi sunt collocata. Asseneda septem pagorum caput est, arce veteri spectabilis, alioque prætorio, quod istic excitavit Andreas Andreæ quæstor Cæsareus, Eques, constititque per ea tempora nonaginta millibus florenorum, cum tamen summus operarum præfectus non nisi tres asses in singulos dies lucraretur. Habet & rivum sive canalem opportunum, qui hinc ad Philippinam, inde ad Sassi Gandensis arcem ducit. E propinquo etiam absorptas æquore terras respicit, quæ aliqua sui parte tamen auspiciis Serenissimorum Belgicæ Principum Alberti & Isabellæ ab injuriis Oceani vindicatæ sunt, & ab hoc Principum beneficio nomen habent. Oppidi gaudet privilegiis, etiam hebdomadaria nundinatione, & annua, lanificio etiam floruit, & negotiatione maritima, habuit & hospitalarium. Ecclesia ejus ad annum 1142 erecta est, titulo S. Crucis. Pagos complectitur ad utramque ripam aquæductus novi Gandensis inter rivos ex nemore Waerscotano & Axella profluentes in paludem, vulgo *het Moerwatere*. Inter illos primus occurrit *Wachtbeke*, pagus lætus & populosus, juxtaque Ecclesiam D. Catharinæ Virgini & Martyri sacram, municipii instar egregia serie domorum consitus, eum honoratiores Ambacti Assenedani Incolæ inhabitare solent. Ecclesia patronum habet Iseghemii Comitem, at temporali ejus Dominio, prout & totius Ambacti gaudet Flandriæ Princeps.

Eertvelde, pagus saltuosus & arvus est, cujus temporali partim Dominio potitur Vicecomes Gandavensis; idem patronatum Ecclesiæ habet, quam titulus Virginis Matris nobilitat. Locus mille quingentas terræ mensuras complectitur. Intra ambitum hujus Parochiæ Sacellum, vulgo *de Stoupa*, Virginis ejusdem honori dedicatum est.

Clusen, locus hic æstate admodum amœnus est, & flumine irriguus, fossaque utili, quæ in Sassi fluentum sese exonerans ad pontem longum ingentem lignorum copiam Gandavum vehit, Dominio temporali potitur partim Flandriæ Comes, partim Abbas Eynhamensis ad Aldenardam, qui Prætorem istic & Magistratum constituit. Habet & idem Abbas Ecclesiæ patronatum, quæ titulo etiam Virginis Matris insignita est.

Winckele ab austro adjacet pago de Wachtbeke, à septentrione attingit fossam quæ Gandavo Sassum ducit, ab ortu fluentum aliud, quod prata Moerbecana secat, ab occidente agros Zelzatenos, Dominum agnoscit Flandriæ Comitem. Ecclesia S. Crucis Patronum habet Iseghemii Dynastam, è familia Gandavensi.

Zelzaten pingues habet agros, nuperis bellis tutandis limitibus varia hic propugnacula præsidiis Regiis instructa. Ejus Ecclesia Virgini Catharinæ & Martyri sacra est, sub patronatu Comitis Iseghemii, & Principis Flandriæ dominatu.

Bocholta Ambachtum. *Bocholta*, vulgo *Bochout*, (Malebranco *Bocholt*, Vredio Bocholtum) vel Bochauta (ut scribit Codex Bavonensis) villa, civem habuit Ioannem Sisidevindium Monachum Dunensem, apud suos, juxta Thomæ Abbatis Dunensis tumulum, sepultum. De quo Meyerus in Annalibus ad annum 1312. Theologus fuit Parisiensis litteratura insignis. Prætorio, legibus, immunitate, portu, nundinis, & Senatu oppidorum instar olim instructa. A Sylva fagina nomen accepit, & communicavit terreno in longum ab æstuario absorptis aliquot pagis mirifice aucto, & hinc à Philippi Regis nomine munitionem; inde à Pyro vicum nominatum, vulgo *Peerboom*, habente, ad sylvam usque Waerscotanam tendenti. Quo tractu agger aquarum, vulgo *Waterdijck*, est, eundem cum vicinis aliquot pagis & poldris vindicem, & cedente Principe Dominum adeptus Ieronymum Laurinum Equitem, Ærarii apud Belgas Regii Thesaurarium & Consiliarium, Oeconomumque Regis Philippi ante annos amplius centum. Nec enim contentus pagos aggeris & fluenti aquarum asseruisse, acquisitos insuper dono Ducis anno 1497. Poldros Ambacti Isendicani oppositos pago S. Ioannis in eremo, Poldro Georgiano inter portum Bochoutanum,

KAERTE VAN DE VIER AMBACHTEN.

ZVYT BE-VER OFTE WESTER SCHELDE.

'tLandt vander Goes.

Verdroncken Zuydt Bever landt.

De Hont

Hulst

Philippine

Sas

Ghendt

Schale van een Vlaemsche myle, 15 maken een Graedt en houden in 2000 Rynlandtsche Roeden

Geraerd Coeck sculp.

num,& occidentalia Biervlietam à Baenſtiis Guidone, Conſiliario & libellorum ſupplicum magiſtro; & Paulo nuper Senatus Præſide redemit, aliaque ab aliis comparavit; & Oceano excluſo ſationi & paſcuis accommodavit, feliciter ſane, donec ingenti damno idem anno 1570, & aliàs aggeres ſuperans bonam exaggeratorum prædiorum partem reſorpſit, quibus demum reſtaurandis per hæc Alcedonia gnaviter incumbitur, ut tum ſcribebat Gramajus. habebat Bocholta Dominum temporalem Flandriæ Comitem, Eccleſia S. Crucis Patronum Baronem de Nevele. Ambacto Bocholtano ſubſunt, inprimis *Baſſevelde* pagus ad quartum ab urbe Ganda lapidem ſitus, ſylvoſus & arvus, jactare etiam ſolens, inquit Gramajus, Ciſtercienſis inſtituti virile diverſorium. Habuit ab antiquo familiam ſibi cognominem, & in ea memoratur Theodoricus de *Baſſevelde*, qui cum aliis nobilibus Flandriæ, ad Bella ſacra ſecutus eſt Philippum Elſatium Flandriæ Comitem. Pagus de Baſſevelde Dominum nunc habet temporalem Flandriæ Comitem, Patronum Eccleſia Antiſtitem Gandavenſem, & titulum Virginis Matris. Pagi amplitudo ad quinque millia menſurarum terræ ſe protendit, ex quibus multa ſylvoſa, aliaque non ex uberrimis.

Subeſt & *Ooſteecloo*, pagus ſylvis conſitus, & myricetum habens, olim item Abbatiam virginalem ordinis Ciſtercienſis, Gandavo nunc inſitam, antiqua fuit illa, & de cujus primæva inſtitutione non ſatis conſtat. Dominio de *Ooſteeclo* potitur Flandriæ Comes. Pagus nongenta terræ bonaria, ut vocant, complectitur, ſed in iis non pauca vix ad frugem idonea, niſi multo labore ſubigas. Eccleſia titulum S. Crucis habet, & patronum Antiſtitem Gandavenſem.



W A S I A,

vulgò

HET LANDT VAN WAES.



Obilissima Comitatus nisi Dominatum hic vocare velis) Flandriæ portio , ad Aquilonem ejusdem Provinciæ sita Wasia. Clauditur tota fluminibus Scaldi , Durma, & oppido Hulsto. *Situs.* Etymon habere videtur à *Wase* , *Nomen.* quod cœnum sive limum Teutonicè significat. est enim magnam partem ditio ferè limosa,aggeribusque,(sed olim magis fuit,) contra inundationes Oceani & Fluminum munita. Scrieckius , Becanus , Emmanuel Sueyro , & alii quos hi secuti sunt , his in locis, ac in vicinia populos constituunt , quos Cæsar libro quarto & quinto de bello Gallico nominat Levacos , qui cum Pleumosiis , Grudiis & Gondunis, inter clientes Nerviorum erant , nomenque derivant à Leeg & Wack , alii Leege-wake , forte Leege-Wasie , mutato W nostrate in V , more Latinis ac Gallis familiari , ut & hodie nomen idem Vasii , vel Wasii , truncato Lee , quo Flandris nihil communius , agnoscamus. Quidquid sit , supervacuum foret , ex historiis velle ostendere , hanc *Antiquitas.* Flandriæ partem admodum inter alias antiquam esse , cultamque in primis & habitatam , cum id situs ejus sufficienter doceat. Nam tota ferè celebri illo flumine Scaldi cingitur ; vicinasque habet urbes aliquot potentes & antiquas , etiam arces : ut sunt Gandavum , Antverpia , Teneramunda , Hulstum , Axela, Castella de Rupelmonde , Bevera , Saftinga , quod ultimum inundatione periit. Cum itaque primæ ditionum inhabitationes ex commoditate fluminum , ac protectione vicinarum arcium oriri soleant, imo plurimæ arces urbibus suis originem dederint , (ut patet ex antiquis nominibus castri Gandæ, castri Andoverpis, & similibus) dubitari nequit, hanc etiam regiunculam antiquis urbibus castellisque coævam , ab omni antiquitate plurimum cultam fuisse. *Indoles incolarum.* Præ reliquo Flandriæ solo incolas habet industrios & sagaces , comes , & humanos , probitati & antiquæ fidei addictos , in re rustica gnavos , in mercatu solertes , Principibus suis fidos ; quanquam præ cæteris gravissima belli onera , ob continuum in visceribus suis militem , senserint. *Domini.* Comitum olim Hollandiæ Castrense peculium fuit , Cæsarum puta beneficio. Ab aliquot enim sæculis , dividitur Flandria in Comitatum , Dominatum , & Proprium. Comitatus à Dominatu Scalde discernitur , subjiciturque Comitatus Regno , Dominatus Imperio. Quatuor tamen officia , Wasia , agerque cui Transscaldano nomen , cum parte agri Teneramundensis , licet Cisscaldana sint , Dominatui contribuuntur , & paruerunt antiquitus Imperio. Quanquam illa ferè omnia Princeps Hollandiæ in clientela Comitum Flandrorum diutissimè possederit , uti mox è Meyero videbimus. Ditionem verò hanc Forestum Wasiam vocat Ludovicus Germaniæ Rex , in donatione ejus , quam facit Theodorico Comiti , ad annum Dominicæ Incarnationis 868. cujus ad eundem annum meminit Aubertus Miræus in annalibus Belgicis , & diploma (quanquam illi non satis certum) recitat cap. XXIII. in donationum piarum codice. Cæterum Ianus Douza lib. 5. annalium Hollandiæ suspicatur , hunc Theodoricum Comitem , ad quem ista Ludovici Germaniæ Regis liberalitas pertinuerit , fuisse avum Theodorici Primi Hollandiæ Comitis , & patrem Gerolfi, qui ejusdem Theodorici primi pater fuerit. Atque id quidem ex Reginone colligi posse videtur , qui anno 885 Gerolfum & Gardolfum , Frisonum Comites , à Godefrido Normannorum Rege Legatos ad Imperatorem missos , & anno 898 Eberhardum Ducem , à Walgario seu Walgero Frisone Gerolfi filio , in venatione per fraudem trucidatum fuisse, scribit. Quem eundem esse cum Walgero Theodorici I , Hollandiæ Comitis fratre , idem Douza censet. Theodoricus autem Gerolfi pater , nisi conjectura me fallit , fuit Ludovico Balbo Caroli Calvi filio cubicularius : ipsique idem Balbus comitatum Augustodunensem , supremis tabulis anno 879 legavit , ut apud Aimonium lib 5. cap. 39. legitur. Ita ferè Miræus in notis ad idem diploma. Arnulfus autem magnus Flandriæ Comes ad annum 937, in diplomate quo varia confert prædia Blandiniensibus sub Transmaro Noviomensi ac Tornacensi episcopo , sic loquitur. In Pago etiam Wasa , super fluvio Scalda villam nuncupatam Temseca, in qua diu corpus beatæ Virginis requievit Amelbergæ , &c. Quomodo autem sub Hollandis posita Wasia ad Flandros redierit , narrat Meyerus libro quinto annalium sub Theodorico Elsatio , ad annum 1168. Florentius , inquit , Comes Hollandiæ , quem Brugis captivum asservari ostendimus , custodia est dimissus , paxque inter eum & Flandrum his legibus composita , ut obsides , quos Flandrus habebat de Insulis inter Scalden & Edinseam , remaneant Brugis , quamdiu Flandrus voluerit. Vt nullum certamen aut duellum usquam fiat propter dictas Insulas , nisi in urbe Brugensi. Vt omnes proventus & emolumenta ac bona quæque Fisco addicta in iisdem Insulis , Comites inter se dividant.


WASIA.
'T Land van Waes.
Ampliß. Nobiliß. Prudentißimisq;
viris
D. MAXÆMILIANO vander GRACHT,
Equiti, Domino de Vremde, Eechove, Schardã, etc.
SVMMO PRÆTORI;
D. GEORGIO DE BRACLE, Domino
de Willecomme, Varebeke etc.
D. IACOBO VANDER ELST
D. CAROLO DE HARTOGHE Domino
de Padeschot etc.
D. FREDERICO VAN NIEVWELAND,
Domino de Walle
D. ÆGIDIO DANSAERT
D. PHILIPPO LAMORAEL
D. IOHANNI DOIS TERLINCK
SCABINIS
TERRÆ WASIÆ
Tabulam hanc D.D.
Antonius Sanderus.
BRABANTIÆ
PARS QVATUOR
OFFICIORUM.
PARS.
'T LANDT VAN DENDERMONDE.
Bornhem Baronatus
Hulst
Antwerpen
Staabroeck
Peckgat
S. Iacobs Schans
Redout
Ooster Weel
Sluys
t' Beversbroeck
Den Polder van Beveren
t' Verdronchen
Sanaberg
Spinola
Die begrypt een myle.

dant. Vt exules & homicidæ Hollandiæ, in Flandriam non habant refugium. Vt neuter Comitum in prædictis Insulis ullas exstruat munitiones. Si Comes Hollandiæ contraeat huic paci, quidquid in Flandri clientela terrarum possidet, committet, donec injuriam ac damna resarciat. Item si quis mercator Flandrus in Hollandia spolietur, oppidum aut ager in quo spoliatus fuerit, damnum præstabit arbitrio sex virorum. Vt mercatores Flandri tota Hollandia à vectigalibus sint immunes. Si quid sub umbra vectigalis aut tributi illis ablatum fuerit, Comes Hollandiæ reddere teneatur. Vt mercator Flandrus transiens per Hollandiam, de omnibus, quæ exigentur ab eo, debitis, solo juramento se possit purgare, ne remoretur ejus iter. Si ultra juramentum mercator impediatur, teneaturve, Comes Hollandiæ damna ejus, & impensas luat. Actum Brugis in præpositura sancti Donatiani, Feria tertia post Reminiscere, anno 1157. Ita enim tempus annotatur in tabulis. Verum haud ita multo post, quia Florentius hanc pacem non servavit, abstulit illi Philippus omnia, quæ habuit in dictis Insulis. Abstulit præterea illi terram Wasiam, quam tenuerant Comites Hollandiæ in fide ac clientela Comitum Flandriæ. Hæc omnia sui fecit juris, ac Flandrico adjecit imperio.

Narrat & idem auctor lib. x. annalium, sub Guidone Dampetra, cùm an. 1280, Rodulphus Cæsar per sententiam declarasset Imperialem, Alostanos, Wasiam, quatuor Officia, Insulasque Zelandicas ad Fiscum rediisse, eo quod de iis Guido non præstitisset in tempore juramentum, attribuissetque Cæsar omnes eas ditiones Ioanni Aveniensi Comiti Hannoniæ, quamvis de iisdem terris Guido nomine matris anno 62 in urbe Gandavo jurasset in verba Cæsaris Richardi: quod Guido, sentiens, se maxima gravatum injuria, Romanum appellavit Pont., defunctoque post annos aliquot Cæsare Rodulpho, Alberto Cæsari se apud Aquasgrani jurejurando devinxerit, revocata sententia Rodulphi. Hactenus ita Meyerus. Cæterum hanc Wasiæ ditionem longo tempore etiam fuisse sub Alostanis Comitibus, è familia Gandavensi, videre est apud Andream du Chesne, lib. 4. de eadem familia. Vti verò nuperis bellis, ita prioribus sæculis ab eadem Martis inclementia, varias passa est hæc ditio calamitates, ac ruinas. Memorabilis autem ea clades fuit, quæ sub Philippo Burgundione, ad an. 1452, Wasiæ contigit. Cum enim, (licet ad XVI Kal. Iulias ejusdem anni, feliciter contra Gandavenses apud Wazeliam Wasiæ pagum, *Bazeele* vocant, pugnasset) antedictus Princeps filium in ea pugna suum, Cornelium clarissimum virum, omnique nobilitati charissimum, ut ait Meyerus, amisisset, incensâ prius, quo magna pars Gandavensium fugerat, Wasemunstrâ per Picardos, ita enim Gandavenses eos nominabant, qui signa Principis sequebantur, Princeps Philippus, propter amissum præstantissimum filium, gravi dolore adfectus, ut illum ulcisceretur, XII Kal. Iulii Wasiam ingreditur: Cum eo Venensis & Alnetanus Procurator Hollandiæ cum tribus millibus Hollandorum, quorum maxima pars balistarii, pagos, & munitiones ferè omnes, absque ulla misericordia incendit, omnesque tandem ad unum delevisset, nisi magno accurrissent numero agricolæ inermes, supplices, nudis calcibus, veniam & misericordiam magnis vocibus flagitantes: quorum Dux motus precibus, incendia sisti jussit. Ad Moerbekam multi utrimque interfecti, sed plures longè à Gandensibus, totusque pagus exustus: virorum duo millia juxta Engerranum ceciderunt. Refert Tornacensis, quaterna amplius millia villarum seu habitationum, eâ expeditione fuisse consumpta. Totâ hebdomadâ Philippum ei fuisse negotio intentum, singulisque diebus sub Solis occasum in arcem Rupelmondam fortem ac tutam se recepisse, milite in agris relicto. Et paulo post idem auctor; Miseriam, inquit, & calamitatem, quam tunc passa est Orientalis Flandria, nemo explicare posset. Non oppressa tamen, at sensim pristino flori restituta hæc provinciæ portio, cum ipsa Wasia exsurrexit. Wasiæ solum alibi pingue ac opimum est, alibi sterile, aridumque, sed quod industria ac improbo labore gentis, mirum in modum emendatur. Præcipuus in ea lini proventus est, & juxta maritima & æstuaria optimi frumenti, quale passim per quaterna Officia, vulgò, *de vier Ambachten*, crescit. Linum magna ditioni illi parit compendia. In qua recursus est etiam per omnem ferè septimanæ diem nundinationum hebdomalium. Hoc enim die, nempe Mercurii, apud Lokeram, altero, nempe Iovis ad D. Nicolai, nunc in Tamisia, alias, nimirum Sabbatho in Stekene, die Martis apud Beveram, dein & Rupelmondam, & aliis in locis hebdomadarius ille mercatus exercetur. In consuetudine plurimorum hoc etiam positum est, ut qui negotiationis caussa locum hunc hodie frequentavit, ad alium postridie ejusdem rei gratia sese conferat. unde quæstus municipum, & mutua lucra. Magna etiam huic ditioni utilitas, à fluminum eam pertranseuntium commodo cursu, à Durma præsertim ac Scaldi. Fluvius est Durma, qui ad *Winkele* pagum exoritur, & ad *Temsecam* in Scaldin exoneratur, quo ditio hæc non minus quam ipso Scaldi alluitur, & lacum habet.

Calamitates. *Soli qualitas.* *Fluvii.* *Pagi.*

Ditio Wasiæ complectitur hodierna die sequentes pagos, *S. Nicolai*, *Lokeren*, *Waesmunster*, *Stekene*, *S. Ægidii*, *Basele*, *Morbeke*, *Nieuwkercke*, *Vracene*, *Sinai*, *Belzele*, *S. Pauli*, *Melcene*, *Thielroode*, *Elverzele*, *Kemseke*, *Dackenam*, & *Haesdonck*. quod totum, Curia Wasiæ, vulgò *de Keure*, appellatur, nec alios particulares Toparchas habet, præter Flandriæ Comitem, nec sub jurisdictione alicujus oppidi positum est. Sub eadem insuper Wasiæ ditione comprehenduntur sequentes pagi ac toparchiæ, videlicet, ditiuncula Beverana, vulgò *het Landt van Beveren*, complexa pagum *de Beveren*, *Verrebrouck*, *Kieldrecht*, & partem *in Haesdonck*, aliisque quibusdam parœciis. Complectitur etiam Wasia Tamisiam, vulgò *Temsche*, *Exaerde*, *Kruybeke*, *Zwijndrecht*, & *Burcht*. Et quanquam dominus de Beveren aliique toparchi, per suos prætores, homines feudales, aliosque jurisdictionis administros, in suis quisque dominiis justi-

Justitiam exerceant, tam criminalem quam civilem, in politica tamen gubernatione, ac partitione onerum, ac subsidiorum, quæ à Principe petuntur, subjiciuntur summo Prætori, aliisque Scabinis hujus ditionis, ut ejus circulo circumscripti. *Rupelmonda* solius Principis agnoscit imperium. Consentit huic etiam divisioni liber Flandriæ censualis, qui pagis quibusdam dominia quædam connectit, ut *Cauweburch*, *Pumbeke*, *Paddeschoot*, *Aerscoot*, asserens, cum tota Flandriæ provincia centum pendit, à Wasianis tribui libras duas, solidos octodecim, ac denarios duos obolares. Ejus incolis an. 1531, sanctione Caroli Quinti Cæsaris, permissæ sunt in linea transversali patruorum, avunculorum, amitarum, & materterarum successiones, cum antea mos patrius à latere excluderet universas. Ditio hæc pars est Flandriæ illius, quam scriptores nominant Imperialem; & quanquam, ut ante vidimus, diversis temporibus ac titulis possessa fuerit à Comitibus Hollandiæ, in fide tamen ac clientela Comitum Flandriæ illam tenuerunt. Prima ejus ab hoc Comitatu avulsio facta est anno 1062, cum Balduinus Pius Flandriæ Comes, Roberto Frisoni filio suo secundo-genito, in manus venienti cum Gertrude filia Florentii, Comitis Hollandiæ, in dotem dedit, inter cætera dominia, ditionem Wasiæ. Quæ iterum anno 1070, Flandrico Comitatui restituta est, iterum postea ad Hollandos rediens. sed cum anno 1165 Florentius Hollandiæ Comes, cum suis confœderatis, irruptionem in Flandriam Armenterias usque fecisset, ibique acriter pugnatum esset, Duce Philippo Theodorici Elsatii, qui propter decrepitam ætatem rebus gerendis parum idoneus videbatur, filio: captus est Florentius, & ad annum usque 1167 Brugis in custodia detentus. Vbi eodem anno inter Principes convenit, ea conditione, ut si pacta Florentius non servaret; omnia ea perderet, quæ in clientela Comitis Flandriæ possidebat. Pactis itaque non stante Florentio, ademit ei Philippus Wasiam, & Comitatui Flandrico univit. Quanquam multis annis post Hollandiæ Comites non destiterint jus in eam ditionem prætendere. Cui tandem Wilhelmus Hollandiæ Comes, pace inter illum & Comitem Ludovicum Nivernensem pacta, ad annum 1323 irrevocabiliter renunciavit.

Privilegia.

Honorarunt illam ditionem Flandriæ Principes multis privilegiis, cumque dudum ea incertis legibus, & ex nutu ferè præsidum illius administrata fuisset, Thomas Sabaudus, & Ioanna Constantinopolitana, Flandriæ Comites, an. 1241 certam illi legum formulam tradiderunt, perpetuò tenendam, quam Latinum diploma *Chore* vocat, Teutonice, *de Keure van Waes*:

Magistratus.

Quæ statuit pro supremo ejus provinciæ Magistratu, Prætorem unum summum, & Scabinos septem, quos principales nominat, qui semel electi, tota vita functionem illam tenent: ad quos, Magistratus minores, ceu parœciarum inferiores Scabini, recurrunt in dubiis caussarum ac litium controversiis, aliisque politicis negotiis; à quibus etiam ad principales Scabinos appellatur. Collegium hoc nobilibus plerumque ac præstantibus viris constat. Ea constitutio porrò confirmata fuit per Guidonem & Robertum Flandriæ Comites ad annum 1277, & ampliata. Per ea autem privilegia judicabat hoc collegium Scabinorum per arrestum, adeò ut ab illorum sententia provocatio non daretur, neque reformari posset extra eam ditionem: quo in usu manserunt ad annum Christi 1452. Cum autem per ea tempora Gandavenses in Philippum Bonum arma sumpsissent, iisque adhærerent Wasiani, qui & annonam ac commeatum Gandavensibus suppeditabant, Philippus in Wasiam Carolo Carolesii Comite ejus filio Duce irruptione facta, incensis illic ad quater mille prædiis eos in ordinem redegit. At mox apud Lokeram veniam à Principe consecuti, ac confirmationem legum ac privilegiorum adepti sunt: Excepto nihilominus, ut Principis diploma loquitur, quod Consules supremi, seu Scabini, feudalesque supremæ Curiæ Viri sententiarum provocationibus subjacent, possentque illorum sententiæ emendari & conciliari, quotiescunque litigantes ipsi suas deponerent querelas apud nos, scilicet coram Curiæ nostræ in Flandriæ partibus institutæ Senatoribus; quos quidem hujuscemodi litibus componendis committimus; quamquam in datis Comiti Thomæ jam defuncto litteris, nulla prorsus extet mentio prædictæ recognitionis ac emendationis; neque ullus prædictorum Consulum supremorum, illarum tenore litterarum, ex Wasiæ finibus possit educi. Cæterum collegium hoc quod ab antiquo multos illustres viros ac equites habuit, secundum institutionis suæ formam unoquoque bimestri convenire solet in parœcia S. Nicolai, quæ primatum hac in ditione gerit, & ubi prætorium Wasiæ totius existit, ad litium ac controversiarum omnium decisionem, toties denique, quoties id Reip. status exigit. Porrò ad annum usque 1518, stetit in foro S. Nicolai Tilia, sub qua ad summi Prætoris monita, civiles controversias Scabini dirimebant de plano, & sub dio, pro simplicitate illius ævi, & litium paucitate.

Iustitia Criminalis.

Sub eadem Tilia Sacramentum dicere solebant olim Flandriæ Comites pro ditione illa, ac vicissim fidem jurabant officiarii ac magistratus ejusdem. Nominatim id autem præstitere Philippus Bonus, Carolus Bellicosus, ac Philippus Pulcher, cujus rei exstant monumenta. Porrò justitiam criminalem in hac ditione exercent illi, qui in constitutione politiæ Wasianæ vocantur Homines Comitis, vulgò *'s Graven Mannen van den Hove van Waes*, qui feuda videlicet aliqua in eadem ditione possident, quæ à Wasiana curia dependent. Ex iis autem numero multis constituitur collegium quotannis septem hominum feudalium, qui ad requisitionem supremi prætoris, criminalem rem tractant, & ad D. Nicolai exequuntur.

Soli qualitas.

Ad soli qualitates quod attinet, mediam ubertatis lineam tenet; ubi minus fœcundum, ut ante tetigi, labore & industria incolarum emendatur, neque ulli per Flandriam loco in peritia rei rusticæ coloni Wasiani cedunt. Præcipuus lini proventus est, quod ubertim hic crescit, & nusquam melius, & magnâ copiâ quaquaversum divenditur. Vnicus ferè hujus terræ partus, si frumentum fortè ac siliginem excipias, his illisque

locis natam. Ab antiquo in armis exercitati ſunt, utpote finitimi Brabantis, ac Zelandis, cum quibus aliquando rixandum, belligerandumque fuit. Hodierna porrò ditionis militia, nuper novem millibus armatorum conſtabat, præter mille alios majoribus ſclopis inſtructos, quos Voluntarios vocant, qui quanquam Sacramento obligentur, ſtipendia tamen non percipiunt, niſi cum actu ad aggeres, alioſque terræ limites, excubant. In quam rem continuò parati eſſe debent, utpote vel minimâ occaſione impendendi. De Foris Waſiæ aliquid antè diximus: Hic addo, præcipuum eſſe ad D. Nicolai, nec aliud totâ forte Belgicâ celebrius, quod ruri habetur. Illud frequentant undequaque venientes exteri mercatores, & è vicinia plurimi, ob lini ac frumenti mercatum præcipuè. Hæc parœcia in meditullio ditionis ſita eſt, eoque loco, qui commodè per circuitum adiri poſſit. Incolas habet frequentes. Eminent & inter Waſiæ parœcias Lokeren, & Waeſmunſter, ſuper Durmam poſita, Tamiſia ad Scaldin, Bevera, & Stekene, de quibus mox particulatim. Præter caſtella Rupelmondæ & Beveræ, arcemque Tamiſienſem ſplendidam, viſuntur in ditione Waſiana prætoria virorum nobilium. In Bazele Baronis de Wiſſekercke, & Domini de Logenhage; in Tamiſia prætorium de Couderburch, apud S. Nicolaum domus Domini de Paddeſchoot & domini de Walburch; apud Exaerde prætorium Toparchi. In Moerbeke domus de Wulpſdonck. In Waeſmunſter prætorium de Ponterave. In Beveren domus de Siſele, domus de Welle, quam nunc inhabitat dominus Ioannes del Plano, Prætor Beveranus; In Thielrode, prætorium de Appelſvoorde. Ad ſanctum Paulum, domus de Voorde. In Kemſeke, domus de Voorhaute. Ad ſanctum Ægidium, domus de Cluſe. In Burcht, prætorium Toparchi. Ante civiles Belgarum motus, viſebatur etiam in hac ditione Monaſterium de Bodelo, ordinis Ciſterecienſis, in parœcia de Sinai; ſed iniquitate temporum cum eo loco dirutum eſſet, Gandavi nunc exſurrexit. In eo olim Archiva Waſiæ ſervabantur; eratque Abbas Carthophylax eorundem, ac privilegiorum cuſtos.

Fora.

Prætoria.

Waſiæ municipia & pagi.

S. Nicolai parœcia, vulgo *S. Niclaes*, municipium, ut antea intelleximus, elegans, ac populoſum, ab Eccleſiæ patrono S. Nicolao nomen habet. Forum habet annuum in feſto ejuſdem Divi, præter hebdomadis nundinas unaquaque feria quinta. Ejus amplitudo ad quater mille menſuras terræ ſe protendit. Inter Waſiana loca primatum quendam habet, illicque Waſiæ prætorium, & ordinarius Senatorum conventus. In eo juramentum ditioni præſtare ſolebant huic, & inaugurari Flandriæ Principes, Waſiæ domini. Id ibi præſtitit Philippus Archidux, ad annum 1497, ſeptima Iunii, ut archiva docent, & vitrum ab eo Principe Eccleſiæ donatum. Idem præſtitère Carolus Bellicoſus, & Philippus ejus pater.

Solent autem huc convenire Senatores ad jus dicendum unoquoque trimeſtri, aliàſque, cum neceſſitas exigit, conveniunt & homines Comitis, Feudales dicti, ad criminalem præcipuè juſtitiam exercendam. Fori privilegium ac libertas, donata fuit huic loco per Maxæmilianum Cæſarem, ad annum 1513. Nundinæ annuæ in Feſto Divi Nicolai, menſe Decembri, immunitatem habent ab eodem Maxæmiliano.

Waſiomonaſterium, vulgò *Waeſmunſter*, Pagus eſt habitatione virorum nobilium cumprimis per Waſiam celebris. Irrigatur fluvio Durma, habet etiam paſcua amœna, & opima; at qua ſeptentrionem reſpicit, loca ſterilia & arenoſa, in monticulos aſſurgentia. Temporale loci dominium habet Flandriæ Comes. Iuxta Eccleſiam domorum congeries cernitur, quarum non paucæ magnificæ & elegantes. A quibuſdam, nec immeritò, aula Waſiæ, locus hic appellari ſolet. Cœnobium quod hic cernitur, fœminini ſexus, & ordinis eſt Canonicarum Regularium, congregationis Victorinæ, ſub regula divi Auguſtini, quod ob nuperas turbas, in oppido Teneramunda aliquamdiu fuit.

Cæterum in hoc pago de Waeſmunſter ſitum eſt dominium de *Ponterave & Rye*, perantiquum, quod movetur à Curia feudali Waſiæ. Habet hæc Toparchia piſcationem in Durma à pago de Lokeren uſque Tamiſiam.

Bevera Waſiæ, Pagus amplitudine ſua & juriſdictione ſpectabilis, arcem habet Toparchiæ annexam, præter cæteras in Waſia conſpicuam, Dominium hujus loci ſplendidum ac potens in variis olim familiis fuit, ac diutiſſimè in Dixmudana: In Beveren quoque habet amœno loco ſitum prætorium è Trieſtiorum familia Baro de Auweghem.

Tamiſia, vulgò *Temſche*, municipium ad Scaldæ ripas ſitum, elegantia & amœno proſpectu nulli ſecundum. Arcem hic habet ſplendidam & prætorium inſigne Vir Illuſtr. Dominus *Alexander Bournonvillæus*, Eques Aurei Velleris, Dux Bournonvillæ, Comes Henniaci, Lietardi, Vice-comes Barlini, Baro Ranchi, Curiæ, & Divionis, etiam hujus loci Toparchus.

Sinai, in cujus diſtrictu olim Abbatia Bodeloana fuit, ingentis eſt amplitudinis pagus, quater enim mille terræ menſuras continet.

Stekene, municipium olim populoſum ac luculenta domorum ſerie adornatum, oppidique vultum præ ſe ferens; gaudet loci dominio temporali Flandriæ Comes. Nundinas habet hebdomadales, quæ frequentia celebres eſſe ſolebant; annales item, veteris in eum locum favoris Principum noſtrorum teſtes. Foſſa hinc Hulſtum & Gandavum ducit, navigationi & mercibus vehendis commoda, favore provincialium nuper admodum promota.

Aeſdonck, pagus recto verſus Antverpiam itinere ſitus eſt. In eo partem dominii ſibi vendicat modo Dux Arſcotanus, ratione Toparchiæ Beverenſis, quæ huc ſe extendit. Quæ tamen vocatur Curia Aeſdoncana ſub Principe eſt, & Waſiani Magiſtratus Iuriſdictione, ubi & cum Zottegemio cenſum pendit. Pagi vero amplitudo ad mille octingentas terræ menſuras protenditur.

Burcht, pagus edito amœnoque loco ſitus ad Scaldin, unde ſecundo flumine mediæ horulæ ſpatio Antverpiam navigatur. Locus ultra ſexcen-

centas terræ menſuras non protenditur. Ab hoc etiam pago Antverpiam verſus ſuper aggerem, quaſi in Waſiæ cubito eſt celebre caput per Scaldin Trajectionis, oppoſitum Antverpiæ, cui *het Veer* vulgare nomen, derivatum à *Varen*, quod agi moverique denotat. Locus enim propugnaculo, ac militari præſidio munitus eſt, & à Burchto huc uſque via ſilicibus ſtrata, mercibus Antverpiam advehendis, & avehendis idonea. Arx dicta *Kraeyen-hof*, ſub Iuriſdictione Burchtana, viſitur, ad Toparchiam pertinens, habetque duplicem carcerem, criminalem, & civilem, ſive pecuniariis debitis obnoxium.

Rupelmunda: Celebre & antiqui nominis in Waſia municipium ad Rupelæ oſtia ſitum Scaldi ſe immiſcentis; dominio temporali ejus loci potitur Flandriæ Comes, qui arcem hic habet ſplendidam & pervetuſtam, & in ea carceres ſontibus horridos, quales in Vilvordiæ Caſtello Brabantiæ Princeps, plectendæ nobilitati præſertim, in Principem, aut Remp., aut aliàs peccanti deſtinatos. Habet autem nomen *Rupelmonda*, à fluvio Rupela ante memorato. qui ex Brabantia, in ejus aggerem oppoſitum undas, Netha Diliaque auctas, valide exſpuit, & ſe Scaldi adfundit. Arcem illam, de qua ante, robuſtam & ſpectabilem, à Margareta Secunda erectam, (eſt tamen multo vetuſtior,) oſtentat veterum Flandriæ diplomatum ac indultorum principalium Gazophylacium. Quæ, ut ante etiam dixi, juvenum aſotorum, ne inſanabiles evadant, famoſa cuſtodia, & procerum olim perduellionis ſuſpectorum carcer fuit. Multi in eo adfecti extremo ſupplicio fuere, etiam occulto, & intra carceris ipſius penetralia, nihil tale exſpectantes, viri claro loco nati. Fuit nuperis annis Rupelmonda per tempus aliquod ſub poteſtate Ordinum Fœderatorum, ſed virtute Alexandri Farneſii, Parmæ & Placentiæ Ducis, Belgicæ Præfecti, ad annum 1583 Regi Catholico reſtituta fuit.

Baſeele, edito & amœno loco ſitus, prætorium habet ſplendidum. A meridie Scaldim habet, qui magna iſtac majeſtate Antverpiam labitur. Dominus vero temporalis Flandriæ Comes. Amplitudo quater mille menſuras complectitur.

Lokeren, ampliſſimus per totam Flandriam pagus: duo enim millia & octoginta, ut vocant, terræ bonaria continet, hebdomadario foro nobilis. Dominum nunc habet Flandriæ Comitem, Eccleſiæ Patronum Epiſcopum Gandavenſem. Secat Lokeram Durma fluvius, navigationi aptiſſimus, niſi fortè per æſtivos dies aridiores, alveo minus profundo ſit. Pagus duabus ferè leucis à Teneremunda, tribus à Gandavo diſtat. Mercatus hebdomadarius non minus hic, quam ad D. Nicolai, frequentiâ advenarum celebris eſt, magnaque vis lini etiam iſtic divenditur, inque vicinas ac diſſitas regiones tranſportatur.

Exaerde, non obſcuri nominis, & amplæ poteſtatis dominium, nunc ſpectat ad virum prudentiâ ac virtutibus clarum, & nobilem, Philippum Lanckhals.

Belcele, Bella-çella dicitur in diplomate Tornacenſi, pagus eſt in meditullio ferè Waſiæ ſitus. Amplitudo pagi ad ter mille menſuras terræ ſe protendit. Toparchum non alium agnoſcit quam Flandriæ Comitem. Inſerit ſe tamen huic etiam loco, prout & Waſiomonaſterio, & S. Nicolai, dominium de *Paddeſchoot*, quod in fide ac clientela Toparchi Beverenſis modo poſſidetur à familia *de Hertoge*, quod altam, mediam, imamque juſtitiam, venationem, ac alias præeminentias habet. Intra limites hujus parœciæ ſitum eſt quoque dominium de *Voorde*.

Kemſeke, complectitur hic pagus bis mille terræ menſuras. Temporali ejus dominatu potitur Flandriæ Comes.

Tilroo, pagus una ſui parte Scaldi attiguus, cujus amplitudo mille terrarum menſuras complectitur, dominio verò loci Flandriæ Princeps.

Dackenam, non amplus, at fœcundus, Durmaque fluvio undique irriguus pagus; dominum habet temporalem, Flandriæ Comitem; Lokeræ vicinus eſt, & nongentas terræ menſuras complectitur, magna ſui parte paſcuus.

Vracene.

Moerbeke, in quo pago multa prædia poſſidet eccleſia Gandavenſis, vicinos pleroſque amplitudine ſuperat. Duo enim millia, ac ducenta terræ jugera complectitur, maximam etiam partem paſcuus, & Toparchia Flandriæ Comitis, prætorioque non ignobili antiſtitis Gandavenſis clarus.

Niewkercke. Dominium temporale Comitis eſt Flandriæ. Ad mille autem & ſexcentas terræ menſuras pagi magnitudo protenditur.

Melſene, paſcuus non minima ſui parte pagus eſt, & dominio potitur temporali Flandriæ Princeps.

Elverzele, Eundem Flandriæ Comitem agnoſcit Dominum; mille menſuras terræ complectitur.

Crubeke, ad ripam Scaldis edito loco ſitus, proſpectui latè per Brabantiam patet. Dominium temporale Flandriæ Comitis eſt. Bis mille ducentas terræ menſuras continet.

S. Ægidii, vulgò *S. Gillis*, non infimi nominis in Waſia pagus, à S. Ægidio, cui Eccleſia inſcripta eſt, nomen habet; Dominumque, ut cætera ferè omnia per Waſiam loca, Flandriæ Comitem. Amplitudo ejus ad ter mille ducentas terræ menſuras ſe extendit. Locus in Waſia celebris eſt, quam nonnulla etiam Waſianæ Nobilitatis pars inhabitat.

Kildrecht, ab hoc non procul ſita ſunt *Calloo*, opimis proventibus dotatam curam paſtoralem habens, terraque nuper aquis educta, miræque fœcunditatis, quam *den Doel* nominant, ab hac fluminis Scaldis parte, ubi circumcirca in aggeribus conſpicere datur varia à regiis contra hoſtem Batavum, ac viciſſim ab illis contra regios excitata propugnacula, milite præſidiario inſtructa, quæ quia Waſiæ adjacent, pars ejus ditionis cenſeri poſſint.

Swindrecht, Dominium temporale nuper habuit *D. Ioannes van Hove*, Patricius Antverpienſis, oppignorationis titulo, ſed nunc refuſa pecunia, cum Burchtana Toparchia ad Præpotentes Flandriæ Ordines rediit. Ejus amplitudo quatuor millia menſurarum terræ complectitur.


Verrebrouck, juxta æſtuaria ſitus, Toparchia ad Flandriæ Principem ſpectat.

D I-

DITIVNCVLA
DE LALEVE.

Ditiuncula in Confiniis Flandriæ Gallicanæ sita, vulgo LE PAYS DE LALLEVE Sub Dominio Abbatis S. Vedasti ad Atrebatum Vedasto du Plouich Auctore.

V. du Plouich Fecit

Rmenteriam inter & Stegriam, quod Minariacum est, ut alibi docuimus, in Itinerario Antonini cognitum, est peramœna quædam omnisque generis rerum, maxime autem tritici & aliarum terræ frugum feracissima regiuncula, vulgò dicta *le pays* de LALVE, & pagis quatuor, quorum caput est *Leventisium*, pari cum oppidis muro clausis jure, ac privilegiis gaudens, insessa. Præpositura insuper nobilis, & subsidiorum omnium Principi passim dependi solitorum immunis. Donata fuerat olim ditiuncula hæc à Comite nescio quo Flandrorum Romano Pontifici. Sed hoc utcunque factum sit, reversa est postmodum sub imperium Regis. Magnis in ea juribus, latifundiisque potitur Vedastinus apud Atrebates Archimandrita. Nec Germana tamen Artesiæ pars, neque Flandriæ censetur, sed medio quodam inter utramque loco per se subsistit, Flandrico tamen solo magis insita adsitaque ab omni parte, habet à Septentrione flumen Legiam & Teutones Flandros, ab ortu & meridie Flandrogallos sive Walones, ab occidente verò, oppidum parœciamque de Gorga, extra tamen ditionem hanc sita. Atrebatum jurisdictioni subditur, non Flandriæ Concilio, quod est Gandavi stabilitum. Ob eam verò causam hic Geographicis Flandriæ nostræ descriptionibus illam conjungo, quia in vicino sita est.

GAL-

GALLO-FLANDRIA.



Vm Flandriæ tractum, quem strictiori vocabulo Comitatum vocant, quemque in generali totius Flandriæ descriptione Comitatum Alostensem, Tornacesium & Hannones ad ortum, ad Meridiem eosdem Hannones & Artesios, versus Occasum Artesios, Caletes, & Oceani Germanici partem, ad septentrionem idem Germanicum Mare, Zelandiam, & Quatuor Officia, conterminos habere diximus, eum inquam tractum jam ab olim divisere idiomata, & Lisa Fluvius ab montibus Artesiæ progrediens, & longo ac sinuoso meatu Gandavum usque Flandricas urbes camposque intersecans. Inter Oceanum & eum amnem quæ porriguntur, nobilissimam & maximam Comitatus Flandriæ partem efficiunt, hæcque ab iis incolitur quibus Teutonice loqui natura concessit. Ad dexteram Lisæ quæ consident, partimque Scarpo, partim Scaldi clauduntur; vel hos etiam inter fluvios procurrunt, alteram constituunt hujus ditionis partem. Hujus partis vero incolas varius dividit sermo. Qui versus Orientem jam inde à Meninis & Halewino, conterminis locis, inter angustias fluminum Gandavum usque procurrunt, etiam Teutonicam linguam sonant: contra qui versus Meridiem & Occasum à dictis finibus latius diducuntur, paucis ad Lisam sedentibus exceptis, Gallico idiomate sensa animi exprimunt. Hæc ditio quamvis cum altera Flandriæ Comitatus parte collata, prorsus angustis limitibus contineatur: per se tamen neque modica est, neque suis laudibus caret.

Termini. Hoc igitur Gallicum Flandriæ membrum ab Oriente Flandris Teutonicis & Tornacesio præcingitur: ad Meridiem Hannonios & Artesios habet; ad Occasum iisdem Artesiis jungitur; inde versus Aquilonem & Ortum Teutonicos late Flandros aspicit, ab his magnam partem benigno & fœcundo cursu Lisa disjungit; *Fluvii.* Deulla intersecat; Scaldis & Scarpus partim circumeunt, partim interluunt, commodi omnes, & ferendis navibus idonei, ideoque ad fertilitatem & opulentiam vario meatu, & deportatione mercium opportuni. *Soli qualitas.* Irrigatum his fluminibus Gallo-Flandriæ solum ubique fertile est: minus tamen ea pars fœcunda, quæ versus Artesiam tendit. Cælum istic satis molle, ac plerisque locis ad fertilitatem & voluptatem obsequens. Pauci protuberant colles, iique nec lapidibus infesti nec frugum expertes. Pabulensis eorum præcipuus agro fertili, pingui caseo, altitudine, quamquam is partem maximam Artesiæ subsit.

Sylvæ. Plerumque solum nemoribus est consitum, unde struendis ædificiis & ignibus fovendis, magna lignorum copia suppeditat, nec minorem venantibus oblectationem. Præ cæteris nomen habent Flinense, Rayssium, Martianense, ac Cysonio vicinum. Quibus ea partibus desunt, villicorum industria & labor subveniunt, hortos, arva, viasque cæduis arboribus cingunt, ut plerique pagi & agri sylvarum speciem aspicientibus præbeant. *Arbores.* In hortis, quæ panguntur, varii generis fructus arbores ferunt, vel patriæ vel exoticæ. Quas prætendunt hortis, itineribus, agris, pratisque, infrugiferæ omnes: ac præsertim ulmi, salices, alni, utriusque generis populi, & interdum ilices, quercus, fraxini, quarum aliæ structionibus sunt, aliæ focis idoneæ.

Arvorum fructus. Vbi coluntur arva, omnis generis frumenta, linum, cannabum, legumina, & aptas inficiendis colore pannis herbas, proferunt abunde. *Pascua.* Qua fluminibus terræ madent, ex multis & lectissimis pascuis sunt nobiles: ibique multa equorum & boum armenta passim conspiciuntur, ac ingens anserum alitur copia.

Fossilia. Cæterum viscera regionis neque marmoribus, neque metallis turgescunt: solo lapide candido mollique juxta Insulam tument, cujus opportunior sit usus, fundamentis profunde jaciendis, quam struendis domorum vel templorum parietibus; juxta Tornacum cæruleo, qui licet findi soleat, candido tamen illo Insulensi est durior.

Vrbes & oppida. Vniversus hic tractus tres potissimum urbes, Insulam, Duacum, Orciam; oppida quatuor, Armenteriam, Cominium, Basseam & Lannoyam comprehendit. *Pagi.* Pagos vicosve circiter centum & septuaginta, nobilium arces plurimas, aut prætoria & aliquot in agris monasteria complectitur: *Opes.* opes ubique multæ sunt, seu soli fertilitas, sive hominum labor & industria, sive res aliunde advectæ conferant. *Populositas.* Paucos videas pagos aut vicos ubi minus quadringentis mortalibus numeres, qui pueritiam exuerint, in plurimis horum mille censeas, in multis mille quingentos; in quibusdam bis mille aut plures etiam reperias. *Occupationes.* Horum pars aliqua in agrorum cultum incumbit: in lanificium vel linificium alii, sive domi neant, sive telas & pannos varii generis radio percurrant; nusquam in agris & oppidis otio locus conceditur.

Incolæ. Incolas hujus regionis Gallos fuisse, Romanorum testantur libri; his cæsis vel pulsis regionem obtinuere Germani, Nervii nominati: Romani postea hunc tractum armis subegerunt, dein Franci advenere, tractumque hunc occupaverunt, sed mox à Romanis expulsi sunt, tandem Maximianus Imp. Francis huc revertendi potestatem fecit, ut vacuas factas incolis ditiones obtinerent. Verum extremis prope Imperii Rom. Principibus Belgæ Romanum à cervicibus jugum excussere; hi Francos Genebaldo Duce irrumpentes in societatem connubiorum & soli recepe-runt. Hos postmodum Aëtius & Majorianus eo loco ubi nunc vetus Hesduinum, magna clade afficiunt. Verum Clodius Francorum Rex vindictæ cupidine instigatus, Cameracenses, Nervios

GALLOFLANDRIA, in qua CASTELLANIÆ LILANA, DVACENA, & ORCHIESIA, cum dependentibus; necnon TORNACVM, & TORNACESIVM. Auctore Martino Doué Gallo-Flandro.

Occidens

Septentrio

Oriens

Meridies

Punctorum in hac Tabula EXPLICATIO

His punctis Tornacum et Tornacesium comprehenduntur.

Hisce punctulis Decanatus Episcopatus Tornacensis a se invicem separantur.

Hoc punctorum genere Castellania Lilensis includitur.

His lineolis quinque partes Castellaniæ Lilensis disiunguntur.

Hæ notulæ continent Balliviatū Duacensem et Orchesianam.

DOVAY · Falempin · ORCHIES · LANNOY · Cisoing · LILLE · Wavrin · COMINES · Comines

Pecque · Helchin · Reume · Mortaigne · TOURNAY et TOURNESIS · S. Amand · Espiers · Warcoin

Milliar. Germanica communia 1 2

Milliaria Gallica 1 2 3

Guiljelmus Blaeu excudit.

& Morinos ſubegit captis eorum oppidis & cæſis, qui ſupererant, Romanis. Fatis abſumto Clodio Merovæus regnum Francicum hiſce in partibus ſtabilivit. Varii hic dominati Domini, donec ſuccedentibus poſtea temporibus, cum in alios atque alios præcipua membra devolverentur, tandem in Flandriæ Comitem convenere, ut ſub eo corpus integrum coaleſceret. Et uſque ad tempora Philippi Pulchri Francorum Regis penes hos Principes ita fuit imperium Gallo-Flandriæ, ut quamvis Philippus Auguſtus Francorum Rex Inſulam & Duacum armis ceperit & aliquamdiu tenuerit, nihil tamen is circa dominium & gubernationem immutaverit. Tum enim Flandriam neque mores, neque jura, neque regimen, neque poſſeſſio dividebat. Verum poſtquam Pulcher captis Guidone Flandriæ Comite & Roberto Bethunio ejus filio, omnes hujus pulcherrimi tractus locos in ſuam vel armis, vel aſtu poteſtatem pertraxerat, tum denique dolis Enguerrandi Mariginii tantum Flandria vulnus accepit, uti pulcherrimum ejus membrum principio amputaretur, dein ſolo fere vocabulo Flandriæ rurſus coaleſceret. Vti membrum iſtud corpori ſuo reſtitueret, poſt alios Flandriæ Principes, multis laboribus Comes Ludovicus Maleanus perfecit, cum ea lege Margaretam filiam ſuam unicam, & omnium ditionum heredem Philippo Valeſio Audaci Burgundiæ Duci per nuptias conjungeret. Verum tametſi ob id matrimonium hæc ditio Flandriæ Comitatui rurſus annectatur, & cum ea unum Comitatus & Provinciæ corpus efficiat; eam tamen multa quadantenus diſtinguunt, quibus eam obnoxiam Franci effecerant; Ordines nimirum, Cenſus, Iuriſdictio, Comitia, Gubernator: quæ omnia ſeorſim obtinet. Cæterum hoc tempore totus Gallo-Flandriæ tractus Comiti Flandriæ adeo ſubjectus eſt, ut non modo ſupremum in eum obtineat imperium, & ab nullo eum Principe Clientelari beneficio vendicet ſibi: ſed ipſa etiam Tripolis, pagi quidam, multa loca juraque in peculium ejus dominicum ceſſerint: in alia pecuniam ad ſubſidium vel ordinarium, vel extra ordinem petendi capiendique jure polleat. Cætera vero, ſive oppida ſive pagi caſtraque, nullos Principum, Nobilium, Antiſtitum, Eccleſiaſticorum, ac civium dominos agnoſcunt, iiſque divitias ingentes comparant: ut fere incredibile ſit quantum tribuat opum hæc regio vel privatis locorum poſſeſſoribus, vel Flandriæ Comiti; ſive ſuam cogat ipſe pecuniam, ſive Comitiis Ordinum conceſſam accipiat.

Domini.

Eorum poteſtas.

Gubernator Gallo-Flandriæ.

Ante tempora Philippi Pulchri Franciæ Regis nullus Flandriæ Gubernator imponi ſolebat: quod pulchrum autumabant Flandri ab nullo quam ſuo regi, flectique Principe. Primus dictus Philippus, poſtquam Gallo-Flandriam fraudibus adjutus Mariginii ſibi ſubdidiſſet, qui ſuo nomine eam regeret, ibique jus diceret populo, aliquem miſit: qui mos ad hæc uſque tempora invaluit, ut vir aliquis magno genere natus & virtute bellica, prudentiaque conſpicuus Gallo-Flandriæ præficiatur: ad munus Gubernatoris autem ea omnia pertinent, quæ ſecuritatem regionis, vel jus in eam Principis, vel etiam juſtitiam adminiſtrandam ſpectant: ad cognoſcendum de litibus & criminibus duo habet tribunalia, alterum Inſulæ, & Duaci alterum. Inſulæ præcipue in eos agit qui muros extra vel in ſuburbiis, vel in pagis conſident. Duos habet qui abſentis, vel occupationibus diſtenti vices ſupplent vicarios: Horum alter in urbe frequentius agitat, alter pagos circumvolat, (unde & Volantis nomen ei à vulgo impoſitum.) Duo præterea Legum periti Iudici adſident, quos Adſeſſores, vel Conſiliarios vocant: eſt & Fiſci Advocatus & Procurator, & Scriba unus. Quod eſt Duaci Gubernatoris Tribunal, eorum eſt litibus cauſiſque comparatum, qui agrum Duacenſem & Orchienſem incolunt: duplicem habet Gubernatoris vicarium, Advocatum unum, itemque Procuratorem, & Graphiarium.

Gubernatoris Tribunal Inſulæ;

Duaci.

Capitaneus trium urbium Gallo-Flandriæ.

Præter Gubernatorem, rebus trepidis & quatiente vicinas regiones bello etiam quandoque tribus Gallo-Flandriæ urbibus imponebatur Generalis Capitaneus, ſed hæc præfectura cum præcedenti ita coaluit, ut idem ſemper ſit Gubernator & Generalis Capitaneus Gallo-Flandriæ.

Baillivus ſupremus.

Baillivi.

Supremus hujus ditionis Baillivus idem eſt qui Gubernator. Præter hunc tres alii conſpiciuntur inſigni poteſtate pollentes. Inſulenſis, Duacenſis & Orchiacenus: hi per omnes agros iis urbibus obnoxios, à quibus appellationem ſortiuntur, poteſtatem porrigunt.

Præpoſiti Gallo-Flandriæ.

Inter cæteros & Magiſtratus & miniſtros vel Comitis vel Reipub. non paucos habet præpoſitos Gallo-Flandria, ita nuncupatos, vel quod aliis præponantur, vel quod publico præficiantur muneri. Horum unus in totam incumbit regionem; in urbes ſingulas oppidave alii.

Præpoſitus Mareſchalli.

Qui totius ditionis curam ſuſtinet, Præpoſitus Mareſchalli appellatur; munus ejus eſt regionem frequenter obire, locos omnes latronibus, exulibus, & criminum reis tergere. Quos prehenderit, eos Inſulam deducit, ibique ſceleribus compertos adjudicat. Habet aliquot pro tribunali ſecum adſidentes Conſiliarios; ex quorum ſententia ipſe decernit, & reos capite plectit.

Præpoſitus Inſulenſis.

Prior & alter.

Eminet inter Vrbium Præpoſitos Inſulenſis; Primum inter Senatores ſemper occupat locum, quod Comitis Flandriæ perſonam ſuſtineat; intra urbis mœnia in criminis ſuſpectos, juris interverſores, edicta contemnentes animadvertit.

Præpoſiti Duacenſes.

Duacum duos habet Præpoſitos: Horum alter in potiſſimam urbis partem, quæ dextram fluminis obtinet, incumbit; is Flandriæ Comitis perſonam ſuſtinet, eademque fere poteſtate, qua Inſulenſis utitur; officium à nobiliſſimis adminiſtratum. In alteram urbis partem alter Præpoſitus curam porrigit, & præcipua pollet authoritate per obnoxium D. Albini Dynaſtiæ oppidi tractum, quæ ad eundem ſpectat Comitatum.

Reliqui Præpoſiti.

Armenteriæ, Lannoyæ & Cyſonii non parva, ut præcedentes, præditi poteſtate ſunt præpoſiti; neque deeſt ſuus quoque Halewino.

Ordines ſive ſtatus Gallo-Flandriæ.

Ordines ſive Status Gallo-Flandriæ à Flandriæ Teutonicæ Ordinibus, ut in generali deſcriptione monuimus, diverſi Inſulæ, quando neceſſitas exigit, conveniunt; conſtant ex Eccleſiaſticis, Nobilibus, & urbium legatis. Cum generalia & maxima Inſulæ Comitia habentur, Primus Ordo

Eccle-

Ecclesiasticorum Abbates Quatuor, Præpositos & Decanos Canonicorum aliquot includit cum Canonicis Capituli nomine. Alter Nobilium; Castellanum Insulensem, Baronem Cysonianum, Toparchas Wauringnium & Cominæum, aut quatuor eorum Baillivos: Dein Marchionem unum Robacensem, Comites aliquot, & plurimos primæ notæ Comarchos exhibet. Tertius totum Insulensem Magistratum, ab Duaco & Orchiaco legatos complectitur. Sed raro maximus hic Conventus agitur: Quot hebdomadis quatuor supra nominati Baillivi, ac de Senatu Insulensi Major Lateralium, ut vocant, Scabinorum prior, Pensionarius maximus & urbis Procurator, Insulensis ditionis, Ordinum nomine Insulæ certis diebus cum Scriba uno & Quæstoribus duobus conveniunt, ut de vectigalibus, & rebus aliis ad hos Ordines spectantibus agitent.

Ordinum Insulensium Conventus hebdomadalis.

Isle.

Insulas Galli vocant *l'Isle*, idque ob hanc caussam quod sita olim hæc civitas, instar insulæ, inter medios lacus, qui temporum successu exaruerunt, & mox aggesta terra sordibusque repleti sunt. Alii nomen derivant à plusculis insulis, quæ exstiterint quondam in aquis urbi circumfluis. Alluit vero urbem, qua parte castrum est, perexiguus amnis, qui ad Lendium ortus, Septentrionem versus decurrit, & ad Duselmundam pagum sese in Lisam exonerat. Condidit Insulas Balduinus Barbatus Comes, cujus filio etiam Balduino Pio, eo quod in hoc oppido esset natus, Insulani nomen tum est inditum: qui muris fossisque, arce, aula, quam *Salam* vocant, templo, collegioque Canonicorum D. Petri luculentissimo, anno 1066 exornavit. Nundinas mense Augusto habet annuas. Nobilissimus hîc Conventus anno 1433 agebatur: in quo Renatus Andegavi, Lotharingiæ, Barique Princeps, qui se utriusque Siciliæ Regem scribebat, Carolusque Borbonii Dux, cum Gall. Cancellario, ad Philippum Bonum accessere: ditionemque Castetanam pro captivitate Renati redimenda, filiisque ejus vadibus recuperandis in Philippum perpetuo transtulerunt. Scholam instituendæ in literis Græcis Latinisque adolescentiæ, Ioannes Silvius, aliique non sine fama fructuque Lilæ habuere, à Magistratu stipendiati. Monstrantur hic reliquiæ quædam veteris castri, quod vulgo appellant *du Buck*, quod domicilium fuit primorum illorum Procerum, qui à Regibus Galliæ destinabantur ad Flandriæ præfecturam, & initio Saltuarii dicebantur; exque humili illo loco tandem ad supremas quasque dignitates evecti sunt. Direpta misere & cremata fuit hæc urbs bello, quod Ferdinandus Flandrorum Comes gessit cum Galliæ Rege Philippo Secundo, & filio ejus Principe Ludovico, patre D. Ludovici: posteaque paulatim instaurata, capta iterum mutilataque est horrendis illis & Flandriæ perniciosis bellis inter Philippum Quartum Franciæ Regem, & Guidonem Dampetram Comitem. Hodie tam magnitudine, quam copiosis mercimoniis, Nobilium domiciliis, populique multitudine opulenta est atque celebris. Ex Liza per Deulam fluvium, muros arcemque urbis præterlegentem, Lisæque ad Deulemondam incurrentem, magnas opportunitates assecuta est, ut jam post Amstelodamum Antverpiamque, inter præcipua Belgii emporia censeatur. Sedem hic fixit Camera Rationum similis Bruxellensi, nisi quod major sit Insulensis istius autoritas, major pecuniarum dispensatio, denique major longe prærogativâ. Subsunt enim ei multo plures provinciæ; tota scilicet Flandria, Artesia, Hannonia, Valentianæ, Tornacum, Tornacesium, & Dominium Mechliniense; quæ omnes accepti expensique rationes huic Collegio reddunt. Instituit omnium primus hunc Insulensem Magistratum Philippus Burgundus, cognomento Audax, voluitque penes eundem esse & juris subditis suis dicundi administrandique potestatem, & rationum sacri Principis patrimonii recensendarum jus. Posteà divisus est in partes, ita quidem ut litium decidendarum inter subditos jus esset penes Senatum provincialem Gandavensem, Insulanis verò relinqueretur autoritas cognoscendi de patrimonio & reditibus Principis.

Camera Rationum Insulensis.

Castellania Insulensis.

Castellania Insulensis distinguitur in regiunculas quinque, quæ vernaculo nomine vocitantur *Caremban, Pevele, Melanthois, Ferrain & Weppes.* Præter has subcensetur etiam Castellaniæ huic ditiuncula Trans-Scaldana & Comitatus qui duodecim pagos complectitur, in universum autem tota ditio centum triginta septem; frugum populique fertilissimos, atque rubiæ, quam garanciam vulgus tinctorum vocat, herbæ, lanis coriisque tingendis, ne color deflorescat necessariæ. Tota est Nobilium Toparchiis plena, beneficium recognoscentibus à Sala Lilana, antiquo Comitum palatio, feudorum apice. Alti in ea vero sunt Iusticiarii, ut vocant, *Falempin, Cisoing, Wavrain, Comines.* Dominia & tituli eminentioris notæ, *Halewijn, Robaix, Lannoy, Anapes, Busbeque, Ognies, Habourdin, Landas, Herlies, Bovignii, Watines, Croix, Noyelles, Wambrechies, Hem,* & alia his non minora.

Ferraina Regiuncula.

Ferraina Castellaniæ Insulensis, regiuncula vulgo le *Quartier de Ferrain*; Cortracum versus partim ad Boream, partim ad Ortum protenditur, ac præsertim Lisæ, Duplæ, & Marquæ fluminibus adjacet: ad Lisam sita sunt Cominium, Busbeca & Halewinium, locis admodum opportunis, seu fluvii admodum navigabilis commoditatem, seu solum, cælumque aspicias. Duplæ assident Marquetta, Wambrechisium, Quesnoya, Deullemonda. Hemum, Wasquehalium, Marqua & Bonduæpars Marquæ aquis irrigatur. Cætera hujus tractus eos inter fluvios porriguntur Lannoyam usque.

Comines.

Inter Warnestonum & Viroviacum tribus ab Insula milliaribus stat Cominium elegans, at muris nudum oppidum, arce eximia per Ioannem Dynastam anno 1385, ad splendorem & defensionem ædificata, conspicuum. Lisa fluvius adfluit: Genti Comineæ, ex qua Philippus non sat laudatus Historicus, dein Halewiniæ, nunc Croyæ paret.

Halewyn.

Halewinum Menenis Flandriæ Teutonicæ oppido in dextera Lisæ margine, loco valde amœno & fertili opponitur, & tumulo modice assurgit quarto fere ab Insula, secundo à Cortraco lapide,

lapide, à Cominio paulo amplius altera leuca. Celeberrimum fuit olim municipium, & nunc quoque aliquam præ ſe fert oppidi ſpeciem. Caſtro ſpectabili ornatum.

Busbecq.

Halewinum inter & Viroviacum Busbecqua Liſæ objacet, arce quondam nunc Baroniæ titulo nobilis, Caſtri pars inferior etiam nunc porticu & aliis ædificiis conſiſtit viſenda, editiorem & munitiorem flamma corrupit: ex hoc loco originem duxit Augerius Giſlenius Busbequius Ferdinandi I Cæſaris, ad Ottomannum Imperatorem Legatus, vir omni laudum genere cumulandus.

Hemum.

Hemum, pagus nobilis magnuſque ad Marquæ aquas conſidet, paſcuis multis abundat, arcem & magnificam & firmam habet.

Waſquehal. *Marque en Bareu'lle.*

Abeſt inde propius Wasquehalium, agro pingui & lanificio pagus laudabilis. Non multum inde ad cognominem fluvium Marqua diſtat; ſitus in Bareulio, pagus eleganti templo & inſigni populi multitudine; cujus pars agrorum cultui, pars lanificio dat operam, conſpicuus.

Bondues.

Marquæ proxima eſt Bondua, quam frequentes textrinæ pannorum celebrem faciunt, maximam eorum vim conficit, quos eſtamettas nuncupant, ob induſtriam opificum, & lanæ bonitatem præcipua ſemper laude & pretio. Arcem habet magis vetuſtam quam elegantem.

Marquette. *Wombrechies.* *Quesnoy.*

Marquetta Deullæ fluminis margini incumbit, Inſula vix mille paſſus abjuncta; non multum pagus hic agri complectitur paucaſque numerat ædes. Aquarum ei copiam inſignem res evehendi, avehendive opportunitatem, paſcuorum virorem & amœnitatem Deullæ amnis & in eum influens Marqua procurant: præcipuam verò huic pago famam ciet Abbatia virginum, quæ ad extimos ejus limites magnis & variis ædificiis aſſurgit, multumque ſoli partim aquis Deullæ, partim murorum ambitu claudit. Qua Deulla ulterius profluit ſequitur Wambreciſium populo frequenti & ſolo ob pinguedinem & fertilitatem laudato præditum, ad ornatum facit Comarchi prætorium eleganter ſtructum commodumque nobilis familiæ ſedi. Interjecto leucæ ſpatio ejuſdem Deullæ ripis Quesnoya, vel Quercetum celebris ob viam Inſula Ipras ducentem locus incumbit, arce egregia inſtructus. Qua vero Deulla Querceto delapſus leni oſtio Liſam ingreditur ibique cum aquis nomen amittit

Deullemond.

Deullemonda objacet, arce non contemnenda conſpicua, cæterum commodi pluſculum Deullemondæ Deulla procurat, tum per aquas rerum variarum vectione, tum paſcuorum ubertate lætiſſima.

Turquoin. *Neufville.* *Ronk.* *Mouvault.* *Waterlos.* *Lys les Lannoye.*

Turquoinium tribus ab Inſula leucis diſtans præ cæteris ædium & populi frequentia ſe jactat, oppido quam pago ſimilius: non multo inde Novavilla cernitur; juxtim aſſurgit Roncka clivo ad viam Menenſem poſita. Ad eum quoque tractum pertinet Mouvaultium, cui pariter ac ceteris tribus pagis jam nominatis partim textrinæ pannorum ac telarum, partim ſoli fœcunditas ad colligendas opes faciunt. Vicinum Turquoinio eſt Waterloum in extremis Gallo-Flandriæ finibus, abeſt inde medio Milliari Lannoyam verſus Lyſa viſendus ob elegantiam templi pagus.

Templeuve en Doſſemer.

In Doſſemerea regiuncula jacet Templeuvium pagus ſanè nobilis; etenim populi frequentia, inſigni templo, & arce Doſſemerea clarum nomen adipiſcitur.

Croix. *Ronbaix.*

Crux arce eleganti & indito ab Archiduce Alberto Comitatus titulo ſuperbit, ad Noyellanos ſpectat ejus dominium. Sequitur Ronbaiſia vetus & multis rebus nobilis pagus, Marchionatus dignitas, caſtrum vetus, populi multitudo, pannorum textura, oppidi forma, decoris opumque multum ei conciliant.

Quartier de Pevele.

Ferrainæ regioni contermina eſt Pabulenſis, Lannoyam inter Tornacum & Marquam fluvium; latius vero patet hoc territorium, quam ut Inſulenſis Caſtellaniæ finibus conſtringatur, Ejus ſunt partes Orchiacum, Martianæ, Divi Amandi ſive Elnonenſe oppidum, & alia pleraque loca prorſus ab Inſulenſium finibus ſejuncta. Fuitque jam ante annos octingentos hujus regionis caput Orchiacum & hodie monaſterii Amandini Antiſtes intra Pabulanam ditionem Comes appellatur.

Cherens. *Gruyſon.* *Pont a Treſſin.* *Camphin.* *Eſplechin.* *Hovardrie.* *Cobrieu.* *Templeuve.* *Pont a Bouvines.*

In ea parte Pabulenſis regionis, quæ Inſulano ſubjacet nomini, ſunt Cherenum, & Gruyſonium prætoriis ornata, & paſcuis læta interlabente fluvio Marqua, cui pons Cherenſis impoſitus quem vulgo, *Pont a Treſſin* vocitant, frequenti commeantium vel Inſulam vel Tornacum multitudine hominum celebris. Viſitur in eodem tractu Camphinium Cyſonienſis monaſterii prædium. Non procul inde ſtat Eſplechinium pagus arce ſat eleganti commodaque conſpicuus. Habet etiam hæc regiuncula Hovardriam, cui arx ornamentum haud exiguum, & nemus opes ac voluptatem conciliat; eſt & Cobrieuvum ſoli bonitate, cœli clementia, & Commendatoris Melitenſis villa & domo conſpicuum, ut & Templeuvium arvorum amplitudine, ingenio terræ, ac multitudine populi inſigne. Bovinæ vel Pons Bovinius quod hic Marqua ponte jungatur, pratis ad equorum, boum & anſerum paſtionem optimis abundat: & cruenta quondam Francos inter Flandroſque pugna, quam Gallo-Flandria maximam vidit, memorabilis; accidit prædicta pugna anno Domini noſtri 1214. inter Philippum Auguſtum Franciæ Regem ab una, & Othonem Romanorum Imperatorem cum Ferrando Flandriæ Comite ab adverſa parte maxima cum Imperialium & Flandrorum ſtrage.

Cyſoing.

Iuxta Bovinas, Cyſonium eſt vicus magnus & inſignis, quique Baroniæ obtinet decus; inter quatuor præcipuas totius Flandriæ Baronias, quibus vexilla geſtantes urſos appingunt, numeratur, principemque obtinet locum. Ejus Baroniæ titulo ac cenſibus qui potitur, quatuor Inſulanæ ditionis nobilium vel Baronum ſecundus eſt, qui ſuprema exercendæ pollent juſtitiæ poteſtate, ideoque principem in Comitiis Ordinum occupant locum nobilitatis. Ornamenti Cyſonio plurimum conciliat opulentum, & conditum ab octingentis ferme annis Monaſterium, ubi primum Canonici Seculares floruere, nunc Canonici Regulares conſident D. Auguſtini legibus obſtricti.

In Pabulenſi quoque tractu Nomainum alto

ſatis

Nomaing. ſatis loco ſitum & patenti viſitur, quatuor leucis Tornaco diſtans, late ejus ager protenditur, ſolo ſatis benigno, vicus ipſe multa hominum eſt celebris frequentia; in eo regulus arcem habet vetuſtam. *Geneych. Ennevelin. Aigremont. Mons en Pevele.* ſunt quoque hic Genaya arce & hortis cultiſſimis conſpicua, & Ennevelinum pagus, & villa Aigremontia. Mons denique Pabulanus in hoc tractu ſpectatur, caſeorum copia & memorabili Gallos inter Flandroſque anno 1304. pugna, dein pago inſigni ejuſdem nominis agrorum latitudine & fertilitate cognitus: maxima tamen ejus pars ad Comitatum Arteſiæ pertinet, ſolaque fere Vincuriæ toparchia Inſulenſi paret nomini.

Le Quartier de Melanthois. Anappes. Pabulanæ regioni Melantheſium jungitur, alluentibus hinc Marqua, inde Deulla Inſulam uſque, in eo ſita inprimis. Annappium nobilis pagus, & Comitatus titulo inſignis, arcem habet elegantem quæ Comiti ſuo perjucundam præbet habitationem. *Anſtaing.* Anſtainium juxta Gruyſonium jacet Marquæ aquis irriguus, è terræ viſceribus illic fons ſcaturit, cui nomen à S. Laurentio inditum peregrinis admodum gratus, qui martyrem iſtum venerabundi lancem iſtam avide bibunt, quærendo morbis remedio. *Peronne.* Perona ad eundem Marquæ amnem ſita eſt, viſitur in ea Toparchæ arx pulcre ſatis ac firmiter conſtructa, ob fluvium Marquam paſcuis abundat. *Fretin.* Fretinium habet etiam hic tractus, cui caſtrum decori, magno prata emolumento, boum equorumque armentis & innumeris anſeribus alendis opportuna. *Los.* Ad Deullam jacent Laus, hunc pagum præter nemus, paſcua, fluvii commoda, & ſoli pinguedinem duo præſertim celebrant Ciſtercienſis Ordinis Monaſterium vetuſtate, ædificiis, & diſciplina nobile, & ſacellum B. Mariæ virginis de Gratia, quo nihil in hac regione celebrius, accurrentibus undique nimirum per ſingulos dies auxilii poſcendi & venerationis gratia multis hominibus. *Noſtre Dame de Grace.* *Eſquelmes.* Eſquelmia Laudi adjacet quam ornat inprimis ſacellum Deiparæ virginis nomine dedicatum, cui jam ante quadringentos annos propter ejuſdem imaginem, & variam ab ea perceptam opem conciliata veneratio eſt. *Wazennes. Flers.* Inter Eſquelmiam & Inſulam Wazennæ cernuntur. Proximum vero Anappio Flerſium eſt, Templo inſigni turre è candido lapide conſpicuo. *Saingin.* Viſendum inde pluſquam leucæ ſpatio abeſt Sainghinium, quod eleganti & alta turri, vaſtis nobilis, aliquot nobilium ædibus, & magno incolarum numero laudem meretur. *Ronchin.* Haud multum inde diſtat Ronchinium, reliquiis ac cultu S. Rictrudis Martianenſium Monachorum, ad quos pertinet, nobilis locus.

Seclin. Siclinium urbis nomen & privilegia à Ioanna Flandriæ Principe & Ferrandi conjuge accepit, ut iiſdem juribus frueretur ac lege, quibus Inſula. Muri aut valla nunquam hoc municipium cinxerunt; præclarum Siclinio ſplendorem S. Piaton Nerviorum Apoſtolus & Matyr attulit; juxta dicti Sancti ſepulchrum in crypta ſub odeo Cathedralis Eccleſiæ fons viſitur ab eodem ſancto denominatus, quem variis morbis remedia adferre ferunt.

Le Quartier de Carembault. Carembaultius terræ tractus inſequitur, pagorum ſeu virorum numero minor, propemodum par ſoli bonitate, cæli clementia, & partem magnam campis patentibus commendabilis. *Pont a wendin.* Hic Pons Wendinius in extrema Gallo-Flandria vicus eſt, is ſublicio ponte Deullam jungit perpetuo meatu nobilis in Artheſiam & Franciam abeuntium, aut Inſulam inde carpentium iter. Qua reſpicit Artheſiam, ingens ac multis ſtagnans aquis palus ei objicitur, uno tantum eoque non admodum patenti aggere itineris gratia interpoſito. *Gondecourt. Phalempin.* Siclinium proxime ſita eſt Gondecuria pagus antiquitate conſpicuus. Phalemphinium memoratur ob Monaſterium à Canonicis Regularibus inſeſſum, anguſtum quidem id habet ædificium, at inſigni bibliotheca, & pretioſis templi ornamentis eſt laudabile, dominium Phalempinii ad Caſtellanum Inſulenſem pertinet.

Le Quartier de weppes. A Carembaultio, Melantheſio & Ferraino Weppeſius ager oppidò magnus & minime macer Deulla fluvio diſtinguitur, eum ab altera parte ambiunt Liſa & Artheſia. Hìc ad Deullæ ripas conſidet Waurinium vetus & nobilis pagus. *Wavrin.* Ob flumen paſcuis abundat. Templum ejus Turriſque ſatis elegantia. Viſitur iſtic quoque opere veteri caſtrum olim reguli ſedes. Ex agrorum cultu, paſcuorum commodo, & lanificio indigenæ, quorum vis magna eſt, opes colligunt. Ipſi loco ingens dignitas obvenit ab officio, ſplendore, potentia Comarchi unius è Quatuor-viris nobilibus Ordines Inſulenſis Caſtellaniæ ducentibus, is olim Flandriæ modo Dapifer, modo Seneſchallus tracto in hæreditatem officio appellari ſolebat. *Santes.* Ad eundem fluvium Santæ conſident, ibi paſcua pecori præbent paludes, arva lætam ſatis ſegetem. Ineſt ei veteris arx operis, quam Toparchæ quondam incoluere, quanquam ea minus eorum ſplendori reſpondeat. *Vrelenghehem.* Vrelenghehemum, olim quidem oppidi jure donatum fuit, verum modo, culpane indigenarum, an injuria, ea exutum eſt poteſtate. Iuxta Liſam porriguntur Arquingehemum, Armenteria & Houplinia. *Aquingehem.* Arquingehemo pingue ſolum, paſcua, idem amnis ad opes & voluptatem facit: ad decus templum turri & nobili ære càmpano inſigne: ad ſecuritatem impoſitum fluvio caſtrum, à loco & opera munitum, ad Egmondanos vero ejus pertinet dominium. *Armentiers.* Armenteria tres ab Inſula leucas diſſidet oppidum mediocre, quodque terrei tantum vallant aggeres, & tenui aqua ambiunt foſſæ, aëre gaudet temperatiſſimo, & mercimoniis ob opportunitatem Liſæ eam influentis efloreſcit, Egmondanorum Principum quoque eſt ditio. *Houplines.* Armenteriâ abeſt paulo minus mille paſſibus Houpplinia ad dextram Liſæ ripam ſita, paſcuis abundat, veteris operis arce conſpicua. *La Baſſee.* Ad fines Arteſiæ, conſiſtit oppidum Baſſea vetuſtiſſimum, egregieque foſſis, mœnibuſque munitum, incolæ omnes lanæ linoque operam navant, ſpectat autem ad Harlyæ Comitem gentis Stavelæ. *Herly.* A Baſſea non multum abeſt dicta Herlya Comitatus dignitate florens. Cetera agri Wepeſenſis loca ſunt *Illies*, *Hantay* longævitate incolarum notabilis pagus, *Marquillies, Beaucamp, Radinghehem, Tournes, Roſimbos,* & *Coupignies* dynaſtia inſignis, & non exiguo terræ tractu conſpicua. *Englos, L'homme* & *Lamberſart.*

Trans-

Tranſcal-diana Regio. Tranſcaldianam Inſulenſis Caſtellaniæ Regionem octo pagi ſat nobiles conſtituunt, quorum è numero Caveraines & Potteſa caſtellis conſpicui: Potteſa quoque Baroniæ titulo inſignitur.

Comitatus. Comitatus nomine multa cenſentur cis eundem fluvium Gallo-Flandriæ loca, quæ ſparſim dictis in regiunculis, alibi alia jacent. Eorum præcipua ſunt *Leſennia* [*Lezeum.*] & *Templemartium* [*Temple-mars.*], quibus tumentia terræ viſcera opes faciunt effoſſo lapide albo, ſtruendis ædificiis opportuno. Templemartium antiquitatis gloriâ ſuperbit, cum id jam ante Iulii Cæſaris tempora à fano Martis ibi extructo nomen mutuaſſe, multi exiſtiment. *Boutilleria* [*Boutillerie.*] inſignis eſt vicus, Carthuſiano cœnobio, quod primas in Belgio ſibi vendicat, conſpicuus: ſunt & la Royere & Blaudaing.

Libera Imperia. Quædam præterea intra fines Inſulenſis Caſtellaniæ loca ſunt, quorum pars numeratis regiunculis quadantenus accenſa, pars etiam iis non ſubjacet, & quod vel Imperii quibuſdam Iuribus ſint obnoxia, vel quoad juriſdictionem ab Imperialis Flandriæ Curia dependeant, olimque Nobilibus viris Scaldim ultra in terris Imperii Lotharienſis habitantibus parebant, Imperialium nomine, & quod vectigalibus minime obſtringerentur, Libera dicta ſunt Imperia, ſemperque in fines eorum perfugientibus aſylum præbuere, niſi criminis enormitas arceret. Tria præſertim hic eminent, Lannoya, Haubourdinium, & Raimbaucuria. *Lannoya* [*Lannoy.*] bis mille & quingentis paſſibus ab urbe Inſulenſi diſtat, Tornaco tribus mille paſſibus disjungitur; quadrangulari ferè forma muro & foſſa cingitur, planoque jacet loco. Fiunt hic ingenti numero ſayæ, aliæque id generis merces: Arx egregia urbi adjacet in quadrum late patens, extrorſum prominentibus in angulis quatuor turribus. Ab hoc oppido nomen ſumpſit nobiliſſima gens Lannoya, quæ viros militari fortitudine, regendi prudentia, & pleriſque aliis virtutibus claros, nec non plures quam quævis alia aureo Vellere conſpicuos protulit Equites, ut & Neapolitani Regni Proreges, nec non Sulmonis Principes; à Lanojis Dominium ejus ad Egmondanos, ab his ad Naſſavios, dein ad Middelburgi Flandricæ Vrbis Comitem, nunc per ejus filiam Iſegemii Comitis uxorem Gandavenſi familiæ inſertum, & devolutum eſt. *Haubourdinium* [*Haubourdin.*] verſus occaſum Inſulæ propinquum eſt, quod libertate olim maxima gaudebat, ſoli regulo ſubjectum; ſed poſtquam Hovardriæ Dominus per emtionem id ſibi comparavit à Franciæ Rege, & Belgarum Principi ſubjecit, Vice-comitatus titulum præfert. Ædium frequentia, optimorum plurimis pannorum textrinis, & influxu Deullæ capaciora navigia multis mercibus vehendis idonei, celebratur. Haud procul inde eſt *Emerinum* [*Emerin.*] quod Vice-Comitatus titulum quoque obtinet. & in extremis hujus Caſtellaniæ finibus eſt *Raimbacuria* [*Rainbacourt.*], caſtro eleganti, & nemore decora.

Douay. Secunda Gallo-Flandriæ urbium eſt Duacum, Lilla circiter ſeptem, Gandavo octodecim, Cameraco quinque, Atrebato ſex, Tornaco octo milliaribus diſſitum. Vocabulo magis quam ſitu, refert Advaticos, à Cæſare inter Eburones, Nervioſque, & à Ptolemæo ultra Tabudam, qui Scaldis eſt in Tungrorum finibus collocatos. Cæterum urbs eſt lauta & valida, fontium copia, & domorum quantumvis veterum elegantia & ſplendore conſpicua: templis item pulcherrimis exornata; inter quæ maxime eminet illud D. Virginis; ædes mirè antiqua, ut quæ condita ſit regnante in Galliis Clodovæo, id eſt, anno circiter 500. Illuſtri nomine eſt propter Scarpum fluvium interlabentem, & ex bina ſcaturigine Arteſienſi ſalientem: ejuſque in Scaldim demum affuſi ſubvectiones, ob amplitudinem, munitiones naturæ artiſque, propter domicilia vetuſta, nundinas Septembri annuas, necnon rerum variarum ex agris affluxum, & Gymnaſium omnibus diſciplinis dicatum. Fundator ejus fuit anno 1562 Philippus Caroli Quinti Cæſaris filius, qui evocatis honeſtis ſtipendiis Lovanio Profeſſoribus, ac erectis collegiis literariis, doctrinarum ſtudia egregie promovit.

Caſtellania Duacenſis. Ager ille qui nomini paret Duaceno, & Caſtellaniæ vocabulo nominatur, pingui & fœcundo gaudet ſolo, partem pleramque Scarpo irrigante. Viginti quinque continet pagos, vicosve, quorum aliqui & hominum multitudine nobiles ſunt, & terræ fructibus magnas poſſidentibus opes faciunt. Paullò amplius milliari Duaco abeſt *Rayſſium* [*Rayſſe.*] pagus, qui magnam partem vel in ſilvis latet, vel paludi adjacet, ſparſis ædibus. Pars melior ejus parochiæ ſtat vicus ad pontem, qui Scarpum jungit, & Rayſſianus [*Pont à Rayſſe.*] tracto ab ipſo nomine vocatur. Veteris arx operis iſtic videtur fluvio imminens. Proximum eſt S. Leonardi Sacellum multo mortalium affluxu nobile, & anathematibus compedum, ferrearum manicarum, è ferro cerave tibiarum, ſubalarium fulcrorum innumeris, perceptæ opis indicibus. In hoc eodem tractu ſpectatur *Eſtréeſium* [*Eſtrees.*], tam ſoli bonitate, quam reguli arce commendabile, à multis vero ſæculis ad familiam Oigniesſiam pertinet. Propius Orchiacum *Waſtinia* [*Waſtines.*] conſiſtit, quæ inſignem munitamque & turribus aſſurgentem habet arcem: ejus ad nobiliſſimam Montemorencyorum familiam ſpectat Dominium. Eſt in eodem agro *Landaſtum* [*Landaſt.*], vetuſtate, ſolo & arce laudabile; jam tum potens erat ea familia cui cognomen opeſque conciliavit, cum milleſimus & centeſimus Chriſti volveretur annus. In eodem tractu cernitur *Beuvrium* [*Beuvri.*], quod nunc vicus tantum eſt, verum olim municipii jus, oppidique habebat ſpeciem, cujus antiquitates ſubinde heic effoſſæ fidem faciunt. Sunt hic quoque *Bovignium* [*Bovigny.*], inſigni arce toparchæ ſede conſpicuum; *Eraque* [*Era.*], & *Montignium* [*Montigny.*] veteri arce nobile, & Baroniæ titulo. In Duacenſis urbis conſpectu jacet *Sinum cognomine Nobile* [*Sin le Noble.*], magnam partem aquis paluſtribus ſolum ejus madet, ideoque paucis in locis ad cultum & frumentorum ſationem habile. Pagum hunc diu Abbatia virginum ex præſcripto S. Auguſtini viventium nobilitavit, cui cognomen olim Belli loci ſitus ipſe comparavit, nunc autem Duacum tranſlata eſt. Sunt præterea *Abſconſum* [*Abſcons.*] in edito clivo, qua Valencenas itur Duaco prominens: & *Seluſa* [*l'Ecluſe.*] loco plano & multis aquis obnoxio ſita. Sequuntur Martianæ, quæ Oppidi forma, non nomine

Marchiennes. mine se jactant, antiquitate spectabile Scarpo fluvio, muris lateritiis, monasterii septis hoc municipium clauditur, & aliquot portis distinguitur. Fluminis opportunitas, & silvæ, cui à municipio nomen, vicinia commodum ei conferunt maximum, & cœnobium Benedictini nominis, quod templi mole & multis aliis ædificiis & rebus laudem meretur & ingens decus.

Orchies. Orchiacum cum Insulis & Duaco Tripolim Gallo-Flandriæ constituit, ab urbe Duacensi quatuor, ab Tornacensi totidem, ab Insulensi quinque distat milliaribus; quondam magna, & opibus pollens, nunc quasi nidulus tot inter amplissimas urbes considet. Olim Comitatus seu tractus Pabulani caput fuit, gratumque Ludovici Imperatoris, Guydonis Dampetræi, & aliorum Principum maximorum, domicilium: nunc postquam multæ clades bellorum & ignis attrivere, angustis solum clauditur muris. Suburbia ædium multitudine vel æquant, vel superant urbem. Magna hic copia fit eorum pannorum, quos holosericum imitantes trippas vocant. Insidens tumulo castrum nec muris cingitur, neque præstat elegantia, ex sola vetustate sedeque Baillivi, & Tribunali Comitis Flandriæ, cui is præsidet, famam accipit. Castello Orchiacensi tres pagi subjacent, ubi Auchiacum, Coutichium, & Flinæ, magnificum Cistercienfis Ordinis Monasterium, quod magnitudine & varietate ædificiorum, nec non monialium copia, omnes in Belgio ejus nominis antecedit. *Auchy. Coustiche, Flines.*

TORNACVM ET TORNACESIVM.



Castellania Tornacensis, quæ *Tornacesium*, & Tornacense Balivagium vulgo nuncupatur, pagos, quos Flandriæ pagis annumeramus, amplectitur circiter sexaginta, præter 7 Hannoniæ inclusos, situs commmoditate, sementis fœnore pascuisque commendabiles: in iisque *Lesdainum*, *Pecquum*, *Estainburgum*, *Markanum*, *Callonum*. Ad quam etiam Castellaniam spectant *Mortaigna* cum novem, & *Santamandium* cum octo pagis, ita dictum à Sancto Amando, qui ibi nonagenarius vixit, sepultusque est. Subest opulentissimæ illic Abbatiæ virili Benedictinæ. Ex quo cœnobio prodiit anno 880 Hugbaldus, qui scripsit vitas multorum Sanctorum hominum, librumque epistolarum, atque ad Carolum Calvum Imperatorem carmen 136 versus prolixum, & operosum, nec genio prorsus carens: in quo voces omnes prima litera à C incipiunt hoc modo:


Carmina clarisonæ Calvis cantata Camœnæ, &c.

Tornacum & universa ejus ditio cohæret cum latere Flandriæ Gallicanæ, & Hannoniæ terræ confinis. Oppidum tantæ vetustatis, ut conditum scribant sexcentis & quadraginta annis ante natum humani generis Servatorem. De nomine, satis habeo dicere, quod in obscuro sit ejus ratio: quodque variæ super eo & portentosæ scriptorum opiniones. Sunt enim qui conditum velint à milite Tulli Hostilii, tertii Romanorum Regis, deque nomine ejus Hostiliam dictum: sed destructum postea, iterumque mox instauratum; in memoriam Deæ Minervæ, corrupto nonnihil & mutilato vocabulo, Nerviam appellari cœpisse. Primis autem Neronum temporibus renovatum rursus à quodam ejus Tribuno, cui Torno cognomen, ac de nomine sui illius instauratoris Tornacum denique nominatum. Alii rursus pro indubitato tradunt, circa tempora Iulii Cæsaris Nerviam audivisse, fuisseque metropolim Nerviorum, populorum qui maxime feri inter Gallos tunc haberentur, quique ad flumen Sabin cum ipsomet Cæsare congressi, magno & Romanorum periculo, & suorum strage, ita strenue & constanter pugnarunt, ut cum Cæsari dederentur, è sexcentis ad tres Senatores, ex hominum millibus sexaginta, vix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos esse dicerent. Petrus denique Appianus Tornacum interpretatur Ptolemæi *Baganum*. Sed quidquid scribant aut commententur, illud sane verissimum, de antiquis locorum hujus terræ vocabulis, nihil veri aut certi adferri posse: idque non tantum penuria quadam scriptorum, sed creberrimis quoque omnium rerum mutationibus, inde potissimum ortis, quod paterent hæc loca & exposita essent non diluviis modo & inundationibus, verum etiam bellis, & incursionibus Barbarorum, Hunnorum puta & Vandalorum, Danorum, Gothorum, Normannorum, & Germanorum, qui miserrime sæpius ea depopulati sunt, & extrema quæque perpeti coëgerunt. Quare nec mirum cuiquam videri debet, quod tam densa hic passim obscuritas: sed acquiescendum potius iis quæ adsunt, nec sophistice nimis & curiose in hæc talia inquirendum. Positum est ad Scaldim, & Orchisa quidem duntaxat quatuor, Duaco vero octo circiter leucis abjungitur. Oppidum sane pulcherrimum, amplum, opulentum, & contra hostiles incursus munitissimum. Arcem ostentat insignem, ædes amplas & commodas, templa, cœnobia, & id genus structuras ad miraculum pulchras. Episcopatum habet longe lateque diffusum, adeo canæ & reverendæ antiquitatis, ut primum Præsulem jactet Eleutherium, creatum à Papa Felice Tertio, circa annum Christi 494. Direpta fuit non semel hæc urbs bellis cum Gallis, Anglis, Flandrisque gestis. Gallis postremo eam eripuit Carolus V Imperator, misso ad urbem

bem exercitu sub Henrico Nassovio, qui eam vi armisque subactam cum Flandria rursum conjunxit; ita tamen, ut disjunctum maneret membrum, audiretque ditio Tornacensis & Tornacesii, & in agros pagosque circumjectos retineret imperium.

Mortaigne. Mortania, magni aliàs nominis, ad Scaldim in ditione Tornacesii civitas, diruta sæpe fuit per bella inter Gallos & Flandros gesta, sic ut pagi tandem conditionem formamque induerit, amplissima quidem arce conspicua, sed quam, capto Tornaco, dirui jussit Carolus Quintus Imperator, relicto duntaxat pago tribus circiter leucis urbe abjuncto.

S. Amand. In eadem ditione Tornacesii est & Fanum Divi Amandi, perinsignis equidem pagus, portis fossisque in oppidi morem clausus, & ad Scaldim eumdem positus, eo adeo loci ubi Sabis id flumen influit, & quarta ab urbe leuca. Abbatiam habet, quæ, si opes & amplitudinem spectes, nulli Flandricorum cœnobiorum cedit. Abbas tam temporalis, ut vocant, quam ecclesiasticus loci & amplissimi ejus territorii Dominus.



ARTE-

ARTESIA COMITATUS, vulgo ARTHOIS.



Rtesia magna ex parte complectitur ejus gentis tractum, quem Atrebates tenuere, ab Atrebato ita dicti, ejusdem ditionis metropoli, quam Galli quidem vulgo *Arras*, Itali autem *Arazzo*, Flandri denique *Atrecht* appellant. Hæc terminos varie olim mutavit, & pro variis illis ac reciprocis inter Galliam, & hanc Belgicam motibus, modo latior ampliorque, modo contractior iterum atque angustior facta est.

Termini. Termini hodie sunt, à Septentrione Flandria, (à qua discreta est fluvio Lysa,) & nova fossa, ad Austrum & Occasum Picardia, ad Ortum Flandria, Hannonia & ager Cameracensis.

Soli Qualitas. Regio peramœna est, ut quæ cœlum experiatur admodum clemens & temperatum; etiam feracissima omnium rerum, vino excepto, cujus causa est non tam soli vitium, quam incuria ac negligentia incolarum; tum quod regio Galliæ vicina, bellorum periculis nimis exposita sit. Profert genus tritici laudatissimum, idque ea copia ac luxuria, ut affatim vicinis quoque provinciis Flandriæ Teutonicæ ac Brabantiæ subministret, adeoque harum regionum horreum esse censeatur.

Oppida. Numerat Artesia oppida duodecim muris clausa, si accenseas Rentæjum, arcis magis, quam oppidi nomen tuens. Pagi sunt octingenti quinquaginta & quatuor, inter quos superioribus & nuperis bellis plurimi miserè afflicti vastatique fuerunt à Gallis, qui etiam Atrebatum, aliaque oppida ceperunt.

Castellaniæ. Castellaniæ in ea novem, *Atrebatensis, Audomarensis, Morinensis, Ariensis, Hesdiniensis, Lentiensis, Bapalmensis, Avenienfis, Bredenardensis, & Anguiacensis.* Abbatiæ item complures, Cœnobia aliaque id genus collegia. Oppidorum primaria *Atrebatum, Fanum D. Audomari, Bethuna, Aria, Bapalma:* reliqua minora, *Hesdinium, Rentæjum, Fanum S. Pauli, Perna, Lilertium, Bassæa & Lendium.* Sunt deinde oppida pridem diruta Teruanna & vetus Hesdinium.

Ordines. Ordines hujus provinciæ tribus membris constant, Antistitibus nempe, Nobilibus, & primariis urbibus. Antistites qui primum Ordinum membrum constituunt, sunt Episcopi Atrebatensis, & Fani D. Audomari, Præpositi Bethunensis & Ariensis, viginti Abbates, nec non decem Canonicorum capitula. Nobilium membro accensentur Princeps Espinojæ, Marchio Rentiacus, Comites S. Pauli, Faliquenbergæ, Harlii, Buquoyæ, Henninii, Arques, Blangisii, S. Aldegundis, Bruay, Bailleuxii, & Noyelles. Præterea quatuor Castellanorum præcipui, Atrebatensis, Fani D. Audomari, Bapalmensis, & Lentiensis, nec non 97 Familiæ natalibus illustres. Tertium membrum complectitur urbes Regias septem, Atrebatum, Fanum D. Audomari, Bethunam, Ariam, Hesdinium, Lendium & Bapalmam; ut & Fanum D. Pauli, Pernam & Lilertium ad alios spectantes; nec non pagos seu municipia aliquot urbium privilegiis gaudentia, quæ sunt, *Arques, Aubigni, Avennes, Auchy, Beaurenis, Blangy en Ternois, Buquoy, Carvin, Caumont, Chocques, Dourier, Fauquenberge, Fressin, Fleurbay, Frevene, Frages, Georgue, Hennin, Lietard, Heuchin, Houdain, Labroye, Lisbourg, Oisy, Pas, Richebourg, Tornehem, Ventie, Vitry.*

Atrebatum. *Atrebatum, Arras,* ad Scarpam fluvium situm est, speciemque refert duarum urbium, quarum alteram vocant *La Cité*, estque juris Episcopalis, alteram *La Ville*, estque juris Principalis. Illa minor est, sed amœna, propugnaculis fossisque munita, habetque templum cathedrale, sacrum B. Virgini. Præterea Bibliothecam manuscriptorum librorum omnis generis, sed potissimùm Theologici. Primus hujus Ecclesiæ Præsul D. Vedastus fuit, institutus à Sancto Remigio Archiepiscopo Rhemensi, ann. 531; sed adjuncta est deinde Atrebatensis Ecclesia Cameracensi, & duo illi Episcopatus in unum conflati, ita ut eminentiore illa dignitate diutiuscule civitas ista caruerit. Sed cum stetissent postea Cameracenses à partibus Imperatoris Henrici IV, Urbanus Secundus, vindicando ex parte ac puniendo huic delicto, civitatem Atrebatensem in Episcopalem pristinam dignitatem restituit, & Episcopum ei dedit Lambertum Archidiaconum Morinensem, anno 1095. Præsulem sub initia Belgicorum motuum habuit Antonium Perrenotum, postea Cardinalem Granvellanum, virum magnæ olim apud Carolum V, Imperatorem dignitatis. Cui successit Franciscus Richardotus Burgundus, quem excepit Gulielmus Moulartius. Est autem Episcopus Atrebatensis & politicus simul, & ecclesiasticus Dominus civitatis, cui non jura minus & leges, quam Magistratus attribuit; superiorem tamen agnoscens Artesiæ Comitem, penes quem est ipsius electio, sicuti confirmatio penes Romanum Pontificem. Gaudet Episcopatus hic annuo qua-



ARTESIA,
COMITATVS.
ARTOIS.
Milliaria Germanica.
Milliaria Gallica.
Amsterdami
Apud Guiljelmũ Blaeuw.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
MARE
BRITAN:
NICVM.
NORMAN:
DIÆ
PARS
HANNONIÆ PARS
CAMBRESIS
COMTE DE GUINES
Terre d'Oye
HESDIN
PONTHIEU
VIMEUX COMTE
Calais
Guines
Borborch
Berghen
Cassel
Iperen
Armentiers
Lille
Arien
Monstreuil
Abbeville
Pont de Remy
Amiens
Arras
Douay
Lens
Arleux
Cambray
Bapames
Chastelet
S. Amand
Valenchienes
Crotoy
Blangy
Auxy

tuor, quinque, vel sex millium scutatorum censu, pro uberiore videlicet, vel parciore segetis proventu. Adservatur in dicta æde B. Virginis magna imprimis religione, & miris gemmarum divitiis involutum, ceu dignissimum quoddam cimelium, certum genus mannæ, lanæ propemodum speciem referentis: quam pluisse in hac regione suo ipsius ævo in epistolis narrasse scribitur D. Hieronymus. Ea populo magna solennitate palam exhibetur spectanda, maxime cum post longos cœli ardores ac agrorum siccitates pluviam implorant agricolæ. Altera pars Atrebati *La Ville* dicta, amplissima est, & tum situ, tum opere, muris scilicet, propugnaculis, ac latis profundisque fossis, etsi aquæ expertibus, usque adeo communita, ut non nisi diutina aliqua obsidione frangi & expugnari posse credatur. Vias habet admodum latas: forum spatiosissimum & eximie pulchrum. Habet item augustissimam illam & opulentissimam Abbatiam D. Vedasti, qua non alia in universo Belgio ditior: cujus annui reditus vicena fere millia scutatorum excedunt. Habet denique Atrebatum & alia quædam spectanda templorum ædificia, & percommodas civium domos, quarum singulis sua sunt hypogæa pavimentata, & insolita quadam profunditate conspicua, quæ consilio ita facta prædicantur, ut postulante belli necessitate, se cum familia omni in ea actutum recipere possent, & à tormentorum hostilium ictibus immunes præstare. Natales huic debet bellicosissimus ille & fortissimus Comius, quem in commentariis suis tantopere commendat Cæsar. Item magnus ille Franciscus Balduinus Iurisconsultus excellens, & complurium in utroque Iure voluminum scriptor, cujus Parisiis monumentum in æde Maturini est tale: *Cujaci, Balduinus hic jacet. Hoctecum reputa & vale. Mortuis vobis Iurisprudentiam gravis corripiet sopor. Franc. Bald. Iurif. ob. anno æt.* LIV, XI *Novemb. à partu Virginis* MD LXIII. *Papirius Massonus Balduini auditor P.* In eadem civitate natus vir clarissimus Carolus Clusius, eruditionis omnis atque elegantiæ decus, qui post regiones plurimas peragratas in Batavico Athenæo senex obiit, manumque extremam imposuit dignis immortalitate operibus.

Fanum D. Audomari.

Fanum D. Audomari, vulgo *S. Omer*, nomen habet à D. Audomaro, Constantiæ apud Germanos nato, & Episcopo Morinensi. Prius vocatum fuit *Sithium*, teste Mejero. Oppidum est Galliæ limitaneum, adjacetque flumini Aginoni: firmum idem munitumque, ut nihil supra, & ædificiis publicis privatisque concinnum, inter quæ potissimum eminet insigne illud Abbatis D. Bertini palatium: civibus denique satis frequens, & *Castellania* ac jurisdictione in agros & pagos circumjectos conspicuum. Est & ad fanum S. Audomari peramœnus quidam & vastus memorandusque lacus, è perennibus undique confluentibus aquis collectus, & in Aginonem tandem prorumpens. Huic innatant ruscula aliquot insularia, pratorum speciem obtinentia, graminosa, & arbusculis obsita. innatant autem eo modo, ut fune ex arbuscularum aliqua religato, totam terræ massam quocunque visum est, pertrahas: neque ruscula illa tamen ita exigua, quin & vaccas aliquot singula, & alterius generis pecudes gramina depascentes admittant: rem profecto non veram minus, quam admirandam narro. Nam & pisces ingenti copia tam hibernis quam æstivis mensibus; frigori simul & calori cavendo sub has insulas se recipiunt. Sita est ad eundem hunc lacum inter alia ædificia, perampla quædam & nobilis Abbatia, quam vulgo appellant *Clermarets*, instituti D. Bernardi, à quo & conditam tradunt.

Lacus memorandus.

Bethunia.

Bethunia distat Aria quinque leucis, oppidum non vile, munitum, & in quo maxima copia premitur laudatissimus incolis caseus, qui per totum Belgium, imo & extra illud distrahitur. Iurisdictio ejus una cum ditione Teneræmundana obvenit Guidoni Dampetræ, Comiti Flandriæ, ex dote uxoris Machtildis, Danielis, vel ut alii volunt, Roberti, Advocati (is enim tunc titulus) Atrebatensis filiæ. *Ariam* Lisa fluvius interluit, oppidum validum satis, ac non veteri tantum arce, sed & aliis ædificiis satis spectabile, Teruanna duabus leucis remotum.

Aria.

Bapalma.

Bapalma distat Atrebato sex milliaribus, estque oppidum exiguum quidem, sed idem situ imprimis firmum, arcem habens munitissimam, & late satis diffusum in agros circumjectos imperium.

Rentejum.

Rentejum castrum est, bono & amplo pago adjunctum, ad ripam ignobilis rivuli, Marchionatus titulo clarum: locus sane firmissimus, quem ut expugnaret anno 1554 Galliarum Rex, nullis non viribus usus est, sed cum suppetias laturus occurreret Cæsar, ad prælium illico ventum est, ut spe sua frustrati discesserint Galli. Anno vero 1638 ab iisdem capta est.

Hesdinium vetus.

Fuit quoque hic *Hesdinum vetus*, quod non incommode dici potest novum illud peperisse. Positum erat vetus Hesdinum ad flumen Gancham, quatuor à Fano S. Pauli leucis, oppidum luculentum, valida arce tutum, & insigni in agros vicinos jurisdictione spectabile; denique sedes olim & habitatio Flandriæ & Artesiæ Principum. Anno 1553 à Cæsarianis ductu Ducis Sabaudiæ expugnatum, destrui Cæsar una cum oppido jussit. Ædificatum hinc anno proximo novum *Hesdino-Fertum*, quod oppidum oportuno prorsus & mirabili situ adjacet Ganchæ, munitum valde, ita ut inter tutissima Belgii propugnacula habeatur.

Fanum S. Pauli.

Fanum S. Pauli, veteris & illustris Comitatus dignitate, ac luculenta admodum ditione conspicuum ad familiam de Longueville spectat. *Perna* prædicti Comitatus membrum, S. Paulo quinque leucarum spatio dissidet. *Lillertium* inter Ariam & Bethuniam pari fere trium leucarum intercapedine ab utraque disjungitur. *Bassæa* Lendio abest duabus leucis. *Lendium*, vulgo *Lens*, Atrebato quatuor leucis recedit.

Teruana.

Tertio ab Atrebato milliari, ad flumen Lisam, antiquissima fuit Morinorum metropolis, quam Ptolemæus & Antoninus vocant *Teruannam*, vulgus hodie *Terouenne*. Vrbs patrum memoria celebratissima, & sedes Episcopalis, quæ post arctissimam obsidionem anno 1553, ab Imperatore Carolo V, victa & solo æquata est, Episcopali territorio cum Henrico II, Galliarum Rege diviso,

diviso, ut pars altera cederet Bononiensi Episcopo, pars altera Iprensi & Audomaropolitano. Haud procul inde ingens est canalis, quem fossam novam indigetant. Eum alii humana putant industria effossum tempore Balduini Comitis, sive adversus hostium excursiones, sive ad confinia Flandriæ & Artesiæ distinguenda. Alii sinum esse existimant maris interclusi. Certe Morinos etiam Oceano vicinos fuisse agnovit Virgilius, quum eos hominum extremos esse dixit. Atqui nunc Teruana octo milliaribus à mari discreta est. Præterea ex fundo fossæ novæ sæpenumero educuntur partes anchorarum, aliaque ferramenta nautica, certissima argumenta vicini olim & alluentis Oceani. Sunt præterea inter pagos Artesiæ memorandi quidam & non incelebres loci, privilegiis simul & anniversariis nundinis decorati: quales præsertim *Avenna*, quam Comitis vulgo appellant; *Aschicurtium*, *Fanum S. Venantii*, *Currerium* denique, Lendio pene contiguum.

Flumina. Fluvii qui in Artesia nascuntur præcipui sunt *Lisa*, *Aa*, & *Scarpa*.

Lisa. *Lisa* verò oritur ad Lisburgum pagum, cui nomen suum impertit, haud procul ab Terouenna: & Ariam opidum prætervectus, Armenterium, Virovicum, Menenium alluit: hinc Cortracum fere medium scindit, & Deinsam prælapsus, Gandavum decurrit, ubi in Scaldim effunditur.

Aa. *Agino*, vulgo *Aa*, vel *Ha*, nascitur prope Terouanam, in finibus Morinorum, & arrepto in Caurum cursu, prætervehitur Fanum S. Audomari, unde porro Gravelingam contendit, ubi non procul ab eo loco, in quo magnum illud inter Gallos ac Burgundos, anno Christi 1558, commissum est prælium, in Oceanum influit.

Scarpa. *Scarpa* duplicem habet in Artesia fontem; quorum major ex monte Sancti Eligii, alter ex loco illi finitimo profluit: quibus mox concurrentibus, Atrebatum jam integer pervenit. Hinc ad Boream versus Duacum, mox Laleinium & Marcenas interfluit; unde Hennonium porro decurrens, in exitu ipso Mortaniæ, Scaldi se immiscet.

Domini. Porro Artesiorum sermo Gallicus est, sed corruptus. Ditio olim fuit Flandrorum. Totam Balduino Arduennati dotis loco dedit Carolus Calvus, quum is Iuditham uxorem duceret. Postea Philippus Alsatius, quum neptem suam Isabellam locaret Philippo, Ludovici VII Galliarum Regis filio, dotem ei dedit Flandriam Occiduam, hoc est, tractum eum, qui est à nova fossa usque in Picardiam. Eum Philippus anno 1298 fecit Comitatensem, deditque filio suo Ludovico, qui primus Artesiæ Comes fuit, postea Galliæ Rex & pater Ludovici Sancti. Anno vero 1332 Ludovicus Maleanus Comes Flandriæ, post matris obitum factus est Comes Artesiæ; atque ita rursum uterque Comitatus conjunctus fuit. Obitu autem Caroli Audacis Burgundiæ Ducis, Ludovicus XI Galliarum Rex iterum Artesia potitus, quæ postremum pacto & fœdere Caroli VIII, Galliarum Regis, & Maximiliani Imperatoris, cessit Philippo Austriaco Maximiliani F. patri Caroli V, anno 1493.





HANNONIA COMITATVS.

Nomen.



HAnnonia Nerviorum olim ſedes fuit, quorum caput hodie dicitur Tornacum. Sæpius hæc regio mutavit nomen. Initio dicta eſt Albania & Pannonia, poſtea Saltus Carbonarius, poſt uſque ad Theodoſii & Honorii Imp. tempora Comitatus ſeu terra Nerviorum, inde inferior Picardia, poſtremum Hannonia, vernacule *Heinault* vel *Henegouw*, à fluvio *Haine*, ſive *Hene*, & antiqua voce Germanica *Gow*, quæ regionem vel pagum ſignificat. *Termini.* Habet à Septentrione Brabantiam & Flandriam, ab Auſtro Campaniam & Picardiam; ab Ortu Namurcenſes & Leodienſes; ab Occaſu Scaldim cum Flandriæ & Arteſiæ parte. *Qualitas regionis.* Longa eſt univerſa regio 20 mill. lata 16. Aëre fruitur ſuavi & ſereno, agro fertili, variiſque fluminibus irriguo, Scaldi, Sambra, Tenera, Haina, à quo tota Provincia nomen mutuata eſt, Albula, Nigra & aliis minoris notæ. Silvas habet & nemora admodum jucunda. Præcipua vero ſunt, *Mormault* & *S. Amandi.* Abundat etiam lacubus, ſtagnis, fontibus, pratis, paſcuis, ſegete, pomariis, aliiſque ad vitæ uſum rebus neceſſariis. Habet & metalla ferri optimi & plumbi. Præterea lapicidinas variorum marmorum, atque etiam duri ſilicis, quem Ovidius indicem vocat: & λιθανθράκων. Vrbes in Hannonia, foſſa, valloque munitæ, ſunt 24: *Mons, Valenciennes, Bouchain, Queſnoy, Condé, Landreſy, Aveſnes, Chimay, Marienburch, Philippeville, Beaumont, Maubeuge, Bavays, Bins, Reux, Soigny, Braine le Comte, Engien, Halle, Leſſine, Cheure, Aix, S. Giſlain, & Leuze.* Pagi 950, quorum plerique omnes pulcri, amœni, opulenti. Principatus hic tres ſunt, *Chimay, Ligne, & Barbançon.* Comitatus ſexdecim. Baronatus 22. Abbatiæ 26. Pares 12. Vnus Mareſchallus, unus Seneſchallus: unus magnus Venator. Sunt & aliæ dignitates, quas omnes referre, operoſum foret.

Hodierna diviſio.

Dividitur Hannonia in 14 partes, quarum quædam Præfecturarum, aliæ Caſtellaniarum, & Baillivatuum gaudent dignitate, omneſque & urbes & pagos totius provinciæ comprehendunt. Prima eſt Præfectura Montenſis, quæ complectitur civitates quatuor, *Montem, Soignies, Saint Ghiſlain, & le Roeux*: pagos nonaginta unum, quorum ſpectabiliores ſunt; *Havré, Bouſſu, Pomeroeul, Lens, Baudour, Herchies,* &c. Sequitur Præfectura Valenceniana, complectens pagos triginta tres, inter quos ſunt *Werchin, Beuvrage, Fraſne ſur l'Eſcaut, Creſpin, Trict, Courouble,* &c. Caſtellania Bouchainenſis, præter *Bouchain* municipium, & *Pecquencourt*, comprehendit pagos ſexaginta tres, *Lalain, Walers, Haſpres, Denain, Maſtain, Haſnon*: Præfectura Quercetenſis, ſive *du Queſnoy*, comprehendit pagos quadraginta octo, *Berlaymont, Maroilles, Hauſſi, Villers, Foreſt la Chaucie* &c. Sub Præfectura Bavacenſi octodecim ſunt pagi, utpote *la Longueville, Aymeries, Houdain, Merquingies, Taiſnieres, Hon,* &c. Præfectura Malobodienſis ſeu *de Maubeuge*, præter Malobodium, & Landrecies, continet ſeptuaginta & unum pagos, quorum præcipui *Barbançon, Solre-Le-Chaſteau, Trelon, Ieumont, Lieſſies, Couſolre* &c. Oppidulum & Paria Aveſnenſis continet pagos triginta tres, *Ramonnerie, Dompierre, Priſſe, Hautmont, Givry, Cartignies.* Comitatus *du Beaumont* undecim complectitur pagos, *Beaufort, Solre-Saint-Gery, Froidchapelle, Ranſe, Sivry, Grand-rieu.* &c. Principatus Chimacenſis pagos triginta unum, *Momegnies, Salles, Macon, Seloigne, Forges, Bailieures,* &c. Præfectura Binchienſis pagos continet quinquaginta unum, *Merbes-le-chaſteau, Solre-ſur-Sambre, Eſtines & Bray, Courcelles, Andrelues, Haucin,* &c. In Caſtellania de *Braine le Comte* undecim ſunt pagi, *Eſcauſſines, Braine-le-Chaſteau, Saintes, Feluy, Eſtainkerque, Quenaſte* &c. In Caſtellania Athenſi præter Athum, Condæum, & Leuze civitates, pagi ſunt centum viginti duo, *Antoing, Peruwez, Brugelette, Accre, Gamerage, Silly,* &c. Baillivatui *d'Enghien* ſunt pagi octodecim, *Herinnes, Caſtres, Houe, Marque, Baſſily, Tholeberqs.* Territorium Leſſiniæ in ſe continet cum oppido Leſſinia pagos ſex, *Flobecq, Ellezelles, Wocqs, Ogy* &c.

Montium deſcriptio.

Montes urbs eſt primaria, cui nomen factum non ſolum à monte, ſeu colle, ſuper quo ædificata eſt, ſed & à reverentia & honore ſanctorum aliquot hominum, qui in avium iſtum & ſolitarium locum ſecedentes, anachoreticam ibi vitam vixere. Interluit urbem fluviolus Trulla, qui è pluribus rivulis derivatus præcipuum fontem habet ad pagum Grandrengam. Fluit autem continuo fere trium leucarum ſpatio verſus Occidentem: atque inde, in exitu hujus urbis, Hainam fluvium influit. Oppidum ſitu & opere muniſſimum eſt: ut quod inundari undique poſſit, & aquis cingi: ac præter ſitus ipſius firmitatem, non tantum robuſti operis muro, ſed & triplici admodum lata foſſa, tum & arce perveteri, decoratur. Amplum inſuper, & egregiis cum publicis tum privatis ædificiis ornatum, fontium denique limpidiſſimorum aquis luxurians. Dives idem & mercimoniis, varioque opificiorum genere, ac præſertim *Sajarum*, quas vocant, textrinis opulentiſſimum. Sedem hic habet concilium Regium, ad quod provocat totus Hanoniæ Comitatus, Valentianis modo exceptis. Sententias hic Senatus fert decretorias, à quibus Mechliniam aut alio provocatio non eſt. Conſtabat olim ex judicibus ex primaria nobilitate deſumptis Paribus, Prælatis, Baronibus, Equitibus, & cæteris Feuda poſſidentibus, unde & co-


COMITATVVM HANNONIÆ ET NAMVRCI DESCRIPTIO.
Amsterdami
Apud Guiljelmū et Ioannem Blaeu
CAMBRE SIS.
LA TIRAS SE
Meridies
Oriens
Occidens

30

gnomine Curiæ Nobilis appellari solet; sed anno 1611 Archiduces Albertus & Isabella animadvertentes crebras nobilium Curiæ hujus etiam nunc Iudicum, occupationes, administrationi Iustitiæ obesse; ut ea meliori & faciliori administraretur negotio, Curiam supremam constituerunt, quæ 15 constaret Senatoribus: supremo sc. Hannoniæ Ballivio, tanquam Principis in civilibus & criminalibus causis vicario; binis Senatoribus Ecclesiasticis, binis Equitibus ex antiquissimâ nobilitate desumtis, quique Ordinum Hannoniæ conventui interveniendi privilegio gaudent, & decem denique Senatoribus togatis; quos iidem Principes anno 1617 ad numerum octonarium reduxerunt. Spectatur in hac urbe nobilissimum illud collegium Canonicarum, conditum ab illustri muliere Diva Gualtrude, Duce Lotharingiæ, qui Ducatus tunc temporis continebat Hannoniam, Brabantiam, Cameracesium, Hasbaniam, Arduennam, & ad Rhenum usque extendebatur. Carolus Magnus Imperator Montes non tantum Hannoniæ Comitatus metropolim esse voluit, sed in memoriam maxime gloriamque sanctissimorum, qui hic vixere, virorum, & feminarum, singulari eam urbem Comitatus dignitate exornavit: sic ut aliquandiu peculiares habuerint dominos, qui titulum inscribebant Comitum Montensium, sed intermissum illum Hannoniæ tandem resumsērunt, orti, sed per lineam femininam, ut vocant, ex clarissimo sanguine dicti Caroli Magni.

Athum. Oppidum *Athum* in consessu Statuum Hannoniæ primum est post Montes metropolim, à qua Flandriam versus quinque milliaribus distat, arcemque habet. Appennagium est primogeniti Comitis Hannoniæ, nominaturque Comitatus Burbantus, *Comitatus Burbantus.* qui Comitatus continens civitates Condeam, Leuze, Lessiniam, Athum cum aliis locis vicinis, Hannoniæ junctus est anno 1050; Situm est Athum ad fluvium Tenaram navigabilem, per quem Antverpiam usque & ultra itur. Olim arx præsidio Comitis tenebatur contra Flandros. Mercimoniis celebre est, præcipue subtilium & albarum telarum, quas vulgo Hollandicas vocant, & aliarum, quæ mittuntur in Galliam, Hispaniam, Germaniamque: cærulearum insuper, quæ distrahuntur in terra Leodiensi, Trajecti ad Mosam, Limburgi, & in locis vicinis. In pagis Athensi jurisdictioni subditis diversi fiunt panni, qui ad oppidum portantur, ut diversis coloribus imbuantur. Bubalarum adhæc pellium magnum hic est commercium, quæ etiam per totum hunc districtum venduntur. Athum proprium habet Gubernatorem, Senatum & Tribunal, quibus viginti sex, partim oppida, partim pagi, parent. Hæc jurisdictio Castellania Athensis vocatur, extenditurque ad portas Tornacenses, & inde usque in Flandriam.

Bouchain. *Bouchain* municipium est situm ad ripam Scaldis inter Cameracum & Valencenas, exstructum à Pipino, in memoriam nobilis victoriæ, quam hoc loco retulit ab exercitu Theodorici Gothorum Regis, ac proinde hanc voluit esse metropolim Comitatus Ostervand, *Comitatus Ostervant.* qui ab Ostrogothis nomen habet. Porro hic Comitatus olim erat primogeniti filii Comitis Hannoniæ appennagium, junctus Hannoniæ anno 1050. Idem aliquando fuit sub Familia Zelandica Borsaliorum. Nam cum Franco de Borsalia uxorem duceret Iacobam Comitissam Hollandiæ, Philippus Bonus Franconi hunc Comitatum adsignavit.

Quesnoy. *Quercetum*, *Quesnoy*, oppidulum est, tertio lapide à Valencena, mercimoniis nobilitatum. Olim sedes fuit & dotalitium Comitissarum Hannoniæ, sed postquam potiti ea sunt Duces Burgundiæ, suffectum ei est Binchium.

Condé. *Condatum, Condé*, ad dexteram Scaldis ripam est, altero à Valentianis milliari, oppidulum satis lautum, & exigua arce conspicuum.

Landrecy. *Landrecy* ad fluvium Sambram, oppidulum minutum quidem, sed & idem munitissimum, ac famosum mirabili illa obsidione Caroli V, Imperatoris, anno 1543. Restituit tandem Rex Galliæ, pace anno sequenti facta, Illustrissimo Duci Arschotano, cui hæreditario jure debebatur, sed permutavit cum Duce bonis æquisque legibus idem Carolus Quintus.

Avesnes. *Avesnes* posita est ad torrentem Hepram, oppidulum non contemnendum, munitum, & Comitatus dignitate spectabile. Erat vero & ista nuper in ditione Ducis Arschotani, qui accepto æquivalente pretio permutavit eam cum Rege Catholico: quoniam enim in confiniis Galliæ erat, potentiore opus habebat Principe, qui securam præstaret ab hostili omni incursu.

Chimay. *Chimacum, Chimay*, in nemore situm est, ad fluviolum Blancam. Domos habet mediocri pulcritudine: tum & regiam Principis hortis ac Labyrintho amœnam. Principatus gaudet dignitate, cujus titulum inter cæteros suos inscribit Dux Arschotanus. Fuit equidem misere nimis mulctatum, ac destructum sæpe, ultimis istis cum Gallorum rege bellis, sed instauratum rursus, sic ut multo quam ante sit pulcrius & adversus hostiles insultus munitius.

Mariæburgum. *Mariæburgo* nomen dedit à suo nomine Maria Regina Hungariæ, quæ jubente Carolo V, Imperatore, condendum curavit, paulo postquam Dominus Longovallius & Martinus Rossemius exercitum ducentes Gallicum, relicta Brabantia Lutzenburgum petierunt, anno 1542. Situm est inter duos torrentes, Blancam nempe, à quo teli tantum jactu, & Nigram, à quo semileuca distat, oppidum situ & opere munitissimum, valido admodum muro, ac pulcerrimis quatuor propugnaculis terribile, quæ & quadrangulum illud & magis inexpugnabile efficiunt. Capta tamen à Gallis anno 1554, quo tempore Philippus ad excursiones Gallorum cohibendas, aliam urbem exstruxit sesquimilliari à Mariæburgo, dixitque eam Philippopolim, *Philippeville*, quæ & ipsa, situ, opere, muris, propugnaculis opportune dispositis, validissima adversus hostem censetur. *Philippeville.*

Beaumont. *Bellemontium, Beaumont*, situm est in amœno colle, unde & nomen accepit. Perexiguum quidem, sed amœnum, & valde pulcrum oppidulum. Dynastam agnoscit Arschotanum. Attribuebatur olim secundogenitis Comitum Hannoniæ, unde & Comitatus titulo gaudet.

Maubeuge. *Malobodium*, vulgo *Maubeuge*, Montibus quatuor fere leucarum spatio dissidet. Interluit oppidum

pidum Sambra, commodus transferendis mercibus, quæ laneæ hic potissimum sunt. Habet nobilissimum Canonicarum collegium, institutum à Diva Aldegundi, quæ & celebre illud templum condidit, cui ab ipsa postea factum est nomen.

Bavais. *Bavacum*, vulgo *Bavais Walonne*, ad discrimen cognominis oppidi *Bavais Picarde*. Illud sane perexiguum est oppidum, etsi quidam Hannoniensium rerum scriptores velint, fuisse magni nominis ac momenti urbem, & quidem *Belgium* dictum, unde Belgicæ nostræ vocabulum fluxerit.

Binche. *Binchium*, vulgo *Binche*, oppidum antiquum satis, & civibus olim frequens, sed continuis hisce bellis ita misere attritum, ut incolarum plerique Montes migrarint. Donaverat hoc Mariæ Reginæ Hungariæ Carolus Quintus, quo tempore ipsa Belgicæ præerat, quare palatiis, hortisque ad omnem amœnitatem factis exornaverat. Reliquorum oppidulorum descriptiones apud Guicciardinum vide.

Notandum insuper, contineri terræ Hanoniæ finibus Tuinum atque Covinum, oppida Leodicensi Episcopatui subdita. Sicuti Vallocuriam quoque, oppidum istac terra quidem contentum, sed Namurcensi tamen Comitatui accensitum.

Hannoniæ Principes. Primus Principum, qui Hannoniæ præfuerunt, fuit Albericus Clodii Francorum Regis filius, hunc sequutus est filius ejus Walbertus I. circa an. 490, quem Clotarius Francorum Rex deposuit, præficiens Hannoniæ Walbertum II. filium Primi secundogenitum, cui anno 562 fatis functo successit filius Walbertus III; qui monachi indutus cucullum, filium reliquit successorem Walbertum IV, plenum virtutibus Principem, quique sanctorum Catalogo inscriptus est: is supremum diem obiit anno 634. successit filia primogenita sancta Waldetrudis nupta Madelgario seu S. Vincentio Principi Vasconi, hæc monasterium ingressa, Principatum renuntiavit in favorem cognatæ S. Ayæ nuptæ S. Hydulpho Comiti, cui religionem ingressæ successit jure testamentario ejus ex sorore Clotildi nepos, Albericus cognomento Pupillus, qui anno 694 vitam cum morte commutavit. Gualterius I. obiit anno 748; filius ejus & successor Gualterius II. Princeps bellator egregius, Pipini Regis Franciæ partes secutus moritur anno 779: eum excepit Gualterius III: qui pro Carolo Magno contra Saxones fortiter dimicans cæsus occubuit anno 800, relinquens ex Simathildi Bavariæ Ducis filia filias tres, quarum major Renata Alboni Lotharii Ducis Mosellani filio nupta est: Albon I, è capite uxoris Comes Hannoniæ, Imperatoris Ludovici Boni contra filios ejus semper secutus partes, obiit anno 834. Successit filius ejus Albon II, qui subitanea morte ex humanis ereptus anno 860, filiam Albradam reliquit heredem. Raginerius I. Longicollius Albradæ maritus dux & miles fortissimus, strenue contra Flandros, Caroli Calvi Franciæ R. contra Balduinum Ferreum Iudithæ Franciæ raptorem amplectens partes, dein contra Normannos Hannoniæ invasores infeliciter bellavit: à Suendibaldo Lotharingiæ Rege, Hannoniæ Comitatu expulsus; à Ludovico verò Germaniæ Rege post occisum Suendibaldum restitutus est, mortuus anno 913. filios reliquit tres, quorum secundogenitus Raginerius II, pariter ut Pater dictus Longicollius, ei successit in Comitatu Hannoniensi, qui cùm continua cum vicinis gereret bella, subditos oneribus impositis vexaret, bona Ecclesiastica sibi vindicavit, donec querentibus apud Othonem Cæsarem Hannoniæ Ordinibus, Raginerius ab Hugone Cæsaris fratre Comitatu Hanoniensi privatus fuerit anno 959, qui Hanoniæ Garnerium & Rinaldum fratres præposuit, quos Raginerius & Lambertus Raginerii II. filii, prælio prope Binchium commisso trucidarunt: hosce Imperator ipse rursus Hannonia expulit, Comitemque instituit Gothofredum, Captivum cognomine, Comitem Verdunensem. Is cum à Lothario Francorum Rege captus esset, Comitatum Hannoniensem Raginerio III restituit; ei anno 1002 defuncto successit filius Raginerius IV, qui unica relicta filia decessit anno 1036. Richildis Raginerii filia nupsit primò Hermanno Thuringiæ Marchioni, post Balduino Montano Flandriæ Comiti; ex qua filios peperit Arnulphum Infelicem Flandriæ & Balduinum Hannoniæ Comitem; moritur Richildis anno. 1086. Balduinus Hierosolymitanus ejus filius in Comitatu Hanoniensi matri Richildi successit, Flandriam pacto Roberto patruo relinquens in expeditione Terræ sanctæ anno 1098, ab infidelibus occisus est. Balduinus Tertius admodum juvenis patrem excepit, moritur anno 1133; successorem relinquens Balduinum IV, Ædificatorem cognomine, qui, postquam Iolenda mater per an. 6. Hannoniam gubernasset, Comitatus habenas regere incepit anno 1140. Flandriam bello impetiit, sed à Theodorico Alsatio Flandriæ Comite prælio superatus, filium suum Balduinum V. Margaretæ Theodorici Alsatiæ filiæ jungens pacem fecit, obiit anno 1171. Balduinus V, contra Gothofredum Brabantiæ Ducem, dein contra Henricum Cœcum Namurcensem, post contra utrosque conjunctos feliciter debellavit. Philippo Alsatio in expeditione Terræ sanctæ defuncto, jure consanguinitatis in Flandriæ Comitatu successit, obiit Princeps optimus & illustris rebus gestis anno 1195. Possedit Hannoniam, Flandriam & Namurcum: eo defuncto Balduinus Constantinopolitanus cognomine, Hannoniæ & Flandriæ imperavit, qui in Orientem contra infideles profectus devicta Constantinopoli, Imperator Constantinopolitanus creatus, à Bulgaris tandem in prælio captus, crudelissime occisus est anno 1204. Successit Ioanna Constantinopolitana defuncta sine liberis anno 1244. Hanc excepit Margareta nupta primis nuptiis Bochardo Avenensi, secundis Gulielmo Dampetræo, è Bochardo peperit Ioannem Avenensem, cujus filius Ioannes itidem nominatus Margaretæ in Hannoniæ Comitatu successit, fratri uterino Guydoni Dampetræo Flandriæ Comitatu relicto. Cæteros Hannoniæ Comites in Hollandiæ Comitum videas serie.

VALENCENA.

Valencena.

VAlencena, seu, ut quidam volunt, Valentiniana ab ejus nominis Imperatore, ut autor est Sigebertus Gemblacensis (qui etiam refert an. 1271, Carolum Magnum Imperatorem eo loco totius Galliæ Comitia celebrasse) ad Scaldim sita est, planitie peramœna, eoque tuta ab hoste. In ea est armamentarium ad belli usus instructissimum. Templa duo, unum sacrum B. Virgini, structura antiqua, cujus columnæ ex marmore & lapide porphyretico: alterum B. Ioannis, recentius, opus Pipini, qui pater Caroli Magni fuit: Cœnobia plura, unum præ cæteris nobile Franciscanorum, quo Comites Hannoniæ & Domini Valencenæ seorsim sepeliuntur. Curia amplissima cum horologio celeberrimo, opus Guilielmi Boni, Comitis Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ. Porro Respublica hæc tanta prudentia constituta, & tam bonis legibus ornata est, ut Noribergenses ad ejus exemplum celeberrimam suam rempubl. voluerint componere, missis ad hanc rem aliquot viris prudentibus, quod & Romanos fecisse accepimus in Republica Atheniensi. Proinde non est mirum, si ex tam præclara politia orti fuerint cives per universum orbem virtute celebres. Inter quos primas tenent Henricus VII, Imperator, Dux Lutzenburgicus: Maria filia unica & hæres Caroli Audacis, avia Caroli V: Ioannes Froissardus, Historicus nobilissimus, qui etiam hoc ipsum initio operis sui testatus est. Porro hæc Respublica initio Comitatus fuit, habuitque Comites suos proprios & singulares, quorum ultimus Garnerius, qui eam vendidit Reinero Comiti Hannoniensi, & Lamberto Comiti Lovaniensi fratribus. An. 973 Lambertus improlis obiit. Reineri filia Richildis nupsit Comiti Flandriæ Balduino, paruitque ex eo Valencena Flandriæ: non tamen ut pars, sed ut disparata Respublica, proprias habens leges & consuetudines. Postremum ad Duces Burgundiæ & Domum Austriacam devolutum est imperium. Non habetur tamen ut oppidum Hannoniæ, sed tanquam in ejusdem fundo positum. Vnde etiam proprios habet Præpositum, Senatum, leges, forum juridicum & tribunal. Similiter quando Comitatui Hannoniæ imponuntur nummorum exactiones, nihil tanquam ejus membrum contribuit, sed ut juris sui ditio. Oppidum est magnum, amœnum & prædives. Vno milliari à Valencena est Abbatia *Vicoigne*, refertissima optimorum & antiquissimorum librorum.

Olim Comitatus.



NAMVR-

NAMVRCVM COMITATVS.

Situs.



Amurci Comitatus perexiguus atque angustis finibus inter Brabantiam, Hannoniam, Luceburgum & Episcopatum Leodiensem continetur. Longitudo enim ejus ab Oriente Occidentem versus sumta ab abbatia Soriliana usque ad amnem Pieton Hannoniam à Namurco separantem, est leucarum Brabanticarum duodecim, latitudo vero à Meridie Septentrionem versus est decem leucarum Brabanticarum. Incolas habet frequentissimos, bene moratos & fideles, arte etiam militari probe exornatos; Aërem salubrem, temperatum; flumina piscosa, inter quæ primas obtinent Mosa & Sambra. Silvæ hic plurimæ, feris & volatilibus, in fructum pariter ac voluptatem, plenæ, quarum cæteras magnitudine longe præcellit Marlania. Planities tritici aliarumque frugum eximie fertilis. Montes, quibus regio abundat, præter utiles illas & amœniores silvas, ac scaturientes undique limpidissimarum aquarum fontes, plurimas habent ferri, quasdam etiam plumbi venas, plurimas etiam varii generis lapidum, inter quos eminet maxime subnigrum marmor, item rufum quoddam albo intermixtum, cui Iaspidi nomen est. Neque ita pridem cœperunt effodi saxa illa ad ignem idonea, quæ Lithantracas nominare possumus. Eruitur insuper copiosissime optimum genus nitri. Verum eximia illa tot aquarum & fluminum, totque nemorum & lignorum opportunitas, purgando, coquendo, & ad perfectionem conducendo, imo in chalybem acuendo, ac de loco porro in locum transferendo ferro inserviens, & conatus simul & sumtus ita faciles reddunt, minuuntque, ut nunquam non & quæratur & inveniatur; nunquam non sedulo industrieque laboretur: idque tot & tantis fornacibus, officinis ac instrumentis, præsertim in Marlania, ut versari tibi videaris in ipsis Vulcani ac Cyclopum fabricis.

Qualitas.

Vrbes.

Vrbes in hoc Comitatu muro cinctæ sunt quatuor: *Namurcum*, *Bovinæ*, *Carlomontium*, & *Valencourtium*. Pagi 182. Abbatiæ quamplurimæ. Reipublicæ administratio est penes Ecclesiasticos, Nobilitatem, & urbium Capita, qui status est optimatium.

Namurcum.

Namurcum, urbs est primaria. quam ob caussam novus ei Episcopatus est impositus. Origo nominis satis obscura est. Auctores enim quidam graves scribunt, à se, an ex aliis, nescio, ab Naino, Gentilium Deo, appellatum: eum in montis vertice, ad cujus radices sita est, habitasse, & cultum fuisse, omnibus ad eum opis auxiliique gratia concurrentibus, responsa dare consuêsse: post vero Christi adventum (Materno prima hic fidei Christianæ fundamenta collocante) obmutuisse. Alii hanc urbem à Romanis, tanquam inexpugnabilem rupem exstructam esse referunt. Ipsos *Novum Murum* nominasse, unde postea Namurci, sive, ut alii volunt, Namurræ appellatio orta sit. Mavult maximus Lipsius cum schedis vetustioribus scribi *Namurum*, quam *Namurcum*, & originem ait liquere. dici enim nostra lingua, quasi *Propinquum murum*, *Na-Muur*. Sita est inter duos montes ad lævam Mosæ ripam. Ad Occidentem Sambra Namurcense oppidum alluens, id duas in partes intersecat. Mosa pertransit, exituque dein suo in eam sese regurgitat. Abest Lovanio octo milliaribus, Leodio decem, undecim Bruxella. Pulchra est & amœna, & arce, loco sublimi, conspicua. In hac præclarum est Canonicorum Collegium, fundatione ac sumtibus Comitis olim institutum. Sunt & aliæ duæ in civitate ipsa Canonicorum collegiatæ Societates. Altera in Ecclesia D. Albino sacra, quæ Pauli IV Pontificis maximi auctoritate, Hispaniarum Rege Catholico petente, in Cathedralem est evecta, cujus primus omnium antistes designatus confirmatusque est Reverendiss. D. Antonius Havetius. Altera Canonicorum Ecclesia est B. Mariæ virgini nuncupata, idque, uti annales perhibent, D. Materni, primi Tungrorum Apostoli, auspiciis. Monasteria etiam hic aliqua sunt, utriusque sexus, inter quæ principem fere locum obtinet, Fratrum instituti D. Francisci, cœnobium, non modo sumtuosa & celebri structura, sed doctrina ac pietate eximiis viris celeberrimum. Multa sunt insuper in ipso Comitatu cœnobia splendida, Namurcensium Comitum olim pietate constructa, & opimis donata reditibus, inter quæ excellit illud Præmonstratensium apud Floreffiam. In hac urbe sedes est Concilii Regii, à quo appellatio est ad Curiam Mechliniensem. Est & sedes Episcopi. Cives armis adsueti sunt. Gallicus iis sermo, sed corruptus. Mercatores & opifices pauci. Nobilium magna turba, sed qui nothi sunt illustrium Principum, vel è nothis oriundi.

Tertio milliari à Namurco dives est pagus Andennas, in quo vetustissimum Collegium Canonicarum nobilium fœminarum, exstructum institutumque à Begga filia Pipini veteris, à qua primum creduntur dictæ vestales *Begginæ*. Ex hac Begga Pipini posteriores, Carolus Martellus & Carolus Magnus originem suam traxere.

Alterum porro Canonicarum nobilium monasterium, Andennensi adsimile, exstat ad Sabim flumen, juxta pagum *Monstier*, altero à Namurco lapide.

Visuntur insuper Dinantum & Namurcum inter, in monte vulgo *Polvache* dicto, parietinæ quæ-



Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
BRABANTIÆ PARS
LEODIENSIS DIŒCESIS PARS
HANNONIÆ PARS
LEODIENSIS DIŒCESIS PARS
LVTZENBVRGI DVCATVS PARS
Septentrio
Oriens
Occidens
Meridies
Giblou
Namur
Dinant
Hu
Chiney
Philippe ville
Apud Guiljelmum et Iohannem Blaeu.
NAMVRCVM COMITATVS
Auctore Iohann. Surhonio.

quædam & rudera veteris oppidi *Chevremont*, hoc est *Montis Caprarum*, quod destructum fuit per intestina bella cum Leodicensibus gesta, nec resurgere hactenus potuit.

Bovigne.

Quarto milliari à Namurco sunt *Bovinæ*, *Bovingne*, oppidum exiguum, quod bellorum injuriis jam aliquoties vastatum, postremum vero ab Henrico Secundo Galliæ Rege anno 1554 magna parte destructum est. Id ex eo tempore civium industria restitui & instaurari cœpit. *Carolomontium*, *Charlemont*, arcis fere effigiem præ se fert, propugnaculis suis bene munitæ. Distat Marieburgo tribus, Namurco septem milliaribus. Situm peropportune in monte ad lævam Mosæ ripam, circa nobilem illum locum, quem vulgo vocant *Givet*. Nomen habet à Carolo V Imperatore, qui coercendis hoc tractu Gallis, Mariæburgum tunc tenentibus, exstrui jussit, anno 1555. *Valencourtium*, *Walcourt*, oppidulum tenue est, sed pulcherrimos undique agros adspectans. *Dava* pagus est ad Mosam flumen, qua Bovinas itur, arce validus, amplæque jurisdictionis, ita ut titulo gaudeat Vicecomitatus. Sunt præterea in pagorum catalogo varia loca non amplitudine minus quam amœnitate spectanda, qualis est *Floreu*, *Viseia*, & *Samsonia*.

Charlemont. — *Valencourtium.* — *Pagi.*

Regimen.

Ditio Namurcensis sæpenumero mutavit suos dominos. Eorum autem qui Marchionum titulo dominati sunt usque ad annum 1005, nomina & series tecta vetustatis caligine ignoratur. Primus cujus nomen & memoria ad hæc nostra pervenit tempora, est Albertus Comes Namurcensis, qui Ermengardam Caroli Ducis Lotharingiæ filiam in uxorem duxit circa annum 1005. Dein in Genealogia Ducum Lotharingiæ circa annum 1044. positus reperitur Albertus Secundus prioris filius, & Tertii Alberti pater. Tertium secutus est Godefridus Comes Namurcensis, Ermesindæ Lutzenbergensis maritus, qui obiit circa annum 1115. Hunc secutus est Henricus Cœcus cognomine, ad quem Lutzenbergensis quoque Comitatus hæreditate devolutus est, huic sine prole mascula defuncto successit vi pacti (Ermesindâ Cœci filiâ Theobaldo Barrensi nupta exclusâ) Balduinus Flandriæ & Hannoniæ Comes, Cœci ex sorore nepos. Huic successit Philippus filius secundogenitus, ex ultima voluntate patris, ea conditione, ut Philippus ditionem hanc (à Cæsare jam Marchionatus titulo decoratam) à Balduino fratre Flandriæ & Hannoniæ Comite, Balduinus vero ab ipso Cæsare in clientelam acciperet. Philippo primo Marchione una cum filio puero demortuo Marchionatus Iolandæ, Henrici Imperatoris Constantinopolitani sorori, & Petri Auxerrani itidem Imperatoris uxori cessit; hujus filii Robertus Imperii Orientis, Philippus vero Namurco præfuit; Post obitum Philippi Henricus Lutzenburgensis nomine matris, vel uxoris (ut alii malunt) Margaretæ Gerardi Lutzenburgensis Comitis Barensis filiæ Marchionatum Namurcensem occupavit, verumtamen post quinque elapsos annos Balduinus Imperator Roberti filius ultimusque hujus stirpis è Græcia redux, auxiliante Ludovico Franciæ rege Namurcensem ditionem recuperavit, sed Thomas Sabaudiæ Ducis frater Ioannæ Constantinopolitanæ maritus breve post tempus ei de Namurco litem movit; Post obitum vero Iohannæ Guilielmus Rom. Rex, Hollandiæ Comes Flandris succensus, Margaretam Nigram terris Romani Imperii feudalibus privavit, Ioanni Avenensi Margaretæ filio Namurcensem tribuens ditionem anno 1252. Anno vero insequenti Balduinus Byzantinus Imperator necessitate urgente Comitatum Blancæ Ludovici Franciæ Regis matri vendidit, quæ misericordia mota cum dono Marthæ Balduini uxori, Ioannis regis Hierosolymitani filiæ dedit. Novem post annis Henricus Lutzenburgensis Henrici VII Imperatoris avus, Namurcum occupavit. At Margarita Constantinopolitana in Comitatum sibi majus jus vindicans, urbem & in ea Henricum circumposita cinxit obsidione, donec lites hæ per matrimonium Guydi Dampetræi Margaretæ filii, cum Isabella Henrici Lutzenburgensis filia sopirentur. Hoc modo Comitatus hic ad Guydum devolutus est, ei successit filius Ioannes, eum excepit Robertus, post Guilielmus Namurco præfuit. Tandem Comitatus Namurcensis jure hæreditatis ad Mariam Guydi ultimi Comitis Blesensis uxori pervenit, cujus hæres Ioannes vel Theodoricus eum Philippo Bono Burgundiæ Duci vendidit, annuos proventus donec viveret sibi reservans: à Ducibus Burgundiæ postmodum ad Austriacos devolutus est.

MECHLINIA DOMINIVM.



Regimen majorum.

Agna Dominia Inferioris Belgii sunt Frisia, Groninga, Transisalania, Vltrajectum & MECHLINIA. Fuit olim Mechlinia, ut remotiora omittamus, sub ditione Illustrissimæ gentis Bartholdiæ, quæ cum legitimis destitueretur hæredibus, post varias tandem contentiones & bella, alter urbis semissis obvenit Episcopo Leodicensi, alter Comiti Gelriæ. Hi quam possederunt plurimos annos urbem, anno 1333 vendiderunt Ludovico Niverniensi Comiti Flandriæ, pretio trecentorum millium vel circiter scutatorum, una cum juribus ac prætensionibus omnibus. Hæc res magnarum litium materiam præbuit, nolente videlicet Ludovico Niverniensi agnoscere Brabantiæ Ducem feudi istius patronum, etsi habitum ante, ut ferebatur, pro tali à prioribus urbis Dynastis. Tandem post longas dissertationes rixasque, initum fuit matrimonium inter Ludovicum Maleanum, & Margaretam Ioannis Tertii Ducis Brabantiæ filiam natu secundam. Etsi autem ne sic quidem omninò contendendi esset finis, tamen eopse matrimonio factum est, ut ditiones Domus Brabantiæ, cum iis quæ Flandricæ essent, coaluerint. At Philippus Bonus Mechliniam à cæteris ditionibus separavit, voluitque distinctum esse à cæteris dominium. Tale vero in hunc usque diem perseverat.


Nomen.

De nominis origine nihil certi constat. Narrat in Itinerario Abrahamus Ortelius extitisse olim ad sacellum Divi Rumoldi, medio inter Antverpiam atque Bruxellam itinere, diversoria quædam, ubi diverterent viatores, apud Michaëlem quendam, Brabantis *Machiel*: qui cum celebraretur passim & inclaresceret, loco postea fecerit nomen, & urbi ibidem exstructæ.

Mechlinia civitas.

Est autem oppidum antiquum, & inter Belgii præcipuas civitates, situ admodum peroportuno, & mira cœli temperie, nec non aliis multis in usum humanum commoditatibus insigne. Transit urbem fluvius Dilia, qui amplus satis, marino æstu ad leucæ spatium Mechliniam superante, valde intumescit, usque adeo, ut in complures ramos & veluti alveos dividatur, pluribus intra urbem pontibus stratus, & satis multas in ea efficiens insulas, templorumque & domuum privatarum distinctas commode areas. In meditullio fere Brabantiæ sita est, & triangulari aspectu Antverpiam, Lovanium, Bruxellamque videt, à quibus pari fere quatuor milliarium intervallo abest. Distincta tamen & singularis est ditio. Quare & matres plurimæ partui vicinæ, ut liberi amplissimis Brabantiæ privilegiis fruantur, Mechliniense territorium deserunt, & brevissimo sese itinere, pariendi causa, in Brabantiæ confinia conferunt. Vrbs non solum elegans est & pulchra ædificiorum splendore ac platearum nitore, sed & munita valide. Accedit ad robur, quod circumfundi undique aquæ possint. Distinguitur in septem parœcias, sumtuosis magnificisque templis insignes. Primaria ac cathedralis Divo Rumuldo dicata est, ædem habens eximiæ magnitudinis, etsi nondum perfectam. Turris ejus conspicuæ est altitudinis, unde plurimæ undique civitates, pagi, & amœnissimi agri conspici possint. Selectæ in ea & sonoræ campanæ, quæ dulcissimo concentu horis præludunt. Præter illas, habet Mechlinia alia plurima tam virorum, quam feminarum cœnobia, præcipuumque illud D. Francisci, cui elegantia, capacitate, & amplitudine nullum in universo Belgio præstare creditur. Habet & Divæ Claræ, amplum quoque & nitidum, nec ulli Ordinis ejus cœnobio cedens. Videre hic est cœnobium Pitzenburgense, nobilissimi ordinis Equitum Teutonicorum. Sunt & palatia hic multa & domus publicæ pulchriores, necnon horti & viridaria, non amœna minus, quam spatiosa. Etsi vero gravissimo tristissimoque casu attrita valde afflictaque fuerit, tamen hodie in pristinum statum rediisse visa est. Casus hic fuit: Septimo Idus Augusti, anno 1549, exorta horrenda tempestate, cœlo delapsum fulmen turrim feriit, haud procul ab ea porta, quam arenariam vocant. In hac turri repositi erant bis mille & amplius cadi tormentarii pulveris, quibus accensis disjecta fuit turris funditus, ita ut ne vestigium quidem superfuerit. Eadem flamma urbis fossas, etsi & latas & profundas, per sexcentos & amplius passus exsiccavit, piscesque arsos & semicoctos quaquaversum sparsit. Dirutæ ædes vicinæ, etiam illæ, quæ 300 passibus aberant. Qui vero per aëra volitabant lapides, procellæ instar ac nimbi, maxima ubique damna dabant. Eodem casu CC & ultra hominum extincti, IↃC circiter mutilati. Fuitque tam ingens fragor, ut Antverpiam usque & Bruxellam veluti continuo terræmotu perciperetur.

Præter minora quædam & subalterna, septemdecim maxime numerantur collegia, sive sodalitates artificum, quibus & ad Senatum accedere, & deliberationibus ejus intervenire jus & facultas est. Excellunt in hoc ordine pistores, cetarii, tinctores, coriarii, zythephæ, sive coctores cerevisiæ & laniones. Quorum omnium tantum est pretium & existimatio, ut è singulis horum collegiis singuli eligantur quotannis Scabini. Constituunt quippe Magistratum supremum sex Scabini nobiles & totidem artifices. Amplissimum vero est collegium Coriariorum, ut quod oppidanorum fere quadrantem facit,


MECHLINIA
DOMINIVM,
et
AERSCHOT
DVCATVS
Auctore Michaele Flor: a Langren
Regis Catholici Mathematico.
Variæ hujus Tabulæ Mensuræ.
Milliaria Germanica
Milliaria Brabantica
Milliaria Italica
Pagi litteris M.B. notati, et in agro Brabantino siti, duplicis sunt differentiæ, nam Wespelaer, Noortmeerbeeck, et Hombeeck, in litibus Senatum Mechliniensem consulunt et Cancellariam Brabantiæ appellant: Episcopalis vero Vicus pagi Doernensis, et pagus Haecht, pro libitu, ad Senatum Mechliniensem aut Brabantiæ Cancellariam provocant. Reliqui, M. Signati, sunt quidem in terra Mechliniensi, tenentur tamen à Brabantia, sed proprios habent Officiales, et Feudorum Vicarium.
FLANDRIÆ
PARS.
Antwerpen
TERRITORII
ANTVERPIENSIS
PARS.
Liere
Herentals
MECHLINIENSIS DOMINII
Moer
AERSCHOT.
Aerschot
Sichen
Luyckſche
Kempe.
Vilvorden
PARS
TERRITORII
BRVXELLENSIS.
Brußel
TERRITORII LOVANIENSIS
PARS.
Tienen
Halen
Herck
LEODIENSIS
DIŒCESIS
PARS.
Leewe
S. Truyen

ſuas habens ſeorſim habitationes , capaciſſimas illas , variis aquæ vivæ canalibus aliiſque ad operas iſtas neceſſariis luculenter inſtructas. Sodales ipſi compluribus , iiſque inſignibus privilegiis donati ſunt ; inter cætera autem venandi, & aucupandi poteſtate. Conficitur in hac urbe maxima pannorum , tenuiſſimi præſtantiſſimique fili vis. Quæ tanta olim fuit , ut ſupra ter mille lanariorum officinæ numeratæ hic fuerint. Quo rerum ſucceſſu inſolentiores , eo proruperunt veſaniæ , ut arma in reliquos cives ſumſerint , & cum iis manus conſeruerint. Deſiderati hac pugna lanariorum complures , & privilegiis ſuis magna ex parte mulctata Sodalitas. Etſi autem exinde non parum hujus collegii autoritati deceſſerit , eo tamen hodie eſt loco , ut magnum vulgo & primarium oppidi ſodalitium audiat. Etiam lintea hic texuntur , ejus probitatis & precii , ut non facile uſquam præſtantiora invenias. Conficiuntur & omnis generis tincturæ. Conflantur aheneæ machinæ , tanta & dexteritate ſimul & bonitate , quanta alibi uſquam terrarum : campanæ itidem , aliaque ex ære adfabre facta. Eſt & hic Principis armamentarium , in quo machinæ bellicæ aliaque militiæ impedimenta aſſervantur. Celebris eſt Mechlinia natalibus Ioannis Gocchii , & Ioannis de Arundine , item Nicaſii Woerdani , qui etſi à tertio inde ætatis anno amiſiſſet oculorum uſum, eos tamen in literis fecit progreſſus , ut, narrante Trithemio , Iuris utriuſque Doctor creatus fuerit , & cum in Lovanienſi tum in Colonienſi Athenæo ſumma cum laude docuerit. Mechliniæ quoque natus fuit Chriſtophorus Longolius, vir ob raram & exquiſitam doctrinam , aliaſque non paucas virtutes , per omnem Europam clarus. Hæc etiam Rembertum Dodonæum dedit , Medicum & Mathematicum eximium , & ſcriptis Botanicis clarum. Frequens hic Nobilitas , majorque quam alibi familiarum eminentium numerus. Educati hic Principes maximi , Philippus Primus Hiſpaniarum Rex , & Carolus ejus filius , poſtmodum Imperator : quia iis temporibus ordinaria illic & ſolennis aulæ Burgundicæ fuit ſedes. Obiit hic Margareta Caroli amita, Belgicæ Gubernatrix.

Privilegia Mechlinienſium.

Duobus potiſſimum gaudet privilegiis. Prius eſt , quod immunes ſint ejus cives per univerſam Belgicam à vectigalibus , & oneribus quibus mercimonia gravari ſolent. Poſterius eſt , quod bona ipſorum , ut vocant , immobilia, non ſolum in Brabantia , ſed per omnes inſuper provincias ab iis ſubſidiis libera ſint , quæ Principi ſubminiſtrari conſuevere. Vtrumque à Carolo Audace impetraverunt, ob officia ipſi præſtita.

Ordines. Parlamentum.

Ordines hujus Dominii conſtant duobus membris , Magiſtratu & populo. Sedem habet in hac urbe Magnum Concilium Regium , ab eodem Carolo inſtitutum , anno Chriſti 1473. Conſtabat olim XXXV perſonis , incluſo Principe, inde Cancellario , duobus Præſidibus , quatuor Equitibus , ſex ſupplicum libellorum magiſtris , octo Senatoribus Eccleſiaſticis , & duodecim Doctoribus , ſive Licentiatis , ut vocant, ſecularibus. Hodie conſtat uno duntaxat Præſide , ſedecim Senatoribus , duobus Graphiariis , octo Secretariis,& aliquot minorum gentium adminiſtris. Provocant ad hoc Concilium Mechlinienſe, præter Mechliniam, Flandria omnis, Arteſia, ditio Namurcenſis,Lucenburgenſis,Valentianenſis: Equites item Aurei Velleris , prima, uti loquuntur , inſtantia coram hujus Concilii tribunali citantur. Suntque decreta ejus peremptoria , nec ullatenus retractantur , niſi quod *Reviſio* permiſſa ſit.

Cœnobium monialium.

Sub ipſa urbe , qua Antverpiam itur, ampliſſimum quoddam & memoratu dignum occurrit cœnobium, arcis pæne ad formam conſtructum, & muris late diffuſis circumdatum. In hoc ædes eſt pulcherrima , D. Alexio Ordinis Præſidi ſacra. Degunt hic ut plurimum, mille quingentæ, nonnunquam mille ſexcentæ virgines ſacræ , unius ejuſdemque omnes profeſſionis , ut refert Guicciardinus.

Heiſtium.

Duabus Mechlinia leucis , ſub ejuſdem urbis dominio , ſitus eſt pagus ampliſſimus, Heiſtium, vertici montis impoſitus , una cum ſeptem minorum gentium viculis , quorum alii ad montis radices , alii circum eum viſuntur , Heiſtioque ſubjiciuntur. Hujus luculenta quoque eſt ditio, iiſdem cum Mechliniæ urbe privilegiis fruens.

Mechlinia Archiepiſcopatus.

Mechlinia in novam Archiepiſcopalem Sedem erigitur à Paulo IV Pontifice 1559 cum titulo Primatis Belgicæ Provinciæ , qui competit Remenſi Metropolitano in Galliis, detracta Epiſcopali Sedi Cameracenſi , cui in Eccleſiaſticis ſuberat, idque cum aliis Epiſcopatibus novis Belgicæ , auctore Cardinale Granvellano , ei ſubjectis Suffraganeis diœceſibus ,

Antverpienſi ,	Iprenſi ,
Brugenſi ,	Ruremondenſi , &
Gandenſi ,	Buſcoducenſi.

Abbatiæ autem reperiuntur in diœceſi :

Afflighemenſis , Ordinis Benedict. *Afflinghem.*
Bigardenſis, *Bigarden*, Ord. Bened.
Cortemberga, *feminar.* Ord. Bened.
Grandimontis, *Grammont*, O. B.
Eynhamenſis, *Einham*, O. B.
Vliderbeck, O. B.
Averbodii, *Everbeur*, O. P.
Dieleghem, O. P.
Grimberga, *Grimberg*, O. P.
S. Gertrudis, *Lovanii*, O. P.
Helielmenſis, *Heliehem*, O. P.
Minove & de Parco, O. P.

Præfuere vero huic Eccleſiæ ſequentes Præſules:

Archiepiſcopi Mechlinienſes : I. A. Perrenot Grandvelle.

Antonius Perrenot , Cardinalis de Grandvelle, Carolo V ſponte Imperio ſe abdicante , atque è Belgis in Hiſpaniam ſecedente , Attrebatum Antiſtes jam factus, exinde virtutis merito à Pio IV Purpuratorum cœtui adſcriptus , primus Machlinienſium Archiepiſcopus declaratur 1559. Rebus in Belgio conſtitutis cum Philippus II patris exceſſu in Hiſpaniam revocaretur , Margaretæ Auſtriæ Belgarum Gubernatrici ſorori regias vices ſubituræ publicarum curarum comes datur. Exorto deinde civili bello apud Belgas , invidiæ cedens in Burgundiam ſe contulit , indeque mox à Rege in Hiſpaniam evocatus , perpetuo ei carus , honoribus auctus eſt ; Neapolitanis enim Prorex præfuit , in Hiſpaniam revocatus dum in Luſitaniam expediuntionem Philippus ſceepiſſet, eam

eam æquabili jure administravit; Demum Archiepiscopus Bisonticensis creatus, septuagenario major fato concessit Mantuæ Curpetanorum 1585.

II. *Joannes Hauchin.*

Ioannes Hauchin, ex Decano Beatæ Gudulæ Bruxellensis resignatione Antonii evectus ad hanc Cathedram 9 Calend. Febr. 1582. Inter vivos esse desiit 5 Ianuarii, 1589; humatus in Ecclesia S. Rumoldi.

III. *Guilelmus Alanus.*

Guilelmus Alanus, Cardinalis tituli S. Martini in Montibus, natione Anglus, patria Lancastrensis, Oxoniæ bonis literis operam impendit, Duaci in Belgio lauream adeptus est in alma facultate Theologica, Regius ibidem Professor, postea Canonicus Cameracensis & Remensis assumptus: dein Remis à Sixto V Papa Romam evocatus anno 1587 Aug. 7. Id. Cardinalis Presbyter creatus est, deinde mortuo Carafa Cardinale Bibliothecarius Apostolicus declaratur, ad reformationem sacrorum Bibliorum, sub Sixto inceptam. Postremo Machliniensis Antistes electus, Archiepiscopatus tamen possessionem non habuit. Romæ etenim omni virtutum genere excultus, præclaris ingenii doctrinæque monimentis clarus, quæ partim Anglice, partim Latine conscripta reliquit, terrestres exuvias reliquit die Dominica 16 Octob. 1594, ibidem in Ecclesia S. Trinitatis nationis Anglicæ sepultus.

IV. *Levinus Torrentius.*

Levinus Torrentius, ortu Gandavensis, Lovanii Philosophiæ operam dedit & Iurisprudentiæ, post in Italiam profectus Romæ annos aliquos substitit, & in illo Orbis theatro à doctis hominibus cultus est, Morono, Sirleto, Borromæo Cardinalibus, Ant. Augustino, Manutio, Gambara, Vrsino, ceterisque. In Belgium reversus Archidiaconus Brabantiæ factus apud Leodienses, & Ernesti Bavari Principis Vicarius creatus, ob legationes præclare obitas à Philippo II Antistes Antverpiensis eligitur, postea tertius Machliniensium Archiepiscopus designatur. Vir fuit antiquitatis inprimis studiosus, prisci Iuris peritissimus indagator, doctrina ad miraculum usque excultus, qui Historiam Romanam mire illustravit luculentâ expositione in Suetonium & Horatium: cujus nomen etiam apud posteros celebratur, ob lyrici carminis excellentiam, Lyricorum Princeps post Horatium etiam ab Italis salutatus, quæ ad extremam ætatem mirâ ubertate profudit & Pio V Pontifici inscripsit. Bruxellæ decessit VI. Kal. Majas 1595. Vixit annos 70. in æde Cathedrali B. Virginis conditus tumulo marmoreo cum effigie.

V. *Matthias Hovius.*

Matthias Hovius, Machliniensis, Theologiæ Licentiatus, primum ad B. Petrum in patriâ Pastor & eloquii sacri præco excelluit. Inde ex majoris Ecclesiæ Archidiacono & Sede vacante Vicario Generali in Archiepiscopum consecratur 1596. Principibus gratus; nam & cum iis de Republicâ varia negotia tractavit, & pro Ecclesiasticâ disciplinâ Concilio provinciali in suâ Metropoli celebrato mense Martio 1607, in ejus auspiciis luculentam orationem habuit de abusibus Cleri & Ecclesiæ tollendis; biennio post statuta Synodalia ab eo edita publicavit. Postquam verò Archiepiscopatum administrasset annis 25, fato concessit 1620. Kal. Iulii 3. in cœnobio Afflinghemensi; sepultus in Ecclesia Metropolitana.

VI. *Iacobus Boonen.*

Iacobus Boonen, spectatæ tum eruditionis, tum probitatis vir, scientiis Theologicis optimè imbutus, Doctor Lovanii renuntiatur, inde Episcopus Gandavensis, necnon Abbas Afflighemensis, prudentiâque conspicuus, multis in rebus maximi momenti strenuè se gessit, & fortitudinem animi in omnibus non mediocrem demonstravit. Demum ex Coadjutore Matthiæ Hovii creatur Archiepiscopus 1620. insequenti anno exequiis Archiducis Alberti de Austriâ interest. Advocavit autem è Galliis Franciscum Bourgoing Oratorii D. I. dignissimum Præpositum Generalem, cum aliis Congregationis Sacerdotibus, ut Clericorum moribus ad pietatem informandis vacarent; primam domum constituit ipsâ Isabellâ favente in Monteacuto seu Aspero-colle, quo è loco plures in civitates Belgii, procurante ipso Boonensi, & adlaborante Bourgoino Congregatio Oratorii fœliciter disseminata est. An. 1633 Kal. Novemb. Isabellæ constituitur testamenti executor cum Episcopo Gandavensi.

VII. *Andreas Creusen.*

Andreas Creusen Trajecti ad Mosam natus, Romæ altioribus scientiis excellenter eruditus, inde Viennam evocatus, & Doctor Theologiæ creatus, sacra in Cæsareo exercitu Vicarius Generalis curavit, ac varias legationes obivit: dein Canonicatu in Metropolitanâ Cameracensi à Ferdinando II Imp. donatus, ac posteà Archiepiscopi Vicarius Generalis constitutus est, Romanique Concilii Provincialis nomine missus; demum Ruræmundensi Ecclesiæ Antistes datus 1651, 5 Iunii; Anno 1657 ad Archiepiscopatum Mechliniensem translatus.

A E R S C H O T

D V C A T V S.

Situm est Arschotum ad fluviolum Demeram, Lovanio juxta & Diesthemio pari trium leucarum intervallo abjunctum. Mechlinia quatuor, & prægrandibus quidem, leucis distat; Lira itidem quatuor. Erat autem hoc oppidum & cætera ejus ditio olim Marchionatus. Sed ornatum postea fuit dignitate Ducali ab Carolo V Imperatore, idque Dominorum magis, & opum quas in Hannonia possident, quam ditionis ipsius adspectu. Etsi mediocre tamen est oppidum, & antiquus admodum Baronatus, ut vocant, seu Dynastia. Dynastas agnoscit Principes Illustrissimæ Gentis Croiæ, ortæ primum è Gallia. Prodierunt autem ex ea stirpe plurimi sane heroës: sed clarissimus omnium fuit Guilielmus, Dominus Cerviæ. Qui usque dum moreretur, summa cum auctoritate, direxit Imperatorem jam dictum: unde & opibus simul & potentiæ Croiorum luculentum accessit augmentum, idque cum aliis hujus tractus Provinciis, tum præsertim in terra Hannonia.

Porro amplissimus iste Ducatus Domino gloriatur impræsentiarum illustrissimo Philippo Francisco, Philippi Arschotani Ducis, Croyensis, &c. atque Elisabethæ de Barlaymont filio, Duce quoque Arembergensi, Arschotano, & Croyensi, Principe Porceano & Rebecensi,

Marchione Moncornetensi, Comite Senigemensi, Engienensi Domino, &c. qui Magdalenam de Borgia Ducis Gandiæ filiam celebratissimo, honoratissimoque sibi matrimonio copulavit.

Loci hujus Toparchæ Principi suo obstricti sunt; contra Princeps ipsis vicissim devinctus est, iisdem fere legibus & conditionibus, quas in aliis locis feudatarius, sive cliens, & patronus, seu Dominus feudi, reciproce inter sese observant. Itaque pacis juxta & belli temporibus Princeps eos habet in clientela, & cum in urbium regionumque regimine, tum in militaribus quoque præfecturis, uti solet eorum opera: quam ipsi contra pari alacritate & fide Principi suo libenter præstant. Iam quod ad ipsa dominia, vel, si mavis, toparchias, & Dominorum in eas jus & imperium pertinet: omnia prorsus alicujus nominis oppida, arces, & pagi, jurisdictioni eorum subjecta, ob varia quibus gaudent privilegia, suis ut plurimum legibus, suisque moribus vivunt, politiam & reliqua eo spectantia ipsi per se administrando. Vnde non aliud fere Toparchis in loca sibi subjecta præeminentiæ jus, neque subditi aliter iis obstricti, quam Antverpiam supra diximus Principi suo esse obnoxiam. Ita quidem ut illi nec vectigalibus hosce, nec alio quovis modo, nisi sponte consentientes, & accedente Regis permissu, possint gravare, sed patrimoniis suis & consuetis reditibus acquiescere debeant.



GELRIÆ TETRARCHIA RVRÆMONDANA.



Eldria omnis dividitur in partes quatuor, Neomagiensem, Ruræmundanam, Zutphenicam & Arnhemiensem, à quatuor præcipuis Civitatibus sic denominatas; earum autem tres, prior & duæ posteriores belli sorte sibi libertatem asseruêre, Fœderatorumque Ordinum accensentur Reipublicæ; sola Ruræmondana pars Hispaniarum Regis agnoscit imperium, ejus dicto ad hæc usque tempora obediens. Eamque ob causam Tetrarchiam Ruræmondanam à cæteris avellere, heicque inter ditiones Regi subjectas ponere visum est. Complectitur vero urbes, & oppida muris circumdata, Ruræmondam, Venloam, Gelriam, Stralam, Wachtendoncam & Herculanum: Municipia tria, quæ & ipsa velut oppidula Montfurtum, Echtam, & Neostadium. Territoria autem tum dictarum quinque urbium, tum præfecturarum Kesseliæ, Middelariæ, & Criekenbeeckii. Minores autem præfecturas hæreditarias, Viersen, Horst, Lenth, Well, Afferden, Blyenbeeck, Walbeeck, Aerlen, Gribenforst, Blitterswijck, Mirloo, Elmpt, Steffensweert, Hillenrade, Swalmen, Assel & Geisteren.

Soli qualitas.

Solum Tetrarchiæ hujus humile & paludosum, sed fertile, & omnium ad victum humanum spectantium admodum ferax. Ruræmonda Metropolis, quæque nomen huic tractui communicat, urbs opibus, amœnitate & ædificiis tam publicis, quam privatis præstans, Mosæ fluvio celeberrimo adjacet, qui hic loci Swalmam & Roeram minoris notæ fluvios benigno recipit alveo. Episcopum, sed angustis limitibus circumscriptum, jam ab initio belli Belgici Philippus Secundus Hispaniarum Rex introduxit. Feudorum & Rationum Curiæ, nec non Regis vicarius, Cancellarius & Senatores, ad quos inferiora Iudicum appellant subsellia, hic domicilium fixerunt. Porro varias belli & ignis Ruræmonda experta vices, sæpius capta & recepta, victorum insolentiam passa est, tandem anno Domini nostri 1637, in potestatem Regis Hispaniæ à Ferdinando Cardinali Infante reducta est. Non procul hinc ad Roeram visitur Odiliæ, sive S. Petri Mons, ubi Reverendorum Wironis, Plechelmi, & Otheri, qui primi sanctissima Iesu Christi dogmata hisce Populis prædicarunt, monstrantur domicilia. Sita est ad Mosæ flumen, quà Ruram ex Iuliacis labentem ad se recipit. Vnde & urbi nomen natum, ut Ruræ amnis, veluti os sive ostium sit vocitatum: id enim *Monda* nostratibus notat. cujusmodi appellationis etiam alia pluria apud Germanos Belgasque occurrunt, ut *Angermunda, Dortmunda, Teneramunda, Tramunda, Orlemunda, Egmonda* aliaque innumera. Ex vectigali, quod hîc dependunt præternavigantes, ingens pecuniæ vis quotannis in ærarium Ducis solet referri. Obtinet propemodum Gelriæ ad Orientem extremum terminum; iterque in Eburones, Namurcenses adeoque universam Galliam parantibus, veluti carceres aperit. Vrbs amœna, dives, spatiosa, ædificiis etiam sacris, prophanis, publicis ac privatis excellens; sedes hoc tempore Episcopi, quem Ruremundensem vocamus. Ipsa Tetrarchiæ hujus, quæ à Neomagensi altera habetur, caput est, sub se urbanas paganasque præfecturas continens. Templum habet primarium dicatum S. Spiritui: Præter monasteria alia, Carthusianum nominatur, quod duobus scriptoribus suo ævo doctissimis valde fuit nobilitatum. Eorum ut & operum, quæ posteritati reliquerunt, meminit prolixè Trithemius.

Ruræmonda.

Venloa.

Ruremundæ quæ subsunt oppida & præfecturæ, primo inter ea loco censetur *Venloa*. Ea tertio circiter lapide Ruremundâ distans, ejusdem Mosæ amnis ripæ apposita est, rei frumentariæ mercaturâ, nautarumque, qui flumen illud navigant, accessu celebris ac frequens. Brabanti etiam Hollandique & alii in vicinio populi magno eodem numero ad mercatum rerum, quæ apud Eburones in lapidicinis ærariisque ac carbonariis officinis admirabili naturæ partu effodiuntur, solent confluere. Vrbs hæc Margaretam, Caroli Cæsaris amitam, dum ea, impubere nepote, res Belgii administraret, ab obsidione sui rejecit. Carolum ipsum victoriis florentem, anno 1543, cumque exercitu valido adventantem, ingressu eo usque arcuit, dum sibi reliquisque Gelriæ urbibus pacem æquissimis conditionibus (quæ victores magis quam victos sequi solent) obtinuissent. Nomen habere à vocibus *veenen* & *loo*, pascua depressa ac humilia indicantibus, res ipsa loqui videatur. Vrbis privilegia accepit anno demum 1343, dante ea *Reinaldo* Gelriæ primo Duce; quod in rebus ac vita ejus refertur inferius ad annum jam dictum.

Gelra.

Gelra Nyrsâ fluviolo intra fossas recepto, multò quam Venloa contractioribus mœnibus circumscribitur. Arcem habet antiquissimam, præfectorum olim Gelriæ sedem: Quam sicuti & urbem paludes circumjectæ munitissimam præstant. Præter alia vetustatis insignia vel eo nomine commendanda, quod Gelrici vocabuli auspicium fecerit.

Stralenum.

Secundum à Gelra locum obtinet situs & præfecturæ ordine *Stralenum*. Quod vel maximè nobilitat Iohannes à Stralen, cujus inter viros virtute ac literis illustres meminit accuratè similiter Trithemius. Est illud præfecturæ etiam nomine insigne, sed nullos sub se magnopere pagos habet. Proximè situs reperitur vicus *'t Sant* dictus, qui


TETRARCHIA
Ducatus Gelriæ
RVRÆMVNDENSIS
VENLO.
ROER MOND.
GEL DER.
WACHTENDONCK.
STRALEN.
ERKELENS.
ECHT.
NIEVSTADT.
COMITATVS MEVRS.
STIFT COLLEN.
IVLACENSIS DVCATVS PARS.
BRABANTIÆ PARS.
PEEL LANDT.
Rhynbeeck
Venlo
Gennep
Goch
Boxmeer
Straelen
Wachtendonck
Kempen
Dulcken
Bruggen
Erckelens
Roermont
Weert
Maseyck
Echt
Nieustadt
Wanraey
Haps
Notarum Explicatio
Steden. Oppida
Dorpen. Pagi
Edelhuijsen. Nobilium ædes
Cloosters. Monasteria
Buertschappen. Vici
Water-molens.
Wint-molens. Molendina
Forten. Fortalitia
Geruineerde Sloten.
2. Horæ itineris.
Scale van twee Uren Gaens.

qui fuerit fortè, cujus in Itinerario ſuo meminit Antoninus, *Sablones* ſive *Sabulones* Latinè dicti, ut ariolantur nonnulli.

Wachtendonca.

Ab eo *Wachtendonckium* milliari & ſemi diſtat, Nyrſæque fluento appoſitum, duobus à Gelra milliaribus removetur. Hujus præfectura, vulgò *het Droſt-ampt van Wachtendonck*, habetur inter præfecturas urbanas, quarum alibi meminimus.

Erckelenſa.

Huic proxima eſt *Ecrkelenſa*, cujus præfectura dicitur *de Voochdye van Erckelens*. Hæc eſſe Herculis caſtra, Ammiano Marcellino & aliis celebrata, plures conjectant; quamvis alii ad Arckelam trahant, inter Vahalim & Leccam Lingamque fluvios, ſed perperam. Circumcincta autem eſt Erckelenſium civitas Ducatu Iuliacenſi, ſed juris Gelrici: ſicuti & *Neoſtadium*, quod inter urbes hujus tractus etiam ponitur. Alibi inter præfecturas, ejuſdem tetrarchiæ, paganas *Keſſelanam* recenſuimus. Qui pagus hodie inſignis eſt, Ruremondâ diſtans uno circiter lapide, arcem habens egregiè munitam. Olim oppidum, aut clari nominis municipium fuiſſe ex eo liquet, quod Ptolemæus *Caſtellum* appellet *Menapiorum*. Hodie Moſæ adſitum eſt, ubi & Ammianus agnoviſſe videtur, oppidum nominans verbis iſtis: *Iulianus, retento milite, circumvallare diſpoſuit Caſtellum oppidum, quod Moſa fluvius præterlambit:* Hujus præfectura hodie dicitur *het Droſtampt van Keſſel*.

Neoſtadium.

Keſſel.

Echterwalt ſilva.

Eſt præterea in ſuperiori hoc tractu ſilva amœniſſima, quæ vulgò *Echterwalt* dicitur: alii eam minus accuratè ad tetrarchiam Arnhemienſem referunt. Ita verò appellata eſt ab arce & pago principali *Echt*, qui ſpectat ad præfecturam Montfortiam: cujus etiam obiter in diviſione totius Ducatus ſuperius mentionem injecimus. Arcem, quæ eſt Montfortiæ, primus condi fecit Othonis III, Gelriæ Comitis, frater Henricus, Leodienſium Præſul, circa annum 1251: ſed anno demum 1267 ad colophonem eſt perducta, comportatis eo ruderibus munimenti Vicenſis, quod idem *Henricus* bello adverſus Brabantos intra Trajectum Moſæ everſum ſolo æquaverat. Et ſunt in hoc tractu adhuc duæ paganæ præfecturæ, *Krieckenbekia & Middelaria.* Eſſe autem *Middelariam*, quam vocat Antonini Itinerarium *Medidacum*, vocis ſonus & loci ſitus arguunt; quamvis alii, & in his Cluverius, nullo certo indicio, ad *Sualem* Gelriæ vicum retulerit. Sunt poſtremò loca hîc aliquot, quibus proprii & ſui ſunt Dynaſtæ: Quorum alia ad dextram, alia ad ſiniſtram Moſæ ſunt ſita. Fuit & arx hîc prævalida, cujus in hiſtoria mentio, *Puderoyen* nuncupata.

Montfortia.

Krieckenbekia & Middelaria.



FOS-

FOSSA S. MARIÆ,
Quæ &
EVGENIANA
dicta, Rhenum Moſamque inter duci cœpta anno 1628.

Stupendæ aliquot veterum effoſſiones.



Nter miranda ac ſtupenda Veterum opera, maxime efferri ſolent, Athos mons, factus à Xerxe navigabilis: Iſthmus Peloponneſiacus à multis perfodi cœptus, nec abſolutus: Alpes ab Hannibale aceto diviſæ; Lucrinus lacus undecim annis à triginta hominum millibus exſiccatus: Luculliana villa, in quam exciſo monte Euripus admittebatur. In Belgio hoc noſtro magni atque immenſi operis Foſſas olim duxere Romani. En Foſſam Druſianam, quæ autore Druſo Germanico Rhenum cum Nabalia, jam Iſala dicitur, commiſit, paſſibus X mille, à pago Iſeloort, Dusburgum uſque. En alteram illam Corbulonis, quam inter Rhenum Moſamque ſpatio XXIII M. P. uti eſt apud Tacitum Annal. 2, produxit, qua incerta Oceani vitarentur. Celebris quoque eſt foſſa Civilis, in quam Rhenum effudit, uti hac ratione duplex vallum, ſive duplicem foſſam adverſus Galliæ continentem, unde Romanorum vim atque arma metuebat, haberet, & Vahalim ſcilicet, hunc novum Rheni alveum. At hoc noſtro tempore ſimile quiddam molita fuit Archidux Iſabella, quæ ingenti ſpatio foſſam ducere aggreſſa eſt, ut Moſam cum Rheno committeret, idque eo loco ubi Rhenus adhuc unus eſt, Venloam ac Berckam inter, per Gelriæ & Colonienſis Territorii agros. Et ſpes erat, ſi hactenus bene procederet negotium, eam ipſam foſſam è Moſa in Demeram, & ex hoc in Scaldim uſque ducendi, ut ferrum, æs, ligna, & quæ alia Germanicum fert ſolum, Batavorum commodis intercepta in Brabantiam navigarent. Eadem limes interjiciebatur, ne Batavorum eques, ut antehac ſæpe, Belgarum extrema quateret, quin & Germaniæ agros cis Rhenum ſitos in pabulum prædamque verteret. Admonuerat & Mansfeldii tranſitus, qui Bergarum ad Zomam obſidium interciſis jam commeatibus grave, nondum tamen ut deſperaretur, abrumpere coëgerat: ac non ita dudum paria conſilia apud Gallos & Britannos ſermonibus jactata, præcludendum externis ad hoſtem auxiliis ſaltem terreſtre iter. Nam quod rumores addiderant, poſſe ex Rheno, ubi nondum bicornis eſt, aquas in Moſam deduci, ac ſic flumina in quæ ille ſe dividit, præcipua Batavorum munimenta, vadis pervia fieri, ſitus locorum mire inæqualis adeo refellit, ut ad implendam foſſam aqua ex Nirſia paulum abſito amne, & quicquid circum humeſcit, colligi, tribuſque ſeptis retineri adverſus ſiccitatem debuerit.

In Belgio. *Foſſa Eugeniana.* *Locus. Finis.*

Operi tanto ſe accingere cœpere Hiſpanienſes 21 Sept. anno MDCXXVI, ducta foſſa quatuordecim pedes lata, & pari altitudine, longa milliaria horaria decem. Ad tutelam vero & ſecuritatem operantium exſtructa caſtella minora XXIV, præter alios receptus, minoriſque molis turres. Et quidem Comes Herenbergenſis omnium primus nomine potentiſſimi Hiſpaniarum Regis, ut & Sereniſſimæ Belgarum Principis Iſabellæ, & Marchionis Spinolæ, ter pala terram egeſſit, maximiſque cœptis præluſit, cui ordine ſucceſſit Comes Iſenburgicus, & reliqui poſt copiarum præfecti, militumque gregariorum turba. Fœderati, Princepſque Auranſiæ hoc maxime ſuæ curæ eſſe arbitrati, ut opus cœptum interpellarent, menſe Iunio anni ſequentis convocato ex limitaneis locis, Arnhemo puto, Dusburgo, Zutphania, Daventria, Swolla, Gravia, Heuſda, Gertrudisbergia, Bergopzomio, equite, nec non quadringentis & ultra ſclopetariis, legiones aliquot in agro Neomagenſi coëgerunt ſub moderamine Stakenbroeckii. Quæ commeatu aliquot dierum inſtructæ, & tormentis minoribus quatuor, non ſegni itinere Foſſæ locum petiere, alteroque inſultu Caſtellum majus occupaverunt, trucidatis quadraginta, captiſque centum præſidiariis militibus, dirutis hic illic cataractis, molis aquariis, ſubverſiſque aggeribus, exuſtis lignis, ſtipitibuſque ad opus illud neceſſariis, abducentes quoque tormentum æneum Mansfeldio ab hoſte ereptum, quin & ſubrutis aliquot receptuum caſtellis, domum reverſæ ſunt, contentæ documentum dediſſe infeliciter ab hoſte cœpti moliminis. Nec tamen hac rerum ſuarum calamitate & minus felicibus auſpiciis deterriti Hiſpanienſes ab opere deſtitere, verum novis animis redintegrarunt opus, cui jam foſſorum tria millia aut amplius adhibebantur. Quare Ordines affixo paſſim per agros Gelriæ edicto ſumma incommoda denunciarunt, quotquot operam ſuam ad iſtam rem conferrent, militumque arbitrio operantes omnes permiſerunt. Quas minas veluti terriculamenta nihil illi morati perrexere. Sub finem menſis Iunii eo venere luſtratum operas ipſa Archidux Iſa-

Initia operis ab Ordinibus aliquoties turbata.

FOSSA SANCTÆ MARIÆ,
quæ et EVGENIANA dicitur Vulgo De Nieuwe Grift.

CLIVIÆ DVCATVS

GELDRIÆ PARS

TERRA COLONIENSIS

COLONIENSIS DIŒCESIS PARS.

Comitatus Moers.

VETERA Romanis, nunc Santen

RHENVS FLVVIVS

VESALIA v. Wesel

LVPPIA FL.

MOSA FLVVIVS

Campi Walbecensis vulgo Heyde van Walbeeck

Campi Venloenses vulgo de Heyde van Venlo

De Geldersche Heyde

De Bunnickhaltse Heyde

De Voogdye

Straelen

Kempen

Geldra Geld.

Rhynberck

MOSA.

Quid miscere Deos, foßor, conaris et amnes?
Mutua se spectant brachia, non coëunt.

RHENVS.

Tabula haec 143000.ma pars est veræ magnitudinis terræ hic dimensæ, omnesq; et singulæ distantiæ totidem spatijs reapse longiores sunt quam repraesentantur.

Milliare Germanicum, cuiusmodi quindecim gradum conficiunt.

Iter Horæ.

Mille mensuræ Singulæ viginti pedum.

100 200 300 400 500 600 700 800 900 1000

Palma sive quarta pars pedis Geometrici, quo opus hoc dimensum est.

EXPLICATIO NVMERORVM.

1 *Statio Comitis Henrici vanden Berge.*
2 *Statio Marchionis S. Angel.*
3 *Statio equitum Cratz.*
4 *Statio Commißarij General.*
5 *Turmæ Sylvæ-Ducenses.*
6 *Statio Palatinorum.*
▣ *Receptus vulgo Redout.*

FOSSA hæc a Rheno ad Mosam duci cœpta est Anno CIↃ IↃC XXVII.
Auspiciis Sereniſsimæ Principis
ISABELLÆ, CLARÆ, EVGENIÆ,
Hispaniarum Infantis
Belgicæ Gubernatricis.

Excudit Guilj. Janßonius Blaeuw.

bella, Cardinalis de Queva, & Marchio Spinola, comitantibus equitum turmis triginta & sclopetariis bis mille. Mense Augusto centurio Wolfius collectis hinc inde sclopetariis mille impetum fecit in Castellum regium, & interfectis quotquot se dedere nollent, injectoque in tuguria fossorum igne, abductis captivis quadraginta, & tormentis bellicis duobus, altera jam vice triumphabundi abiere. Intermissis aliquamdiu operis, iterum easdem repetere cœperunt Berckam Gelramque inter, mense Ianuario, anno 1628. Iamque eo perducta erat Fossa, ut aliquem sui usum promittere videretur. Quamobrem tertio turbatus labor ab incursante Ordinum equitatu. Ex eo, & præcipue post captam Vesaliam & in ulteriore Rheni ripa Burichium, cum nostrorum excursionibus pateret Fossa, intermissus labor, irritusque magna molientium conatus in fumum abiit, ut jam & hic Belgæ Isthmum perfodere voluisse veteri proverbio dici possint. Dicta autem fossa ista fuit Eugeniana, quia Isabellæ Eugeniæ auspiciis res cœpta. Et ne Numen abesset grandi incepto, appellata alio nomine Fossa S. Mariæ.

Vrbes Fossam terminantes. Cum autem Fossa hæc tres urbes exhibeat sibi vicinas, quarum duæ illam terminant, Berka & Venloa, una media est Geldra, non abs re fuerit pauca de iis dixisse.

Berka. *Berka* in ripa Rheni Gallica sita est, oppidum non magnitudine sua, sed belli studiis clarum: Dum enim modo Hispanis, modo Ordinibus Fœderatis parere cogitur, & exercitus obsidionemque utriusque partis perfert, fama belli Belgici passim inclaruit.

Gelria. *Gelria* mediocre quoque, sed valide satis munitum oppidum, universo Ducatui nomen fecit. Distat Strala leucis duabus minoribus. Hinc oriundus fuit Gerardus Matthisius vir doctrina clarissimus, ac magnus Aristotelicus; fuit indidem & Guilielmus Veldius, ordinis D. Augustini, eruditus ac venerabilis vir, ut ex variis ejus scriptis hodieque extantibus constat, quem tamen Trithemius vult fuisse Venloniensem.

Venlona. *Venlona* sita est ad dexteram ripam Mosæ, & Strala sesqui leuca tantum abjuncta, oppidum adversus bellicos insultus probe munitum. In hoc, anno 1543, dedidit se Carolo V, Imperatori Cliviæ & Iuliaci Dux Ioannes Guilielmus, subsecuta inter utrumque pactione. Anno 1632 in potestatem Ordinum Fœderatorum venit, ductu Frederici Henrici Arausionensium Principis, &c. sed obsidione recepit Cardinalis Ferdinandus 1637.

Vrbes vicinæ. Nec longe à Fossa occurrunt *Strala & Wachtendoncka.* Hæc à nostris aliquando stratagemate capta, jam denuo juris Hispaniensis. Imminet fluvio Niersiæ, vulgo de *Niers.* Etiam *Meursa* occurrit, Comitatus titulo insignitum oppidum, munimine maxime clarum. Vixit hic per annos triginta & ultra virgo celebris, Eva Vliegh dicta, quæ tot annorum inediam credebatur tulisse & absque nutritione vitam incolumis, licet macilentior, traxisse. Verum cum morbo longiore lectulo esset affixa, jamque cibum poscere, nec egesta abscondere posset, deprehensum, illam hactenus non solum patriæ suæ civibus, Comitibusque Meursiæ, verum etiam toti orbi imposuisse, cui jam persuasum erat, miraculo rem tantam accidisse. In carcerem compacta à Magistratu fuit, moxque iterum dimissa, quod muliebris fraus ac impostura venia digna judicaretur. Vrbis Comitatusque Dominium jam ad Nassovios spectat, at quidem inpræsentiarum ad Guilielmum Henricum, Principem Auriacum.

CAME-

CAMERACVM ET CAMERACESIVM.

Qualitas.



Ameracesium quamvis arctis limitibus inclusum, nihilominus inter meliores & fertiliores Belgii Provincias haud postremum locum sibi vindicat: quibusdam enim in locis in colles vineis consertos assurgit, alibi pascua gratum armentis præbent pabulum: hic sylvæ feris scatent; illic solum mira fertilitate frumentum, & præcipue linum optimum producit, ex quo incolæ carbasa Cameracensia per totum orbem decantata, magno cum lucro conficiunt, atque distrahunt. Nec deficiunt latomiæ unde lapides candidissimi, ornandis ædificiis templisque aptissimi, vulgo *Pierres d'Avesnes* dicti, eruuntur; nec minorem lapidum griseorum copiam ædificiis domibusve exstruendis benignum elargitur solum. *Termini.* Terminatur ditio hæc à Meridie Picardia, ab Occidente Artesia, à Septentrione Gallo-Flandria, & ab Oriente Hannonia. Fluviis rigatur Scaldi, Scaldiola, & Sella. *Nomen.* Nomen vero à Cameraco Metropoli sua consequuta est.

Cameracum urbs. Cameracum Galliæ Belgicæ inter Sequanam & Rhenum urbs, arce & mœniorum ambitu adeo munita est, ut una ex primariis istius Provinciæ urbibus habeatur. Ad quam magnificentiam priusquam nostris temporibus excresceret, maximas difficultates, & varios fortunæ casus experta fuit. Et id quidem ea occasione, quod nobilissimæ Belgarum Provinciæ, multis retro seculis, semper in summo precio sint habitæ: eaque de causa Principes, Reges, populique plurimi de earum principatu & dominio obtinendo, summis conatibus contenderunt. Situs etiam opportunitas Gallum illexit, ut huic potissimum insidiaretur. *An Cameracum sit Cæsaris Samarobrina.* Vetus Samarobrina putatur, ubi Cæsar totius Romani exercitus nervum, obsides civitatum, literasque publicas, frumenta & res cariores, tanquam in firmo tutoque loco collocare solebat. Goropius Becanus, in artificiosis conjecturis, quas in suis Originum libris explicat, communi multorum sententiæ, ut solet, reluctatur, existimantium Cameracum esse Cæsaris & veterum Samarobrinam, cum à Bellovaco plus, quam triplo amplius absit, quam viginti millibus passuum. Hactenus sane Bellovacum, viginti quinque, id est totidem millibus passuum, quot Cæsar annotavit, ab Ambiano est remotum, ita ut nihil dubitem (ait Becanus) Ambianum Samarobrinam Ambianorum esse. Qui contrariam opinionem defendunt, non ineptum sententiæ suæ defensorem Hubertum Leodium allegant. Quoniam (inquit ille) audiam quam plurimos, de Samarobrina, subdubitare & vereri, ne non sit Imperialis illa, & vere amœna civitas, quam Cameracum hodie dicunt, errare eos vehementer, & nullum aliud oppidum esse confirmandum est. Primum non me movet Ptolemæus, qui Samarobrinam civitatem Ambianorum facit: nam etsi civitas Ambianorum Samarobrina fuerit, non propterea sequitur, Samarobrinam esse Ambianum oppidum, Gallice Amiens. Potuerunt enim Ambiani alia quoque habuisse oppida, quorum Ptolemæus non meminerit, nihilominus tamen Ambiani, id est, *Amiens*, non usque adeo tum magnum oppidum, uti nunc est, ut veteres muri docent. Sic etiam idem Ptolemæus civitatem Rhemorum Durocotorum, & Cæsaromagum Bellovacorum appellat. Cum ea tempestate & Rhemi & Bellovaci, sicut hodie, oppida erant & gentis caput. Item, Suessones, & gentis & oppidi nomen est. Habuerunt autem sub se Suessiones duodecim oppida, ut libro secundo scribit Cæsar, quorum Bibrax unum, hodie *Braine*, quatuor mill. Gallicis à Suessonibus, Comitatus titulo decoratum; & item Noviodunum, *Noyon*. Bellovacorum vero Bratuspantium erat oppidum. Quare nihil agunt, qui Samarobrinam Ambianos esse putant. Cum autem Cæsar esset Samarobrinæ, id est, Cameraci, ut nunc vocant, & certior esset factus de oppugnatione castrorum Ciceronis in Nerviis, misit nuncium statim in Bellovacos ad M. Crassum, cujus hyberna aberant ab eo millia passuum viginti quinque. Vbi notandum, Bellovacorum urbem paulo amplius distare à Samarobrina, sed hyberna Crassi, non in ipsa urbe Bellovacorum, sed in eorum finibus aliqua parte fuisse, ita, ut dimensio non obstet. Alterum nuncium etiam in Æssuos ad C. Fabium misit, ut in Attrebatium fines legionem adduceret, quà sibi iter faciendum sciebat. Erant Æssui, qui circa oppidum Aet habitant, quod superiores Germani Aes vocant. Fabius autem ut imperatum erat, non ita multum moratus in itinere, cum legione occurrit, quod omnino faciendum ex Æssuis in Attrebates ire volenti. Ad Labienum item ut veniret in fines Nerviorum scripserat, si reipublicæ causa & commodo facere posset. M. Crassum Samarobrinæ præfecit. Post liberatum Ciceronem legiones circa Samarobrinam retinuit. Et profecto commodiorem locum habere non poterat. Neque enim putet quisquam urbem Cameracensem novam esse, aut intra paucos annos in tantam amplitudinem excrevisse. Est certe nobilis illa Samarobrina, de qua ad Trebatium scribit Cicero: Vna collocutio nostra pluris erit, quam omnes Samarobrinæ. Et in

ARCHIEPISCOPATVS CAMERACENSIS.

Archevesché de CAMBRAY.

Illustrissimo ac Reverendissimo
Domino
D. FRANCISCO VANDER BVRGH
Archiepiscopo ac Duci Cameracensi,
Comiti Cameracesii, etc. Principi
Sacri Romani Imperii
Tabulam hanc D.D.D
Johannes Blaeu.

Notarum Explicatio.
F. Franciæ
H. Hannoniæ
C. Cambresii
A. Artesiæ
} denotat.

AMSTERDAMI
Apud Guiljelmum Blaeuw.

Milliaria Gallica
Milliaria Germanica

FLANDRIÆ PARS
HANNONIÆ PARS
ARTESIÆ PARS
CAMBRESIS
PICARDIÆ PARS

Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens

in alia Epistola : O præclara castra ! quid tu fecisses, si te Tarentum,& non Samarobrinam misissem. Et quodnam amplius dubium esse poterit, quum nomen ipsum indicet, quod quærimus. *Cambray* Galli, Itali vero *Samberey* dicunt ; vide quam facile Samarobrinam inde fecerint. Si ex Amiens faciunt Ambianos, ex Beauvais Bellovacos , quid vetat , ex Samberey Samarobrinam fieri ?

Situs.

Est autem situm Cameracum sub longitudinis quidem grad. 21, min. 16. latitudinis vero grad. 50.min.18,ad Scaldim flumen,quod mediam fere urbem interluit. Distat Valentianis septem leucarum intervallo.Ædificia publica privataque habet egregia,templa & monasteria ad miraculum pulcra. Sed inter omnia eminet antiquissimum illud & sumptuosissimum templum Deiparæ Virginis, Archiepiscopali sede præcellens,cujus quidem amplissima Diœcesis longe lateque extenditur. Civitas opulenta,potens,& negotiatoribus,merciumque varii generis opificibus frequentissima. Conficiuntur hic quotannis sexaginta ut minimùm tenuissimi carbasi millia , quorum telæ singulæ quadragenis fere florenis æstimantur; sic ut vicies quater centena millia florenorum excurrat ratio.

Diœcesis late patet.

Cameraco subest Castellania , cum amplissimo territorio , quod vulgariter *Cambresis,* Latine scribentibus Cameracesium dicitur , ubi complures sunt pagi , & magni momenti loca , nominatim vero sexta ab urbe leuca celebratissimum illud castrum Cameracesiense, in quo pax inita inter Christianos Principes. Oriundus est ex hac arce Michael Esnæus , Dominus Betencurtius, vir natalibus clarus, & literis,præsertim Poëticis. Gaudet vero Cameracum perantiquo Episcopatu, ut quem inde à Vandalorum temporibus administratum comperimus à Diogene martyre,præsule omni virtutum genere ornatissimo.Anno deinde 595 tenuit eum Beatus Gaugericus,magnus ille & venerandus antistes,ordine quintus,quem & alii aliquot præstantissimi viri in hoc tanto dignitatis gradu secuti sunt,qualis præsertim Petrus Aliacensis, præsul longe doctissimus , qui ob raras virtutes Lutetiæ primum factus est ejus Ecclesiæ Cancellarius. Hinc ad urbis hujus Episcopatum, atque inde porro ad Cardinalitiam dignitatem ascendit. Archiepiscopatum fecit Pontifex petente Philippo II Hispaniarum rege , in gratiam Maximiliani Bergensis , primi Archiepiscopi. Sunt autem Archiepiscopi temporales simul & Ecclesiastici urbis & territorii Cameracensis Domini , sic ut in titulis se nuncupent , Archiepiscopos & Duces Cameracenses , Principes Sacri Romani Imperii , Comites Cameracesii. Post cædem S. Diogenis Episcopi , fidemque Christianam à Wandalis , Alanis aliisque Barbaris fere conculcatam , primus Cameracensi Ecclesiæ præfectus à S. Remigio Episcopus fuit S. Vedastus, qui Ecclesiam D. Petri nunc S. Auberti primorum Episcoporum sedem restituit , Canonicosque sæculares inibi instituit circa annum 530. Hunc ordine sequuti sunt, S.Dominicus, S.Vedulphus, S. Gery circa annum 594. S. Bertholdus , 633. S.Adelbertus. S. Albertus, qui obiit 675. S. Vindicianus obiit 712. Hildebertus, 715. Hunaldus, 717. S. Hadulphus, 719. Turon vel Trawardus, 752. Gothofredus, 770. Albericus, 790. Hildoardus, 816. Alicarius , 830. S. Theodoricus, 863. S. Iohannes, 878. S. Rotardus, 886. Dodilo Guinensis , 895. Stephanus Elsatius , 921. Fulbertus Ducis Brabantiæ filius. Berengarius. Engeramus Oisyacus , 960. Ausbertus , 964. Wibaldus Lievinius è Crepacorii Dynastis oriundus , 968. Thiedon Veromanduensis, 976. Rotardus, 994. Herluinus I. Cameracesii Comes ; obiit anno 1011. Gerardus Ligniacus, 1049. S. Liebertus , 1076.Gerardus de Ponthieu,1092.Post ejus mortem Atrebatenses ab Vrbano II Episcopum peculiarem obtinuerunt. Gerardo successit Manasses , huic Gualterius , anno 1097 ; Odardus Ruscinonensis anno 1113.Burchardus du Roeux. Nicolaus Claret , 1167. Petrus Sabaudus ; Robertus Flandriæ Cancellarius , 1171. Alardus Coucyacus , 1178. Rogerius de Wavrin ; obiit anno 1191. Iohannes, 1193. Nicolaus Lentiensis. Hugo , 1196. Petrus Corbiensis ; obiit Archiepiscopus Senonensis anno 1222 ; ei successerat in Episcopatu Cameracensi Iohannes Bethuniensis anno 1203. Gothefredus Fontensis à Condato dictus 1234. Guido Laudunensis. Nicolaus Fontensis ; obiit 1275. Engueramus Cressiacus. Guillelmus Hannoniensis , obiit in peregrinatione Hyerosolimæ, 1296. Guido de Colomeda , Italus. Philippus Marigniacus , Iohannis Archiepiscopi Rothomagensis frater , obiit Archiepiscopus Senonensis 1325. Petrus de Mirepoix obiit Episcopus Badasocensis circa annum 1334. Guido Bononiensis, (Roberti Comitis Bononiensis & Averniæ , & Mariæ Flandriensis filius) obiit Cardinalis & Archiepiscopus Lugdunensis anno 1373. Gulielmus Aussonensis , filius Iohannis Comitis Avennensis , fundator Collegii Cameracensis sive regii Parisiis , obiit Episcopus Authunensis ; Guido de Ventadour , moritur Episcopus Vibiensis anno 1351. Iohannes Aussonensis frater Comitis Hannoniæ.Petrus Andreas, obiit anno 1368. Robertus Genevensis,qui postmodum ad supremi Pontificatus dignitatem evectus,Clementis VII nomen assumsit. Gerardus Dainvillæus obiit 1378. Iohannes Cerclais 1389. Andreas Lucemburgicus (B. Petri, Cardinalis & Metensium Episcopi frater) obiit 1396. Petrus d'Ally, Cardinalis & Magnus Franciæ Eleemosynarius , flagellum Hæreticorum , & Gallorum aquila nominatus, moritur anno 1425 : Iohannes de Gavre , 1438. Iohannes Burgundus filius nothus Iohannis Burgundiæ Ducis,obiit anno 1479. Henricus Bergensis,Ordinis Equitum Aurei Velleris Cancellarius , obiit anno 1502. Iacobus Croïacus , primus ab Imperatore Maximiliano Cameraci Dux creatus est,obiit anno 1512. Guillelmus Croïacus. Robertus Croïacus , frater præcedentis,obiit anno 1556. Maximilianus Bergensis ad instantiam Philippi II , Hispaniarum Regis , primus Cameraci Archiepiscopus renuntiatus est anno 1562 , obiit anno 1570. Ludovicus Berlaymontius obiit 1596. Iohannes Sarrazinus (primùm Abbas S. Vedasti Atrebatensis,) 1598. Guillelmus Bergensis, primum Episcopus Antverpiensis , obiit anno 1609. Franciscus Richardot,primum Episcopus Atrebatensis,eodem electionis suæ anno supremum clausit diem.

Archiepiscopatus.

Episcoporum Series.


Archiepiscopi.

Fran-

Franciscus Buisseret Episcopus Namurcensis, obiit Archiepiscopus Cameracensis anno 1615. Henricus Franciscus vander Burgh primus Episcopus Gandensis obiit anno 164.. Iosephus de Bergagne, Legatus S. Catholicæ Majestatis Monasterii ad Pacis tractatus, obiit 1651; Gaspar Nemius extincto Bergagnio ex Antverpiensi Episcopo ad Cameracenses infulas promotus est anno 1652.

Domini. Fuit hoc omnium Galliæ Belgicæ oppidorum primum, quod, exercitu eo traducto, occupavit anno 445 Clodius Capillatus, Francorum Princeps, longo tempore postquam illud exussissent Dani, una cum templo & monasterio Divi Gaugerici. Instauratum coaluit cum Comitatu Hanoniæ, sed avulsum hinc rursus una cum suo statu ac territorio Cameracesii, liberisque Imperii urbibus accensitum ab Imperatoribus Germanis. Expugnatum etiam fuit à fortissimo illo Balduino Pio, Comite Flandriæ, bello, quod ipse & Lotharingiæ Dux Godefridus gessere cum Imperatore Henrico Tertio: sed Cæsari, pace facta, restitutum. Tandem vero ab Imperatore Henrico Quinto in tutelam hæreditariam attributum Roberto Hierosolymitano, Comiti Flandriæ, Principique Alostano, primo hujus Dominii protectori; quam dignitatem propriam postea fecit Comitibus Flandriæ, Theodori Elsatii tempore, id est anno circiter 1146, Imperator Fredericus, ejus nominis Primus. Quibus omnibus non obstantibus, vindicarunt sibi perpetuo Galli nescio quodnam jus & imperium in hunc ipsum Statum, quem & pluries occuparunt, & fortissime sæpe defenderunt, præsertim regnante Philippo Sexto, cujus tempore premebatur Cameracum duobus potentissimis exercitibus, altero Ludovici Bavari Imperatoris, altero vero Eduardi Tertii, Regis Anglorum: qui etsi adversus Gallos confœderati, urbem tamen subigere nequierunt. Durarunt hæc inter Imperatores & Gallos bella, variis ultro citroque successibus, per continuas aliquot ætates. Olim vero dissidentibus inter se & asperrima bella gerentibus Maximiliano Romanorum, & Ludovico Vndecimo Galliarum regibus, cives Cameracenses male à Gallis habiti, præsidiarium Galli militem urbe expulerunt, admissis in ejus locum Cæsarianis, quod exemplum secuti sunt Bochanienses. Quin & Quercetum id temporis, aliaque finitima loca, editis passim egregiis fortitudinis suæ documentis, Cæsar Gallis eripuit. Vivebant autem, quamvis sub Flandrorum essent tutela ac protectione, Cameracenses, juxta veteres suas leges & privilegia, neque per bella inter Burgundos & Gallos quidquam patiebantur incommodi, sed adibantur potius ab utrisque, & comiter amiceque tractabantur. Ita ut sæpius in hac urbe actum inter utrosque fuerit, & peractum de pace, nominatim vero de illa, quæ Venetorum damno inita fuit anno 1508, deque altera anno 1526 Florentinorum malo stabilita. Verum Carolus Quintus male metuens sibi à consiliis Gallorum, Landrecæi ab ipsis anno 1543 habitis, statim ut ii discesserant, cum exercitus parte urbem intravit, & quo tutam præstaret ab omni hostili insultu, ditionesque Belgicas roboraret, exstrui jussit arcem munitissimam, ipsa urbe ceteroqui intacta, neque pristino illius statu ullatenus immutato. Obortis in Belgio bellis civilibus eam occupavit Dux Alenzonius. Sed non diu post ad Dominum suum rediit Hispaniarum regem.





GELDRIA HOLLANDIA



BELGICA FOEDERATA,



QVÆ EST



EVROPÆ

LIBER DECIMVS.




ZVTPHANIA. WESTFRISIA.

TRANSISALANIA. TRAIECTVM. ZEELANDIA. FRISIA. GRONINGA & OMLANDIÆ.



BELGICA FOEDERATA.



Elgica quæ à fœdere Trajectino Fœderata passim dicitur; & quandoque libera, quod sibi armis libertatem asseruerit, septem Regiones complectitur, Geldriam cum Zutphaniâ, Hollandiam, Zelandiam, Trajectum, Frisiam, Transisalaniam & Groningam cum Omlandiis; numero Hispanicis ditionibus impares; sed opibus, potentia & situs mercimoniorumque opportunitate longe superiores. Hasce cum mihi describendas assumserim, antequam ad singularum delineationes transeam, breviter Reipublicæ per totum Orbem celeberrimæ, Ordinem & regimen ob oculos ponere institui; non ingratum fore lectoribus existimans, leges & instituta cognoscere, quibus nixa ad tantum dignitatis potentiæque apicem ascenderit: Geographicis, & quæ de singularum opibus, & regimine prædicanda sunt, ad particulares descriptiones reservatis. Belli quoque occasiones, progressum, finem libens prætereo, cum in eo describendo viri doctissimi omnium fere nationum & linguarum desudaverint. Cum itaque Belgis decretum esset Rubiconem transilire, belloque pro immunitatibus suisque privilegiis, ipsisque aris & focis decertare; Gelri & Zutphanienses populi cum Hollandis, Zelandis, Vltrajectinis, Frisiis, iisque finitimis inter Amasim & Lavicam fluvios Groninga & Omlandis, arcto fœderis vinculo sese invicem obstringere decreverunt: In eum ergo finem dictarum Regionum Ordines, & ex urbibus nonnullis vicinarum ditionum Legati, Vltrajecti anno 1579 convenerunt, fœdusque illud famosissimum, quod à loco Vltrajectinum dicitur, certis legibus firmatum sanciverunt, ut hostium dissociandi, distrahendique regiones unitas conatus illuderent; ac melius, quoscumque libertatem earum oppugnantes junctis viribus repellerent. Fœderis capita & articuli hi sunt.

I. *Geldria, Hollandia, & cæteræ ditiones æterno fœdere ita sibi invicem illigantor, ac si una omnium ditio foret: A Fœderatis sive testamento, sive codicillis, sive donationibus, sive cessionibus, venditionibus, contractibus, pactis, matrimoniis Principum, aut aliâ aliquâ ratione æternum non divelluntor.*

II. *Singularia tantum privilegia, singularesque libertates, immunitates, jura, statuta, consuetudines à Majoribus accepta, cuncta integra & illibata singulæ ditiones sibi conservanto, in iis conservandis tuendisque aliæ alias quavis ope adversus quosvis juvanto: Sin autem harum rerum causa controversiæ quædam litesque inter has & istas ditiones exortæ sint, aut exoriantur, eæ ordinaria Iudicum sententia, vel quorundam arbitrio, aut amico contractu deciduntor, sopiuntor: Quamdiu decisæ illæ aut sopitæ non fuerint, nulla ditio alteri ditioni noxam aut damnum inferat.*

III. *Eædem ditiones invicem sese adversus quamvis vim ab Hispanis, aut eorum nomine ab aliis inferendam bonis ac sanguinis impensis juvare tenentor. Quicquid singulis ditionibus evenerit, omnes ad se pertinere arbitrentor.*

IV. *Eædem ditiones adversus quoscumque, sive indigenas sive exteros Principes Dominosve, hostilia quocumque tandem nomine, & ob singulares controversias, singulasque tantum ditiones spectantes, inferentes, invicem se optima fide defendere constrictæ sunto, iis copiis tantisque opibus, quantæ plurium Fœderatorum consensu requiri videbuntur.*

V. *Quo eædem ditiones, urbes & membra hujus fœderis adversus vim omnem & irruptiones hostium tutiores sint, limitaneæ civitates, aliæque, ubi id consultum videbitur, communibus opibus, ex communi Fœderatorum arbitrio & consensu muniuntor, sumtusque in eam rem sufficiunto singulares illæ ditiones, quarum urbes arcesque muniendæ videbuntur. Sin verò consultum videbitur novas arces, novaque militiæ opera alia exstruere, aut vetera demoliri, eorumve formam mutare, omnes fœderatæ ditiones pariter impensas præstanto.*

VI. *Quò autem opes idoneæ præfatis aliisque belli sumptibus sufficiant, ad earundem ditionum defensionem, in singulis eadem formâ, iisdemque legibus vectigalia cujusvis vini, cerevisiæ, frumenti, salis, panni, serici, majorum jumentorum, consitorum agrorum, pascuorum, mercium in publicis libris expendendarum nomine, communi consilio & consensu exiguntor. Regalia, quæ ad Hispaniarum Regem, hactenus Ditionum harum Dominum pertinuere, si opus, in eundem usum convertuntor. Æs ex præfatis vectigalibus collectum, in usum & defensionem communis causæ tantum destinator. Eadem vectigalia, prout minor aut major necessitas flagitabit, ex communi consilio minuuntor aut augentor.*

VII. *Limitaneæ Civitates, quævis militum præsidia ex Fœderatorum jussu accipere & admittere tenentor, stipendia illis, communibus omnium sumptibus persolvuntor. Et quo earumdem Vrbium securitati magis provisum sit, præsidiarii illi milites, eorumque præfecti fidelitatis juramentum non modò generatim omnibus Fœderatis, sed etiam illarum Vrbium Magistratibus singulatim dicunto. Quò, ne oneri civibus iidem milites sint, disciplinæ militaris accuratissimæ quàm primum conduntor leges. Præsidiarius miles à vectigalibus solvendis immunis non esto. Civibus hospitii nomine, quod militibus præbituri sunt, certa pecuniæ summa ex fœderatorum ærario persolvitor.*

VIII. *Quotquot ætatis annum 18 attigere, & sexagesimum nondum emensi sunt, post exactum à condito hoc fœdere mensem unum in omnibus Fœderatorum ditionibus lustrantor, eorumque nomina & numerus Supremo Fœderatorum Consessui exhibentor; quemcumque autem illorum usum esse voluerint, Fœderati ex communi consensu statuunto.*

IX. *Non nisi ex communi omnium assensu, & omnibus pariter probantibus, nemine refragante, pax, bellum,*




Noord Zee

MARE GERMANICUM.

ZUYDER ZEE.

FLANDRIÆ PARS.

STICHT MUNSTER.



36

aut induciæ ineuntor, vectigalia, aut tributa indicuntor. Res cæteræ ad executionem & administrationem hujus fœderis spectantes, plurium inter Fœderatos suffragiis ineuntor, aguntor & executioni mandantor. Si tamen belli aut pacis, aliarumve majorum rerum nomine inter se convenire haud possint Fœderati, arbitrio, donec aliud statutum fuerit, Gubernatorum singularum ditionum res controversæ submittuntor: eorum arbitrium sequi fas omnes esto.

X. *Singulæ prædictarum ditionum confœderationem, ligam aut unionem cum vicinis aliisque exteris Principibus aut populis ineundi propriâ auctoritate, sine omnium Fœderatorum consensu potestatem non habento.*

XI. *Si qui vicini Principes, Domini aut populi huic etiam fœderi velint illigari, ad id ex communi consensu admittuntor.*

XII. *Eandem monetam probanto omnes, & eandem omnes improbanto. Quod monetariam rem spectat, de ea ex omnium consensu leges quàm primum promulgantor, easque omnes sequuntor.*

XIII. *Quod publicum Religionis exercitium permittendum, vel non permittendum iis, qui à Reformata diversi sunt, spectat, singulæ ditiones de eo pro arbitrio ex usu suo statuunto; interim libertatem Religionis conscientiæque cuivis indulgere omnes tenentor; neminem ejus causa persequuntor, aut negotium facessunto.*

XIV. *Si quæ, quod non faxit Deus, inter quasdam ex ditionibus fœderatis controversiæ extiterint, cæteræ ditiones, quas controversiæ illæ non spectabunt, pacis publicæ causa eas ex jure æquo & bono decidendi potestatem habento. Sin verò omnes generatim ditiones oblatæ controversiæ spectaverint, ditionum singularum Gubernatores, eodem, quo supra dictum est, modo sententiam pronuncianto.*

Decisio ejusmodi controversiarum ultra mensem non differatur; & quia interest hujus imprimis Reipublicæ, concordes inter se agere has ditiones, ac idcirco ejusmodi lites non trahi aut proferri post sententiam, sive ab aliis ditionibus, sive à Gubernatoribus latam, appellationi, exceptioni, revisioni, nullitati locus non esto.

XV. *Eædem ditiones, urbes & membra, ne exteris Principibus, populisve belli Fœderatis inferendi occasionem præbeant, ante omnia cavento. Idcirco cum exteris æquè ac indigenis ex jure æquo & bono, & eodem modo agunto. Si quæ ditio hanc legem infregerit, quovis pacto eam ad observationem ejus compellere, cæterorum Fœderatorum muneris, curæ ac potestatis esto.*

XVI. *Singularum ditionum Ordines aut Præfecti aliarum ditionum, quæ huic fœderi se dederunt, dabuntve, subditos ultroque citroque commeantes, aliis aut majoribus oneribus, quam cives domesticos, non premunto.*

XVII. *Quò autem communis Fœderatorum Reipublicæ administratio rectè instituatur, & consilia publica optime ineantur, omnium Fœderatorum nomine Plenipotentiarii quidam constituuntor. Illi statum diem & locum conventui Ordinum singularum ditionum indicunto. Gravamina sive capita, de quibus agendum erit, in tempore ad eos transmittunto: si quæ tamen ejusmodi sint, quæ hactenus tegi & clam haberi expediat, ipsis majoribus omnium Fœderatorum Comitiis & conventui servantor. Vocatæ & monitæ in hunc modum singulæ ditiones legatos suos idonea instructos authoritate, ad indictum diem & locum Comitiis, aut Conventui Fœderatorum omnium mittunto. In his Comitiis plurium sententiæ, paucorum suffragiis præferuntor, iis exceptis majoribus rebus, de quibus modo dictum est. Quod si ditiones quædam legatos suos idonea instructos authoritate ad indictum diem & locum mittere neglexerint, nihilominus reliquarum Legati, qui præsentes se sistent, quid agendum consulendumve videbitur, consulunto, decernunto, & decreta haud aliter, ac si omnes Comitiis interfuissent, mandanto. Sin verò res ejusmodi veniant in deliberationem, quæ moram pati posse videbuntur, iterum atque tertio Ordines ditionum, quarum Legati absfuerunt, monentor, & Legati evocantor; quibus vero integrum non erit ad ea Comitia Legatos suos amandare, scripto sententiam suam complecti, eamque transmittere liceto.*

XVIII. *Si quæ talia singularum ditionum Ordines cognoverint existimaverintque, de quibus omnium Fœderatorum consilia exquiri debeant ac expendi, eorum indicium Plenipotentiariis, quibus evocandorum Ordinum potestas est, faciunto: Plenipotentiarii autem eo nomine omnium fœderatorum Conventum indicunto.*

XIX. *Si de mente aut interpretatione harum legum controversiæ quid obortum sit, aut in ea obscurum, sententia plurium ex Fœderatis ipsarum legum sententia & mens censetor.*

XX. *Si novas vero leges addere, aut receptas mutare, vel augere pro occasione necessarium fuerit, de iis ex omnium suffragio & consensu statuunto.*

XXI. *Has leges omnes sancte observanto, in eam rem solenni juramento se obstringunto. Si quid in contrarium aut directe aut indirecte factum fuerit, nullum atque irritum censetor; eorumque qui contravenerint, & contravenire perstiterint, bona, urbes, arces, agros, cæteris invadere licitum & justum erit. Si denique beneficio juris quid his legibus adversum sit, præsertim illius, quo statuitur generalem renunciationem locum non habere, nisi specialis præcesserit, singuli Fœderati renuncianto.*

Hæ sunt illæ leges, quæ initium huic Reipublicæ fecere; ita hodie omnes accuratissime adhuc observantur, nisi quod articulum decimum tertium, continentem ea quæ religionem spectant, Generales Fœderati Belgii Ordines Anno 1583: ita determinarunt & immutarunt:

Quandoquidem articulorum quorundam amplificatio, deductio & mutatio Vnioni Vltrajectinæ concessa erat, cum provinciarum securitas & salus illam requirere viderentur: Ordines penitus decimum tertium articulum introspicientes, communi consensu statuerunt: nullam religionem aut ejusdem exercitium admittere in posterum, quàm quæ publicè in septem Fœderatis Provinciis docetur, nempe Reformata. Si tamen quædam provinciæ, membra aut urbes religionis Pontificiæ huic fœderi accedere vellent, iis religionis libertas integra servaretur: modo reliquis ejusdem fœderis articulis subscriberent.

Hoc modo, quas dixi gentes, in leges Trajectini fœderis sacramentum dixerunt, & in unum quodammodo Reipublicæ corpus coäluerunt. Vnaquæque tamen Ditio suo in districtu suprema, nullique obnoxia libertate fruitur; penesque Ordines cujusque, omnium quantivis momenti, quæ dicti fœderis lege, vel peculiari post Ditionum consensu ad communem omnium cognitionem delata non fuerunt; pro libitu libere, nulla cæterarum ditionum prævia cognitione seu consensu, constituendi ac decernendi unicuique earum est potestas; adeo ut in iis ipsis rebus, quæ in communi omnium ditionum consessu tractari solent, nullum uni earum in alterius vocem sententiamve jus competat, soloque sententiarum numero decernitur; quo facto nihilo-

hilominus unicuique earum liberum est, eâ ipsa de re, suo in districtu constituere, quod è re sua visum fuerit.

Ordines Generales.

Fœderis totius regimen est penes Ordines Generales, supremumque eorum Consessum; constat hic Delegatis septem Ditionum, qui cum liberis mandatis mittuntur ut supremæ curæ immineant; sed ubi quid gravius obvenit moraque dignum, suæ quisque patriæ Ordines consulere tenetur. Hic Consessus solus audit exterorum Principum legatos ad Fœderatos missos; & vicissim legatos ad exteros mittit; Bellum suis gerit auspiciis, & majoris momenti negotia militaria administrat; ideoque ei militare sacramentum dicitur: delegatos suos exercitus Ductori adjungit, sine quorum consilio nihil majoris momenti Duci aggredi fas est; cæteraque omnia procurat, quæ aut ex fœderis formula, aut per specialia mandata ei, tanquam omnes Ditiones simul referenti, specialiter sunt commissa. Titulo autem gaudent Ordines Generales Illustrium & Præpotentum, *Doorluchtige, Hooge ende Mogende*. Cæterum illud in primis notandum est, Ordines Generales, qui referunt Ordines earum Ditionum, à quibus delegati sunt, nihil statuere posse ultra ea, ad quæ peragenda mandata accepere; atque si forte nova quædam emergant negotia, novis ad ea mandatis ab iis, qui delegandi jure fruuntur, instrui debere; ideoque leges & edicta eorum nullam vim obtinent, nisi quatenus ipsis singularum Ditionum Ordinibus placuerint: atque hanc ob rem edicta hæc & leges ad Ordines ditionum quâ publicentur missæ, non per imperii, sed supplicationis modum potius dirigi solent. Numerus in hoc Consessu delegatorum indefinitus est, ast suffragia non per capita, sed provincias colliguntur; & unicuique Ditionum per suos delegatos præsenti unum idemque jus competit, quamvis & viribus & dignitate inter se haud parum discrepent, atque earum nonnullæ in onera communis Reipublicæ multo majorem, quam aliæ summam conferant. Præses vero hujus amplissimi Consessus singulis hebdomadis mutatur, Ditionibus ordine per suos legatos succedentibus: hic colligit omnium suffragia, iisque auditis & breviter repetitis, secundum majorem sententiarum numerum concludit, nisi forte, ob negotii gravitatem, delegatis, Ordines Ditionum suarum consulere visum fuerit. Conclusum Graphiarius in scriptum redigit, Præses subscribit, & post eum dictus Graphiarius.

Magnum Consilium.

Si vero negotia sint graviora, quibusque expediundis ordinarii assessores sufficere non videntur, omnium Provinciarum Fœderatarum peculiari consensu & indictu Hagæ Comitis convenit extra ordinem Magnum Consilium, vulgo *de Groote Vergaderingh*; rarissime tamen id accidere solet, nec nisi gravitate negotiorum id exigente: ad hoc autem singulæ Ditiones, postquam in Comitiis peculiaribus capita ea omnia, de quibus deliberabitur, discusserunt, spectabilem aliquem delegatorum numerum, certis definitisque mandatis instructum mittunt. Et quamvis augustissimus amplissimusque hic delegatorum Consessus ipsis Ordinibus Generalibus superior censeri jure merito queat, (cum & Legati exterorum Principum alias ab Ordinibus Generalibus admitti soliti, ab eo audiantur) non tamen ab eorum arbitrio negotiorum omnium pendet expeditio; nam delegati Consilium hocce constituentes sæpissime necesse habent, vel ad eos à quibus delegati sunt scribere, vel etiam excurrere ut in amplioribus conventibus, comitiisque certi quid definiatur. Ratio præsidendi eadem, quæ in Consessu Ordinum Generalium observatur.

Consilium Status.

Consilium Status, quod vulgo *den Raedt van Staten* vocant, Ordinum Generalium Consessu antiquius est. olim omnia ea peragebat, quorum cura nunc penes Ordines Generales; quibus constitutis nihilominus, ob negotiorum frequentiam, ut subsidio sit continuatum est; & de iisdem pene negotiis quoque cognoscit, sed fere minoribus, & præsertim de tributariis, militaribus, iis quæ ditiones, urbes, ac propugnacula armis subacta, spectant, cæterisque ejus generis. Constituitur quoque ex singularum Ditionum delegatis, è Geldria duobus, ex Hollandia tribus, ex Zelandia duobus, ex Frisia totidem, ex tribus vero reliquis Ditionibus Vltrajectina, Transisulanica & Groninga-Omlandica singulis. Hi per vices viritim præsident, suffragia vero non per Ditiones, sed capita colliguntur, majorque in concludendo spectatur numerus. Nonnunquam negotia quædam ab Ordinibus Generalibus iis per delegationem committuntur; nonnunquam quoque in talibus negotiis versantur, de quibus antequam decretum condant, ad Ordines Generales referre solent; atque tum decretum Ordinum jussu, quod expresse præ se fert, promulgatur. Ordinario itaque per se solum hocce Concilium congregatur; sed & quoque extra ordinem coit & convenit una cum superiori Ordinum Generalium Collegio.

Adsident huic Collegio ordinario more congregato, voto tamen deliberativo tantum, non definitivo gaudentes, supremus rationum Magister, vulgo *Rekenmeester* & Quæstor generalis, vulgo *Ontfanger Generael*; quorum ille omnem pecuniarum, & sumtuum publicorum rationem in numerato habet, pecuniam tamen non tractat; hic pecuniam omnem, à singulis Ditionibus ærario debitam tractat, exigit, jussu Senatus, aut Ordinum Generalium in publicos usus erogat, & de eadem rationes reddit.

Consilia Maritima sive Archithalassica.

In subsidium quoque Ordinibus Generalibus electi sunt nonnulli qui totius Reipublicæ nomine res maritimas tractarent; hi cum in portubus potius quam alibi muneris sedem habere debeant, non unum, sed diversa Consilia in tribus potissimum maritimis Ditionibus constituunt, Hollandia nempe, Zelandia & Frisia; in Hollandia, tria sunt, Amstelædamense, Rotterædamense & Hornanum. Vnum in Zelandia, Middelburgense, unum etiam in Frisia, Harlingense. Singula horum septem constant Senatoribus, è singularum provinciarum membris electi, ab Ordinibus Generalibus vero delegantur & sacramento adiguntur; Eorum autem quatuor ex ea Ditione eliguntur, in qua Collegium est, reliqui tres ex cæteris ditionibus accedunt. Additur iis Secreta-

rius unus, & fisco maritimo Præfectus, quoties vero res postulat, ex singulis his Consiliis delegati Hagæ conveniunt, ibi cum Ordinibus Generalibus de maris & commerciorum præstanda securitate agunt. Munus vero horum Consiliorum est idonea classe ad hoc parata omnique apparatu bellico probe instructa, navigationem securam marisque liberum usum reddere, & Ditionum flumina tutari; commeatus quoque publicos negotiatoribus aliisque præstare; controversias omnes causa rei maritimæ inter nautas, sociosque navales, & mercatores exortas decidere, &c. Consiliis hisce proprium est ærarium, quod Nauticum, vulgo *het Schippers-Comtoir* vocant, in hoc deferuntur nummi, quos pro tutela navium suarum, ac mercium persolvunt mercatores, & vulgo *Convoy-gelden* dicuntur; illa quoque portoria, quæ pro importandis, & exportandis mercibus, in singulis portubus penduntur, vulgo *haven-gelden*; vectigalia denique, quæ mercium in agrum hostilem devehendarum nomine solvuntur, vulgo *Licent-gelden*. Hinc accepti expensique rationes horum Consiliorum Legati Ordinum Generalium Commissariis singulis trimestribus reddere tenentur.

Camera Rationum. Recipiendis, asservandis, ac ex decreto Ordinum Generalium distribuendis proventibus, opibus, ærique fœnebri Reipub. à privatis credito, exceptis his qui ex singularum provinciarum canone resultant, præpositus est particularis Senatus, qui vulgo *de Kamer van Rekeningen der Generaliteyt* dicitur, constans ex septem Senatoribus, sive singularum Ditionum legatis.

Gubernator. Sub Maximiliano I & Carolo V Imperatoribus, qui sæpius ob majoris momenti negotia à Belgio abesse cogebantur, Gubernatores Belgicæ tum generales, qui universo Belgio, tum speciales, qui singularum, aut trium quatuorve vicinarum Ditionum curam gererent, constituti sunt; initio vero belli civilis, Guilielmus Princeps Auriacus, Hollandiæ, Zelandiæ & Trajecto præerat, eique & juris & armorum cura in dictis Ditionibus incumbebat: quam potestatem usque ad mortem, maxima cum auctoritate, sub Ordinibus quoque obtinuit: eo demortuo in earundem Ditionum regimine successit filius Mauritius; hunc Fridericus Henricus frater excepit, patrem vero vita defunctum Guilielmus II secutus est. Gubernatoris munus vero admodum magnificum, utpote cui hæc supremæ fere potestatis signa attributa fuerunt; indulgentiam capitalis criminis concedere; Curiis judicialibus Ditionum præsidere; Magistratus fere ubique sive pro suo arbitrio absolute, sive ex numero certo nominatorum, singulos eligendo constituere; in suis propriisque causis ad exteros Principes Respublicasve legatos mittere; imo Legatos ab exteris ad Ordines Generales missos singulatim atque privatim audire; publicarum ac privatarum controversiarum majorum, inter Ditiones plures, vel inter certarum Ditionum Ordinum membra, vel etiam inter Ordines & quosdam ex subditis exortarum, arbitrum agere. Postquam vero anno 1650 Guilielmus II ex hac vita commigravit, Hollandiæ & Vltrajecti Ordines, alium in defuncti locum Gubernatorem eligere supersederunt, omnia prædicta potestatis signa à se profecta rursus assumentes; civitates vero singulæ Magistratuum electionem sibi vindicarunt. Frisia, Groninga & Omlandica Regio, Guilielmum Fridericum Nassavium Gubernatorem agnoscunt; Zelandia & Transisalana ditio Guilielmum Henricum Principem Auriacum Guilielmi II filium elegerunt. Præterea supremi terra marique Imperatoris munus ab initio Reipublicæ apud eosdem Auriacos Principes stetit, quod plane diversum est à Gubernatoris dignitate; cum hic universis omnium Ditionum copiis præesset; ille in nonnullis Ditionum tantum Gubernatoris munere fungeretur; prout una alterave illum regimini præfecisset; sed jam ab anno 1650 nullus ab Ordinibus in locum defuncti Guilielmi assumtus est. *Imperator terra marique.*

Subditorum Reipub. regimen. Ditionum Fœderatarum imperium, extra ipsas septem liberas Ditiones, finitimos limites ubique fere transgreditur; urbes tamen eæ quæ post fœdus ictum accessere, armisque acquisitæ fuerunt, simul in fœdere non censentur; sed quemadmodum Provinciæ apud Romanos olim, ita apud Fœderatas Ditiones habentur. In Brabantia finitima, quæ Hispanici juris est, Sylvam-Ducis, ejusque territorium sane amplissimum, quartamque totius Ducatus partem constituens Fœderati possident, quemadmodum & Bredam, Bergas ad Zomam, Mosæ Trajectum, Graviam, Steenbergam, Eindoviam, & Helmontium, pagosque quamplurimos. Hæ civitates armis Batavorum paulatim Regi ademtæ, non ita pridem in supremi regiminis societatem admitti enixe petere aggressæ fuerunt, sed irrito conatu, ob impensarum tempore reductionis factarum, magnitudinem; tum etiam ob imparitatem oneribus sufferendis pro communis fœderis defensione; dein concordiæ quoq; servandæ gratia, cui pluribus in jus suffragii ad missis male consuleretur. Tribunal justitiæ habent hæ Civitates peculiare, vulgo *den Raet van Brabant* dictum, Hagæ Comitis sedem habens, instar supremi judicis ad quem ultima solet esse provocatio. Constat id septem Senatoribus, Graphiario, Fisci Advocato, & Procuratore Generali; cognoscitque non solum de causis ratione appellationis, aut reformationis ad illud delapsis, verum etiam coram eo omnia feuda Brabantica revelantur, caussæque feudales discutiuntur. *Consilium Brabanticum.* In Flandria præterea Fœderatorum Respublica agrum Wasiæ fere totum, Insulam Cadzandicam, Slusam, Hulstamque urbes, municipia, propugnacula, pagosque admodum magno numero possidet. Hisce quoque peculiare est Tribunal Medioburgi in Zeelandia, vulgo *den Raet van Vlaenderen*. Pari ratione ac Brabanticum tam negotiis Feudalibus, quam reliquis caussis appellationis causa ad illud devolutis vacans. Ad hoc autem tribunal pertinent præter Præsidem & septem Senatores, Advocatus fisci, Feudorum Superintendens, Procurator Generalis, & Graphiarius. *Consilium Flandricum.*

Drentia. Drentia quoque quamvis suum sibi Gubernatorem eligendi jus habeat, & more reliquarum Ditionum ad ferenda onera ordinaria concurrat, & quoque tribunal supremum, à quo ulterior non datur provocatio, nec non delegatos Ordines ærario & justitiæ præpositos habeat;

beat; hactenus tamen delegatos suos in consessu Ordinum Generalium non habuit, quod initio nomen suum fœderi non dederit, & à vicinis Ditionibus semper deinde distincta manserit. Civitates quoque non paucæ in alieno solo sitæ, armorum vi aut occupatione sub ditionem Fœderatorum redactæ sunt; integra tamen manent omnia Dominis, imperium, privilegium, jurisdictio, & siquid ejus generis; præsidio militari tantum Fœderati suo muniunt: ejusmodi sunt in Frisia Orientali, Emda, in Imperii Germanici solo Emrica, & Reesa, Vesalia & Orsoya in Clivensi Ducatu; Electoris Coloniensis Rhenoberca. Quin imo & ultra Garamantas & Indos auspiciis Ordinum Generalium prolatum est imperium; adeo ut plura amplissima ditissimaque regna sub suam redegerint potestatem; idque hac occasione. Rex Hispaniæ Indias utrasque possidens, cum commercia & navigationem Fœderatorum in Hispaniam prohibuisset, mercatores nonnulli Batavi Indias Orientales lucri causa adnavigare instituerunt, sed cum auri cupido plures ad suscipiendum negotium exstimularet, eorumque vires divisæ propulsandis Hispanorum, navigationem hanc impedire volentium, conatibus impares existerent; consiliisque non communicatis eosdem portus iisdem sæpissime mercibus instructi peterent; Ordines Generales Societatem quandam instituerunt, quæ ad certum annorum spatium sola privilegio navigandi in Orientales Indias gauderet legibus, limitibusque antea præscriptis. In hanc certam pecuniæ summam conferre tum unicuique permissum, iisque datum Participantium nomen, iis vero qui contulerunt ultra sex florenorum millia, vel in West-Frisia, ultra tria, datum nomen, quo Capita Participantium nominarentur vulgo *Hooftparticipanten.* Ex hisce, exclusis cæteris eliguntur Societatis Curatores, ejus rebus curandis cum maxima autoritate præpositi, vulgo *Bewinthebbers.* Illorum nominatio ad Capita Participantium spectat, electio vero alibi penes Ditionis Ordines, alibi penes Magistratum Urbicum est. Curatores hi in singulis provinciis certo in loco & navigationi opportuno conventus suos habent, qui Cameræ appellantur, Amstelædamensis constat viginti Curatoribus, Zeelandica duodecim, ad Mosam quatuordecim, West-Frisica totidem. Si vero necessitas, resve arduæ & extra ordinem oblatæ id exigant, extraordinarius aliquis & supremus conventus instituitur, ad quem singulæ Cameræ suos mittunt legatos; constat autem Collegio septendecim virorum ex Amstelædamensi octo, Middelburgensi quatuor, & ex cæteris singulis aut binis. Dicitur autem hic Consessus *de Vergadering van de Seventiene.* Atque hæc quidem domi regiminis forma. Bataviæ vero, id Imperii in India caput, & Batavorum colonia, sedem habet Supremus Indiæ Hollandicæ Gubernator, eadem potestate pollens, qua in Fœderato Belgio supremus Gubernator & Exercituum Dux, triennio circumscribitur hujus dignitas; Præterea ibidem instituti sunt duo supremi Senatus, in quorum altero res publicæ Senatus, quæ pacem, bella, fœdera ac commercia spectant præsente supremo Gubernatore tractantur; altero ipsum est Iustitiæ tribunal, in quo causæ privatorum, lites aliaque ejusmodi expediuntur. In singulis vero provinciis, insulis ac ditionibus societati parentibus, sunt duo quasi supremi Magistratus, quorum alter præest militiæ, alter iis curandis gerendisque, quæ spectant commerciorum rationem; additi dein sunt Censores iis qui Commercia tractant, qui ad omnia quæ geruntur attendunt, eaque annotata singulis trimestribus ad supremum Gubernatorem, ac Senatum mittunt, ex quibus omnibus iidem Senatores conficiendum curant unâ scripturâ totum societatis statum, ex qua in Belgium transmissa Curatores domi degentes continuo intelligunt, quomodo se illud imperii sui corpus habeat. Indiæ Occidentalis Societatis regimen domi ad eundem plane modum se habet, quo Societas Indiæ Orientalis, nisi quod supremo & extraordinario hujus novendecim Curatorum ex Cameris delegatorum consessu, vulgo *de Vergaderinge van de Negentiene*, semper præsideant Ordinum Generalium Legati, idque ideo potissimum, quod ipsa Fœderatorum Respublica haud contemnendam pecuniæ summam ad hujus Societatis constitutionem contulerit; cætera omnia fere eodem modo, ac apud Orientalem Societatem diriguntur.

Societates Indiæ utriusque.

Opes vero, quibus Respublica Fœderatorum sustentatur, diversis in proventibus consistunt, & ex iis solent colligi; Primo singulæ Fœderatarum Ditionum quotannis canonem quendam, quem Quotam vulgo vocant, præstare tenentur, majorem minoremve, prout majores minoresve singularum ditionum deprehenduntur opes; & prout alia atque alia Reipublicæ necessitas flagitat; iniquum enim videretur, si secundum Trajectini fœderis decretum Ditiones in conferendo censu eundem tributorum & vectigalium observarent modum. Hollandia itaque omnium longe opulentissima, ubi cunctis fœderatis ditionibus centum millia florenorum in commune conferenda sunt, quinquaginta & septem florenorum millia confert; Frisia autem undecim, ac Zelandia novem millia; ita ut dictæ tres ditiones septuaginta septem florenorum millia conferant; cæteræ quatuor quod reliquum est, nempe viginti tria ex tributis, vectigalibus, aut aliis ejusmodi colligunt, & conferunt. Ingens quoque pecuniæ vis ex iis vectigalibus provenit, quæ penduntur mercium nomine, quæ in hostilem agrum tempore belli transvehuntur, nominant vulgo ea *Licenten*: hisce exigendis in omnibus portubus & civitatibus fœderatorum constituti sunt singulares publicani, quos vulgo *Licentmeesters*, ac *Cherchers* vocant; qui etiam ne arma, aliaque id generis lege prohibita ad hostes evehantur prospiciunt; hæ autem evehendi licentiæ subinde in hisce, aliisve mercibus pro Fœderatorum utilitate ubi libitum fuerit tolluntur. Prædæ militaris quoque portio à privatis Reipublicæ debita, non contemnendam confert summam, item tributa quæ limitaneæ civitates & hostibus ereptæ, vini, cerevisiæ, salis, ædium nec non fundorum nomine præstant. Præterea è canone annuo, quem pagi circa Fœderatorum & hostium limites positi, contributionum, uti vocant, nomine solvebant, magna proveniebat nummorum copia:

Opes Fœderatorum.

pia: hisce autem recipiendis in præcipuis Fœderatorum civitatibus limitaneis quæstores & æraria erant constituta. Præterea magna ex litteris salvi Conductus, vulgo *Paspoorten* dictis, pecuniæ colligebatur vis; hæ privatis, nullis vero in aliqua militari vel togatâ dignitate apud hostes constitutis concedebantur triginta florenorum pretio, sex solummodo mensium spatio præscripto, quo ex ditionibus Regis Hispaniæ in Fœderatorum regiones, & viceversa, rerum privatarum gratia commeare licebat. Accedebat quoque æs illud, quod Principes Fœderati, Angliæ scilicet & Galliæ imprimis Reges, durante bello Hispanico pendere solebant. Dein Reipublicæ maxima pecuniæ summa est credita à privatis, ea lege ut iis volentibus sors cum usuris reddatur; usuræ autem nomine Respublica pro annuo centum florenorum usu quatuor florenos persolvit. Hisce pecuniis distribuendis, exceptis iis, quæ ex annuo canone proveniunt, ut supra memoravi, præest Camera rationum.

Vectigalia & tributa.

Atque hi sunt reditus, quibus Fœderatorum opes ad conservandam Rempublicam consistunt; sed ii soli fere, qui in commune ærarium extrinsecus ac aliunde colliguntur; sunt vero præter hos vectigalia & tributa, quæ intrinsecus ordinarie quædam, alia extra ordinem, quæque subinde urgente necessitate colliguntur. Extraordinaria primo id tributa sunt quod singulorum capitum nomine pendebatur, quod ob querelas civium semel tantum exactum est. Dein quod caminorum nomine solvitur. Tertio quod à singulis omnium opum ac possessionum, in universam pariter æstimatarum nomine, ac ducentesima appellari solet, tribuitur. Ordinaria tributa sunt, quæ semel recepta, semper exiguntur; hujusmodi sunt, vectigal ædium, servorum ancillarumve, vehiculorum & navium, agrorum, venditorum bonorum immobilium; papyri publico Ordinum Hollandiæ sigillo signatæ, mulcta temere litigantium, vectigal salis, cerevisiæ, vini, aceti, olei, butyri, frumenti, fructuum, bestiarum, piscium, candelarum, cespitum, carbonum, ligni, tabaci, saponis, picis, mercium duriorum, plumbi, lapidum coctorum, pannorum, aliæque plurimæ vectigalium & tributorum species; quæ omnia hic recitare mihi molestum, lectori tædiosum foret.

Vires Reipub. Fœderatæ.

Vires Reipublicæ Fœderatæ potissimum consistunt in munitissimis invictisque civitatibus, arcibus & castellis, artis bellicæ miraculis, quibus tota Belgica Fœderata, ubi fluminum aquarumque tutamina desunt, veluti propugnaculis firmissimis undique cingitur. Ejusmodi munimenta fere posita sunt in omnibus imperii hujus limitibus, ubi hostium irruptiones metuendæ erant, non tantum in propria Fœderatorum ditione, sed etiam extra eorum limites in ipso Imperii Germanici fundo. Dein excellentissima & optime disposita armatura terrestris, non minus ditionibus Fœderatis præsidio & munimento est. Miles vero vel patrius est, vel externus & advena; Germanus inprimis, Gallus, Anglus & Scotus, in Centurias, turmasque divisus, longo usu artem militarem probissime edoctus. In Classe quoque validissima, nec non nautis classiarioque milite instructissima, magna Fœderatorum consistit fiducia.

Religio.

Religionem Batavi publice profitentur eam, quæ Reformata passim nominari solet; neque quisquam ad publica Reipublicæ promovetur munia, nisi qui eam amplectatur. Tolerantur tamen, præsertim in Hollandia, Catholici, aliique cuicunque fere sectæ addicti, quamvis ecclesias in publico nullas, privatim equidem habeant. Iudæi quoque Amstelædami, quod potentissimum apud Hollandos emporium est, Synagogam publice frequentant: nulla denique apud Fœderatos conscientiis hominum ingeritur vis, nulla simulandi necessitas.

Atque hæc quidem, quæ Reipublicæ celeberrimæ administrationem concernunt, prosequutus, & sempiternam eidem vovens felicitatem ad ditionum singularum descriptiones me conferam, ea narraturus, quæ mihi de earum situ, qualitate, opibus, & regiminis ratione comperta sunt.

GELDRIA DVCATVS.



Eldria extrema fere versus Boream Belgicæ regio ad utramque Rheni ripam, Gallicam & Germanicam sita est, uti & Clivia. Certa veterum Sicambrorum sedes, quos Augustus in Germania agentes traduxit in Galliam, teste Suetonio, atque in proximis Rheno agris collocavit. In hoc tractu fuisse *Gelduba* creditur, quæ Tacito commemoratur lib. 4 Histor. Quæ Gelriæ nomen putatur creasse. Sunt tamen, qui opinentur Gelriæ nomen esse ab arce *Gelre*, quam Wicardus à Ponthe una cum fratre Lupoldo ædificasse fertur. Porro Gelriæ Ducatus & Zutphaniæ Comitatus jam ab annis quingentis in unam velut rempublicam coaluere: ita ut utraque uno nomine jam communiter Gelria dicatur. Habent tamen limites & fines suos distinctos. Gelriæ fines sunt, à Septentrione Transisalania, quæ & magnam illius partem claudit ab Aquilone, Isala amne intermedio: ad Orientem Zutphaniensis Comitatus, eodem amne dirimente: ad Eurum Clivia: ad Meridiem Brabantia, à qua Mosa flumine dividitur: ad Occasum primo Hollandia, dein Trajectina diœcesis, denique mare internum Australe, quod *de Zuyderzee* vocant. Mediam fere Rhenus intersecat, utroque alveo, tum qui Rheni nomen servat, tum qui Vahalis vocatur. Quamobrem variis partibus quasi sparsa jacet. Zutphaniensis Comitatus ad Occasum Isala à Gelria dividitur, ad Meridiem Cliviam habet & Rhenum: reliquis partibus fere Westphalia terminatur.

Nominis origo.

Fines.

Partes Gelriæ unà cum Zutphania.

Dividuntur simul junctæ in quatuor partes, quas Tetrarchias licet appellare: Neomagensem, Ruremundanam, Zutphaniensem, atque Arnhemiensem: quarum Ordines aut in Comitiis majoribus, à Præfecto, vel Senatu Provinciali evocati, toti reip. in commune consulunt: aut separatim in suis quique Tetrarchiis, indicente & præsidente primariæ urbis Senatu, deliberant. Singulæ autem hæ Tetrarchiæ subdividuntur in urbana, paganaque territoria, & in præfecturas hæreditarias. *Neomagensis Tetrarchia*, quæ in Comitiis majoribus semper primum locum & suffragium obtinuit, urbes complectitur tres, *Neomagum*, *Thielam*, *Bommelium*. Quibus olim annumerabantur, Gravia, Leerdamum, Bura, oppida sub Egmondano Principe avulsa, pagus item *Gente* in superiore Batavia (quem Carolus Princeps an. CIↃIↃVI Henrico à Gent in clientelam concessit) suffragium quondam inter oppida obtinuit. Municipales præfecturæ principes fere sunt istæ: Regnum Neomagense: Batavia, vulgo *Betow*, superior & inferior: Bommelii insula: Thielæ insula: Præfectura inter Mosam & Vahalim: Præfectura Beesda & Renoy. In quibus præfecturis plurimæ sunt Equitum vetustæ arces, multæque villarum præfecturæ hæreditariæ: videlicet, *Persingen*, *Vbbergen*, *Groesbeec*, *Doddendael*, *Batenborgh*, *Horssum*, *Luer*, *Oyen*, *Dieden*, &c.

Prima Tetrarchia, Neomagensis.

Secunda Tetrarchia est *Ruremundana*; cujus caput Ruremunda. Minora oppida sunt *Gelre*, *Venloum*, *Stralena*, *Wachtendoncum*, *Montfortium*, & *Herculana*. Præfecturæ municipales octo, sub quibus & urbanæ nonnullæ: *Kessel*, *Gelre*, *Montfort*, *Kriekenbeeck*, *Stralen*, *Wachtendonck*, *Erkelens*; *Middelaer*. Minores & hæreditariæ sunt: *Viersen*, *Horst*, *Lenth*, *Well*, *Afferden*, *Blienbeeck*, *Walbeeck*, *Aerlen*, *Gribenfoorst*, *Blitterswick*, *Mirloo*, *Elmpt*, *Steffensweert*, *Hillenrode*, *Swalmen*, *Assell*, *Geisteren*.

Secunda, Ruremundana.

Tertia Tetrarchia est *Zutphaniensis*; cujus primaria urbs est Zutphania. Oppida minora muris cincta, quæ suffragium in Comitiis habent, sunt quatuor: *Doesburgum*, *Doetecum*, *Lochemum*, *Grolla*. Territorium municipale distinguitur in quatuor Præfecturas, ac totidem Baronias. Præfecturæ sunt; Satrapia Zutphaniensis, Prætura Zutphaniensis, *Richterampt van Doesburgh*, & Satrapia Bredefortana. Baroniæ sunt, *Berghe*, (quæ & ipsa Comitatus titulo insignis, sub qua & oppidum 'sHeerenbergh) *Bronckhorst*, *Baerwisch*. Domino in Anholt cum Monasteriensibus hodieque controversia est, utrum hæreditariæ præfecturæ in *Borkelo* atque *Anholt* huic Tetrarchiæ accenseri debeant.

Tertia, Zutphaniensis.

Quarta Tetrarchia est *Arnhemiensis*; cujus primaria urbs est *Arenacum*. Oppida minora sunt quatuor: *Harderwycum*, *Elburgum*, *Wageninga*, *Hattemum*. Præfecturæ majores duæ sunt: Velavia, & Velaviæ fimbria. Minores totidem, *Oldebroeck* & *Neybroeck*. Præfecturæ Villarum hæreditariæ cum imperio criminali itidem duæ, *Dorenweert*, *Rosendael*: totidemque cum imperio civili, *Scherpenzeel* & *Heuvelaken*.

Quarta, Arnhemiensis.

Provincia hæc aëre ut plurimum fruitur puro ac salubri: solo est fertili, & frugum omnis generis feraci: nec non pascuis diviti: unde ingentes pecorum greges alit, & armenta quoque è Dania & Frisia petita saginat. Non tamen ubique eadem soli felicitas, aut fecunditas. Nam magna pars Velaviæ sabuletis, erycetis, silvis & collibus effœtis horret, vastaque eremo incultior, cespitum fodinis quam sementi faciendæ longe aptior est: eadem tamen ad margines (Velaviæ fimbriam ac crepidinem vocant) ubi Isala & Rheno alluitur, amplissima & lætissima habet prata. Zutphania quoque admodum fertili est solo, sed quibusdam locis paludoso, (unde & quidam nomen ipsi impositum opinantur) sed graminis optimi feraci.

Aëris ratio.

Gelria, cum superiore Bataviæ regione quatuor cele-


GELDRIA DVCATVS, et ZVTFANIA COMITATVS.
Miliaria Germanica
1 2 3
Amsterd. Apud Guilj. Blaeuw.
BRABANTIÆ PARS
PEEL LAND
RAVESTEYN
DE VELUWE
BETOUWE
KESSEL
DUCAT.
IULIÆ PARS
COLONIENSIS Comitatus
WESTPHALIÆ PARS
TRANSISULANÆ
TWENTE PARS
ZUTPHA
COMITATU
Amersfoort
Arnhem
Nimmegen
Zutphen
Deventer
Harderwyck
Hattem
Elburg
Helmont
Weert
Ruremonde
Venlo
Bruggen
Kempen
Enschede
Lochem
Borkeloo
Grol
Vreeden
Meurs
Rhenen
Utrecht

celeberrimis fluviis irrigatur, *Mosa* nempe Galliæ Belgicæ amne, ac tribus Rheni ostiis: *Vahali*, qui Bataviam Insulam à parte Meridiana perfluit: *Lecca*, qui veteris Rheni appellationem servat, & *Isala* alias *Flevo* quoque dicta. De *Mosa* in Generali Descriptione diximus. *Vahalis Wael* hodie dicitur. Pars illa Rheni est quæ juxta telonium Lobeci appellatione notum ad lævam se flectit, & Neomagum urbem copiosam & præpotentem prætexit, urbisque mœnia areamque navalem radit. Longo inde agmine Tielam pergit: istinc anfractuoso meatu Bomeliam ad lævam relinquit: deinde non procul Woricomia Mosam accipit, mox apud Goricomium, Lingæ amnis, incredibili lenitate segnis, incremento auctus, Merouæ nomen accipit, à Merovæorum arce: quam ubi præterierit, Durdrechtum prælabitur: demum receptis Lecca & Isala Rheni brachiis, Islemondam præterfluens, sub Rotterodamo, Mosa appellari incipit, ubi recedentibus latius terris, vasto jam ore Sciedamum & Vlaerdingam ad dextrum latus relinquit, deinde Geervlietum oppidum, & Brielam à læva præterlabitur, ibique mox Oceano miscetur. *Lecca*, *Fossa Corbulonis* veteribus, quam Tacitus scribit à Domitio Corbulone à Rheno ad Mosam trium & viginti millium spatio, aut, ut Dion tradit, longam ad millia passuum XXI productam. Hodie *Leck* vocatur: fluvius ex Rheno descendens, quondam rivulus tenueis è fonte suo Rheno aquas trahens, elicis potius cognomento tunc dicendus (nec enim aliud vox ipsa sonat) ac nunc revera è rivo flumen factus, genitorem suum aquarum pabulo (ut loquar) intervertit & ad se transtulit, ac super illum animos extulit, navium patiens, præ illo arido & exucco. Sic alveum Rheno suffuratus, Trajectoque injurius Lecca, Culenburgum prævehitur: exinde Vianam præterlabitur: postea decurrit Schoonhoviam: demum in Merwam amnem, priusquam Mosæ nomen induat, se effundit: habetque in longitudine plus minus octo milliaria nostratia. *Isala Flevum* Plinio, Rheni ostium, quod Ptolemæo *Orientale* cognominatur, *Yssel* vulgo. Id vero Druso Neroni acceptum ferri debet, qui fossam novi & immensi operis continuam militari opere fecit, cui Drusianæ nomen fuit, teste Tacito. Ea fossa supra Arenacum incipiens continuat ad duo aut tria milliaria, Rhenumque novi Isalæ nomine donatum deducit præter Doesburgum. Vbi Isalam veterem, cujus in Westphalia fontes sunt, & in cujus nomen hic adoptatus est, accipit: inde Bronchorstum præterlabens, Zutphaniam urbem lustrat. Hinc Daventriam petit amnis cursus. Atque hæc quæ diximus IV oppida Isala ad dextram relinquit, quæ sequuntur duo ad lævam situm habent, inter quæ primo loco Hattemum occurrit, natura loci atque opere munitum oppidulum: inde Campi sunt, celebris urbs: hanc præterlapsus & insululas aliquot emensus, in maris sinum effunditur, qui hodie de *Zuyder Zee* dicitur. nunc raptus à mari post admissum Vidrum, Nigræ aquæ cognomento appellatum, quod soli ingenium quale sit, nigrore testetur, nimirum palustre & cespitum bituminosorum parens, relinquit ad lævam exiguas insulas Ensiam & Orcam, piscatorum sedes, quas priusquam adeat, nautæ trudibus & contis æstate, quando mare illud malacia & tranquillitas tenet, explorant, deprehenduntque non alte viam silicibus stratam. Præter hæc & alia quædam ignobiliora flumina eam perluunt, cujusmodi sunt, *Worm, Roer, Sualm, Isala vetus, Berkel, Niers, & Aa.* Ad Septemtrionem respicit Sinum illum maris quem hodie *Zuyder Zee*, velut Australe Fretum, quod in Meridiem vergat, nuncupamus: ubi sicut Hollandia, patente gremio accommodat se commercio Orbis.

Flumina.

Regimen vetus.

Gelriam post tempora Caroli Magni rexere, primùm hæreditarii Advocati, sive Tutores deinde Comites, hinc Principes: tandem Ordines, 1476 regimen arripuerunt. Sed defuncto Carolo Audace, unica tantum filia Maria superstite, quæ Maximiliano Austriaco nupsit, Ordines Gelriæ Carolum Egmondanum Adolphi F. Arnoldi N. è Gallia revocatum anno 1492, in Gelriæ Ducem & Zutphaniæ Comitem inaugurarunt. Huic super Provinciæ jure, ab Imperatore Carolo V, Philippi Burgundi F. Maximiliani & Mariæ nepote, controversia fuit mota: quæ tandem inter eos per tractatum Goricomiæ anno 1529, & tractatum Graviæ anno 36, transacta est, ea conditione, ut, si Carolus Egmondanus sine legitima sobole decederet, hæc ditio ad Carolum Cæsarem ex vetere jure reverteretur. Sed ipso adhuc superstite ac consentiente, Gulielmus Clivensium Princeps ab Ordinibus ascitus & inauguratus fuit. Carolo deinde Egmondano anno 1539, Kal. Augusti sine legitimis liberis vita functo, orta est contentio inter Cæsarem, Lotharingiæ Principem, Caroli ex sorore nepotem, ac Clivensem. Allegabat Cæsar venditiones, cessiones, renunciationes, atque investituras sibi suisque majoribus factas: insuper si quid in hanc ditionem Guilielmo Gerardi Principis filio juris competiisset, sibi atque Imperio id commissum, primum quidem ob non desideratam investituræ renovationem, deinde quia sine prole mascula vel agnatis, filia duntaxat relicta, Guilielmus decessisset. Lotharingus à Carolo hæreditariam in hanc ditionem successionem sibi delatam asserebat, idque jus ex conventibus quibusdam juvare nitebatur. Clivensis contra scripto in Comitiis Francofurtensibus exhibito per Legatos explicabat, quo jure Gelriam possideret, se tanquam verum & legitimum hæredem, matre Maria Guilielmi filia sua jura sibi cedente, ditionis possessore Carolo Principe atque Ordinibus volentibus ac consentientibus, nec vi, nec clam, nec precario possidere cœpisse. Repetebat suorum majorum jura, investituram ab Imperatore Sigismundo post obitum Reinholdi Adolpho Principi concessam, subjectionis eidem sacramentum ab Ordinibus præstitum, sententiam ab Imperatore atque Imperii Ordinibus pro Adolpho adversus Arnoldum ditionis occupatorem prolatam. Ab Adolpho sine liberis mortuo in Gerhardum fratris f. ab hoc in filium Guilielmum: atque inde in illius filiam unicam Mariam suam matrem, successionis jura derivabat. Verum Clivensi frustra orante, ut Imperii Ordines apud Cæsarem intercederent, suam-

suamque ipsi causam commendarent, Cæsar magnis copiis ex Italia descendens eo Clivensem adduxit, ut in castris ad Venloam, supplex à se veniam peteret, & quicquid in Gelriam ac Zutphaniam juris prætendebat, renunciaret, subditisque fidem sibi datam remitteret. Atque hinc Cæsar, ejusque filius Philippus Hispan. Rex per Proprincipes Gelriam gubernarunt, ad annum usque 1580, quo provincia hæc solius Proprincipis ac Senatus Provincialis, Ordinum suffragiis electi, atque ipsorum Ordinum imperium cœpit agnoscere.

Ordines Gelriæ.

Ad Ordines quod attinet, tribus illi membris constabant, Baronibus, Equitibus ac ministerialibus paganis Principis, denique civitatibus atque oppidis. Sub Principibus semper primi inter illos fuere Barones quatuor, videlicet Bronchorsticus, Bergensis, Barensis, & Wissius. Alterum membrum constituerunt Principis equites, ac ministeriales pagani, quorum olim non ita definitus erat numerus, quippe qui pro temporum ratione atque arbitrio Principum solebat mutari, augeri, minuique. Deinde autem certæ eorum familiæ in hoc ordine recenseri cœperunt. Tandem etiam isti ordini adscriptæ sunt aliæ aliquot optimatium urbanorum atque extraneorum familiæ. Tertium membrum civitates atque oppida constituunt. Ex his componitur Respublica Gelrorum: in qua singuli communi Principis imperio Ordinumque in suis partibus cognitioni subditi fuere, & ipse Ordinum Princeps publicis legibus ac jure obnoxius fuit. Vt universi Reip. unius speciem ex uno atque optimatibus mixtam exhiberent. Quatuor primariæ civitates, olim præcipuæ dignationis & autoritatis, ac veluti arces & columina fuere tuendæ libertatis publicæ, instarque tribunorum plebis suo patrocinio reliqua oppida ac agrarios, contra Principum attentata & injurias, defendebant.

Hodiernum regimen.

Hodie supremum totius Provinciæ regimen est penes Ordines, qui nunc è duabus classibus tantum constant, Nobilibus nimirum, qui veteri consuetudine jus suffragii habent, & consuetum jusjurandum de tuenda libertate præstare non abnuunt: & Urbium Deputatis. Hos autem convocandi, cum opus est, Proprincipi ac Senatui Provinciali jus est. Atque in his deliberatur de iis quæ rem publicam atque universorum jus spectant, videlicet de pace, de bello, de tributo in communes belli sumptus aliasve necessitates imponendo, de fœderibus, de sociis, de monetæ regimine, de alienatione & obsignatione Iurisdictionum, urbium, arcium, redituum ac prædiorum Reipublicæ: de legibus ac reliquo jure publico, & cæteris hujusmodi rebus, proponente semper ac præconsulente Senatu. Eligitur in iisdem comitiis Proprinceps ac Cancellarius. Pro reliquis autem primariis in Republica functionibus, item jurisdictionum, redituum ac vectigalium procurationibus, sicubi vacare cœperint, bini in Comitiis nominati Senatus electioni offeruntur. Pro varietate autem controversiarum varia quoque constituta fuere judicia atque imperia, Ecclesiasticum videlicet & Provinciale: item ordinaria in urbibus, oppidis ac pagis, clientelaria, aggerum, fluminum, dominicorum atque adscriptitiorum colonorum. Ecclesiasticam habuere Iurisdictionem *Coloniensis Archiepiscopus* in Vrbe atque Imperio Neomagensi: *Trajectensis* in reliquis Neomagensis Tetrarchiæ partibus, ut & in Tetrarchia Arnhemiensi: *Leodiensis* in Tetrarchia Ruremundana: *Monasteriensis* in Zutphanico Comitatu. His jus fuit cognoscendi de legatis piis, de matrimoniis, de beneficiorum Ecclesiasticorum, Præbendarum ac Sacerdotiorum jure. In reliquis causis Romani Pontificis atque Episcoporum imperia, comminationes ac fulmina semper insuperhabita fuere. Hinc illud in diplomate Arnoldi Ducis dato anno CIↃ CCCCXXXII his verbis: *Wy beloven alle banne ende ladinghe uyt onsen lande te keeren, gelijck onse voor-Vaderen dat oock gedaen ende uytgekeert hebben.* Hodie omnes istæ causæ ad Curiam Provincialem spectant. Huic præesse solet Princeps, vel Proprinceps ac Cancellarius. Hisce olim à Principe, hodie à singularum Tetrarchiarum nominatione, ac Proprincipis & reliqui Senatus electione, duodecim plus minus adjunguntur Senatores legum ac morum periti. Senatui adjunctus est Fisci patronus, quem Principis vel Reipublicæ Tutorem vocant. Huic Fiscalium, dominicalium imperii, Iurisdictiones ac limitum cura commissa est. Ejus officium est de jure Reipublicæ inquirere, agendo ac defendendo Reipublicæ patrocinari: Prætoribus, Quæstoribus, Publicanis, ac jus à Principe vel Republica habentibus consulere, atque in jure adesse: delictorum graviorum suspectos extra ordinem ex Curiæ decreto reos peragere. Ad Provinciale consilium spectat decisio controversiarum super jure prædiorum adscriptitiorum ac dominicalium, super iis quæ Princeps vel Respublica pro suis possidet: super injuriis verbo, vel scripto ibidem alicui illatis; super jure Ecclesiasticorum beneficiorum, sive Principem, sive alium agnoscant patronum: atque etiam super militarium beneficiorum possessione: super controversiis matrimoniorum: super salariis ac sumptibus Advocatorum, vel Procuratorum ex litibus ibidem ventilatis. Huc quoque spectant cognitiones super interpretatione ac jure principalium privilegiorum, vel contractuum, si non inferiorum illa consessuum cognitionibus speciatim fuerint submissa. Item si controvertatur inter communitates, urbes vel pagos diversarum Iurisdictionum; atque etiam si duo contendant de possessione imperii alicujus hæreditarii. Item hujus Senatus imploratur auxilium, sicubi in Provincia jus evidenter seu notorie negetur, vel malitiose protrahatur, vel jurisdictio vacet: Item si nulliter adversus leges patrias à Prætoribus actum, vel in consessibus pronuntiatum dicatur. Item si qui de tributorum vel censuum iniquo gravamine, per censitorum gratiam vel errorem sibi illato, conquerantur. Hic adversus publico munere fungentes super excessu, delicto, vel concussione accusationes instituuntur. Hic super Paganorum criminibus inquisitiones atque executiones decernuntur, nisi alibi, ex privilegio vel consuetudine, inferioribus consessibus cognitiones istorum criminum fuerint reservatæ: quo tamen casu sententias ibidem conceptas Prætores non aliter quam Senatu jubente, executioni

cutioni mandant. Hic & III-Virorum Rationalium acta omnia deciſioni ac reformationi ſubjecta ſunt, ſicubi in patrimonii publici adminiſtratione, vel in Prætorum, Quæſtorum, vel Publicanorum rationibus diſpungendis Reipublicæ vel privatis præjudicatum dicatur. In hoc quoque Senatu Proprinceps, Cancellarius, Senatores, III-Viri Rationales, reliquique Curiæ Subditi ſeu Suppoſiti, ſi perſonaliter ex contractu vel delicto conveniantur, forum ſortiuntur. Hic quoque Senatus ejuſve Legati præſunt cognitionibus Provocationum in Comitatu Zutphanienſi, Batavia ſuperiore, oppido Tielenſi, ac Velavia: judicat denique de quibuſcunque controverſiis ex prorogatione partium, delictorum ubicunque in provincia patratorum gratiam facit Senatus atque abolitionem concedit. Atque hæc de cauſis Principis ejuſque Conſilii cognitioni reſervatis. Advocare autem cauſas ab ordinariis judiciis Principibus nunquam licuit, utpote ſolemni juramento obligatis: *Dat ſy een yeder Stadt recht, Landtrecht, Dijckrecht, Waterrecht, Thuisrecht ende Latenrecht, ſouden laten wedervaren.* In omni autem judicio ſive ordinario in urbibus ac pagis, ſive extraordinario, ſunt Præſides, ſive Satrapæ, ſive Prætores, & præterea alibi ordinarii ac jurati, alibi injurati litium diſceptatores. Hi ſola cognitione ſententiaque contenti, ab imperio omnino alieni ſunt: illi imperio contenti, cognitionibus abſtinent: adeo ut nullibi præterquam in Senatu Provinciali Principem repræſentante, cognitio cum imperio in iiſdem perſonis concurrat. Non habuere itaque Principes in jura poteſtatem, ſed edictorum formulis devincti fuere, à quibus recedere vel latum unguem religio fuit. Sunt præter ordinarias jurisdictiones in Superiore atque Inferiore Batavia, inter Moſam & Vahalim, in inſulis Bomelii ac Tielæ, in marginibus Velaviæ, atque alibi Aggerum Præfecti & curatores jurati, quos promiſcuum vulgus *Dijckgravios*, ceu aggerum Comites & *Heimrados*, quaſi domeſticos conſultores vocat, his aggerum muniendorum ac conſervandorum, adverſus maris ac fluminum exæſtuantium inundationem, cura commiſſa eſt: hi ex perpetuis Principum Edictis, quum res poſcit, obequitantes aggeres, aquæ ductus ac cataractas perluſtrant: ſi quid diſſipatum, convulſum, concuſſum vel obturatum ſit, inſtant, omnibus inſtaurandis incumbunt, mulctas indicunt, prædia neglectis aggeribus obnoxia evincunt, ac publica licitatione ab omni reliquo clientelari, cenſuali vel hypothecæ onere libera ac penitus purgata minimum exigenti addicunt. Suntque hæc aggerum muniendorum jura in multis admodum rigida atque exorbitantia, idque ob publicam ſecuritatem; quamvis non deſint qui conquerantur eorum jurium obſervatione atque acceptione, ſive per rationum ignorantiam, ſive conſulto, à vero cum ſubditorum pernicie ſæpe aberrari. Eſt & Cenſualis Iurisdictio, qua plerique prædii ſolario jure vectigalis poſſeſſorem ad ejus profeſſionem cenſuumque ceſſorum præſtationem ſibi faciendam adigunt, ex parium iſtius Curiæ cognitione ac decreto. Circa provocationes non eadem lege utuntur per univerſam Provinciam. A pleriſque urbibus nulla datur provocatio: Neomagenſium ſententiæ Aquiſgrani reformantur. In Comitatu Zutphanienſi nova lege inductum eſt (aliter enim fuit ante annum CIƆIƆXCIV) ut ab inferioribus præfecturarum judiciis ad juridicos conſeſſus ſuperiores provocare liceat. In ſingulis præter ea paganis territoriis provocatio eſt, ſed minime ad eoſdem. Conventus pro ſententiis territorii Zutphanienſis reformandis habentur Zutphanii: in territorio Arenacenſi conventus in eam rem habentur ad Silvam dictam *Engellander Holt*, ſub dio. In Tetrarchia Ruremundenſi ac Neomagenſi ſingulæ pene paganæ Præfecturæ ſeorſim in hanc rem ſuos habent Conventus. Alibi præeſt Senatus, atque adſunt Vrbium Legati, quos alii non admittunt. Alibi omnes qui ex ordine Equeſtri in præfecturis prædia poſſident, etiam extranei, ad ſuffragia admittuntur; alibi Indigenæ tantum; alibi ſolummodo ipſorum Delegati. Eſt ubi provocatur ad urbium Scabinos: alibi frequentiores in hanc rem habentur Conventus, alibi rariores, atque adeo vix bini intra hominum memoriam. Ex hac ditione ad Imperatoriam Curiam nullam eſſe admittendam provocationem, obtinuit ab Imperatore Henrico Reinaldus Gelriæ Comes, anno CIƆCCCX. Atque hæc de judiciorum ratione. Fiſci atque ærarii cura publicæve pecuniæ adminiſtratio, alia eſt Provincialis; alia particularis in ſingulis Tetrarchiis: Prætores mulctas, Quæſtores prædiales Fiſci reditus ac cenſus: Publicani vectigalia cogunt, rerum rationes apud III-Viros rationales reddunt, ac reliqua in arcam Quæſtoris generalis inferunt. Redituum Eccleſiaſticorum procuratio provincialis ab anno CIƆIƆCXII per III-viros rationales repudiata, ad Tetrarchias devoluta eſt, ubi & indictiones & oblationes ſeparatim agitantur per Tetrarchiarum Rationales, quos *Deputatos* vulgo vocant, quorum adminiſtratio annua eſt: apud quos Eccleſiaſticorum redituum indictionum, atque oblationum coactores rationibus reddendis obnoxii ſunt.

Leges ac Mores quidam.

In legibus ac moribus iſta fere habent Gelri memoratu digna: Liberi majorennes peculium ſuum citra parentum aſſenſum vendendi ac donandi jus habent. Aſperrima illa Romanis legibus deſcripta ſervitutis conditio, hic numquam recepta fuit. Sunt variæ colonorum ſervilium conditiones, vulgo *Hoff horige*, *Eigenhorige*, *Volshuldige*, *Vrieluden*, glebæ ac prædiis quorum partes cenſentur adſcripti, quibus uberiorem rem comparare permiſſum; quam tamen poſt ipſorum mortem detondere domini queant. Extra cauſam matrimonii nullus eſt liberos legitimandi modus. Hic Romani juris adoptiones, arrogationes, emancipationes, penitus ignorantur. Eſt inter conjuges (ſi non aliud in tabulis antenuptialibus fuerit conventum) omnium bonorum communio: hæreditatum, legatorum, donatorum aut quacunque ratione alteri acquiſitorum communicatur proprietas & poſſeſſio. Dotium jura nulla ſunt; ære alieno viri mulier tenetur, ac nomen faciente viro, perinde in eam transfunditur obligatio, atque ſi ſuam quoque ipſa fidem obſtrinxiſſet. Cum marito ſeſe obligans non juvatur Senatus-

tus-Consulto Vellejano; non habet in mariti bonis tacitam hypothecam. Donare conjux conjugi inter vivos non potest: mortis causa quibusdam locis potest, modò fiat reciproce. Reliqui autem nisi inter vivos, atque irrevocabiliter donare non possunt, neque res soli, neque bonorum universitas Testamentis, fideicommissis vel legatis transferuntur. Non itaque hic atteruntur subditorum bona litibus de Testamentorum internis vel externis vitiis, vel suorum hæredum de inofficioso Testamento; ac præteritorum liberorum non emancipatorum querelis; unde passim alibi patronis forensibus est opima messis. Ex conventionibus antenuptialibus haud secus, quam ab intestato, successiones bonorum transferuntur: legem ibi semel dictam is de cujus actum fuit successione, solus mutare nequit. Mulieres sine authore non habent in judicio standi personam. Ius dicitur secundum mores atque Edicta, quæ Principes, ex subditorum in quaque præfectura desiderio ac consensu, per formulam contractus promulgare solent.

Leges ac Mores quidam.

Indoles.

Gens Gelrorum tum ab indole, tum Principum suorum continuis fere bellis exercitata, aptissima est ad militiam, unde superioribus seculis equitatus imprimis Gelricus magna apud exteros ubique fama fuit. Quæ majorum gloria non tantum in posteris non extincta, sed potius aucta videtur. Licet enim Carolus V, Imperator, Principatum nuper adeptum in familia sua firmaturus, eorum bellica ministeria insuper habuit, ne armis assueti assidue novis rebus studerent: tamen postquam arma cum ceteris Provinciis pro libertate conjunxerunt, nihil de veteri virtute bellica remisere: insuperque humanitatis atque literarum studia summa industria conjunxerunt. Nobilitas copiosa & majorum imaginibus illustris, verum opibus minus pollens, ob frequentiam. Plebs industria satis & comis, moribus ad Germanos nonnihil accedentibus, utpote à veteribus Sicambris orta.

S E R I E S
COMITVM & DVCVM
GELDRIÆ & ZVTPHANIÆ.

Comites.

OTTO Comes Nassavius anno 1079 ab Henrico IV Imperatore, Francofurti ad Mœnum Comitis Gelriæ ac Zutphaniæ titulum & investituram obtinuit, ducta primùm Adelheida, filia atque unica hærede Wichardi Comitis à Ponte, postremi Gelriæ tutoris, deinde Sophia filia Wichmanni Comitis Zutphaniæ. Obiit anno 1107.

Gerardus Ottonis filius duxit in uxorem Hedwigin, sive Hadewinim, Florentii II, Comitis Hollandiæ filiam, obiit anno 1131.

Henricus Gerhardi filius duxit in uxorem Seinaram, Godefridi III, Brabantiæ Ducis filiam, quæ illi dotis nomine Velaviam attulit. obiit anno 1162.

Gerardus II, Henrici filius, obiit sine liberis anno 1180.

Otto II, Gerardi frater, duxit in uxorem Richardam Comitis Iuliacensis filiam, obiit anno 1202.

Gerardus III, Ottonis fil. duxit in uxorem Philippam Comitis Fani S. Pauli fil. obiit anno 1271.

Otto III, *Claudus* dictus, Arenacum, Ruræmondam, Harderwicum, Bommeliam & Wageningam primus muris cinxit. Neomagum, maximamque Bataviæ partem à Gulielmo Hollandiæ Comite coëmtam Gelriæ junxit. obiit anno 1271.

Reinoldus Ottonis fil. dictus *Bellicosus*, obiit in carcere à filio suo captus, anno 1325.

Duces.

Reinoldus II, Reinoldi fil. primus Ducis titulum à Ludovico Bavaro Imper. accepit in Comitiis Francofurtensibus anno 1339.

Reinoldus III, Reinoldi prioris filius. hic cum annos 14 imperasset, dissidium ac detestabile bellum inter ipsum & fratrem Eduardum natu minorem est exortum, in quo Eduardus superior evasit, fratremque post varia prælia cepit, vinctumque in carcere annos decem detinuit. Eduardo sine liberis extincto, non tamen civilis discordia sopita est, partibus diversis Margaretam & Mariam defuncti sorores acerrime foventibus. Margareta improlis decessit: Reinoldus etiam obiit sine liberis anno 1371.

Guilielmus, Mariæ, quæ Guilielmo IV, Comiti Iuliacensi, nupserat, filius, duxit in uxorem Catharinam, Alberti Bavariæ Ducis & Hollandiæ Comitis filiam, obiit sine liberis anno 1402.

Reinoldus IV, Guilielmi frater, Dux Iuliacensis & Gelriæ, obiit ἄπαις 1423.

Arnoldus Egmondanus, Mariæ, è filia Maria, quæ Ioanni Dynastæ Egmondano nupserat, nepos. Hic filio, ut successione indigno, excluso, Carolo Burgundiæ Duci Ducatum suum cessit, cessionem approbante Frederico Imperatore, anno 1473, obiit anno 1474.

Adolphus, Arnoldi filius, detruso in carcerem patre, Principatum invasit. Periit in bello anno 1473.

Carolus Burgundus, hoc titulo, atque armis Gelriæ possessionem consecutus, eam tenuit ad annum 1476, quo ad Nancejum quinto Ianuarii occubuit.

Maria Caroli filia, Maximiliani Austriaci uxor, Ducatum à Gelris, ab ipsa statim deficientibus, vix obtinuit: nam Adolpho cæso, Gelri Catharinæ illius sorori administrationem Ducatus tradiderunt: quæ prudenter aliquot annis illum administravit; donec Carolus adolesceret.

Carolus Egmondanus, Adolphi fil. Arnoldi nepos, ab Ordinibus Gelriæ è Gallia evocatus, Gelriæ Dux & Zutphaniæ Comes inauguratus. obiit sine liberis anno 1539.

Guilielmus Dux Iuliaci, Cliviæ & Bergensis, ex Ioanne Duce Cliviæ & Maria Wilhelmi Ducis Iuliacensis filia natus, ab Ordinibus Gelriæ vivo adhuc Carolo Egmondano ascitus atque inauguratus, cessit Carolo V, anno 1543.

Carolus V, Imperator, & ipso resignante anno 1555,

Philippus II, Hispaniarum rex. Sub quo Gelria ceteris provinciis Fœderatis anno 1580 sese adjunxit. Demùm à Philippo IV, pace icta, libera suique juris agnita.

GELRIÆ TETRARCHIA
NEOMAGENSIS.

Fines.



Etrarchia Neomagensis partim in Gallico, partim in Germaniæ solo sita, ad Orientem Cliviæ Ducatu terminatur, ad Septentriones à Rheno fluvio à Velavia separatur, ad Meridiem Mosa eam à Brabantia dividit; sed Occidentem versus late protensa Vltrajectense dominium & Hollandiam attingit.

Divisio.

Dividitur in Regnum Neomagense, vulgo *'t Rijck van Nymegen*, & quatuor Præfecturas, Bataviam Superiorem & Inferiorem, Mosivahaliam vulgo *Maes en Wael*, Tilensem & Bommelensem Insulas, una cum Beesda & Renoy.

Regnum Neomagense.

Regnum Neomagense regitur à suo Burggravio & Iudice, terminatur vero ad Septentrionem Vahali fluvio & Scabinatu Neomagensi; ad Orientem Clivia, ad Meridiem Mosivahalia. Complectitur pagos & Præturas, *Groesbeeck*, *Maurick*, *Hoemen*, *Malden*, *Ewijck*, *Wichen*, arce spectabili & eleganti conspicuum, *Boeningen*, aliosque.

Præfectura Bataviæ superioris.

Præfectura Bataviæ superioris omne id comprehendit, quod Schenkianam arcem & Novum aggerem interjacet; pagos habet, *Herwen*, *Aert*, *Dorenburg*, *Angeren*, ubi cerasorum optimorum ingens crescit copia; *Bemmel*, *Reessen*, *Doornick*, *Leut*, *Elst*, qui Ecclesiam habet pulcherrima turri, & Canonicorum Capitulo conspicuam, & in qua S. Willebrordus ejus conditor, una cum S. Werefrido sepultus quiescit; *Elden*, *Oosterholt*, *Valburgh*, *Hervelt*, *Andelst*, *Setten*, *Randwijck*, *Driel*, *Hetteren*; & in ipso insulæ principio, ubi Rhenus sese in duo extendit brachia, Arcem Schenkianam, natura & opere totius Belgicæ munitissimam, à Martino Schenkio anno 1580 inchoatam, & ab Ordinibus Fœderatis dein mirum in modum munitam; quam Fœderatæ Belgicæ clavem & propugnaculum appellaris.

Præf. Batav: Inferioris.

Præfectura Bataviæ inferioris sese à novo aggere usque ad Tilensem Insulam & Comitatum Burensem extendit; sub ea sunt Pagi & parochiæ sequentes: *Doywaert*, parochiarum hujus tractus antiquissima: *Isendoorn*, toparchia Vyghiorum, *Kesteren* olim Castra Herculis, *Echtelt*, *Maurick*, *Rijswijck*, *Soelen*, *Ochten*, *Avesaet*, *Lyenden*, *Ingen* & *Ravesway*.

Mosivahalia.

Mosivahalia proprie sic dicta continet quidquid inter Regnum Neomagiense & Insulam Voorn dictam jacet: in ea visuntur pagi *Drumel*, *Wamel*, *Alfen*, *Leeuwen*, *Maesbommel*, *Puffelick*, *Druyten*, *Aefferden*, *Burgharen* & *Asselt* superior & inferior.

Insula Tilensis.

In Tilensi insula sunt pagi; *Hemert*, *Varick*, *Opynen*, *Hesel*, *Nerynen*, *Meteren*, *Est*, *Thuyl*, *Haeften*, *Herwynen*, *Veuren*, *Geldermalssen*, *Deyl*, *Gellekom*, *Ruemen* & *Wadenoyen*.

Insula Bommelensis.

In Bommelensi Insula sunt *Heel*, olim officina monetaria conspicuus pagus; *Zuylichem*, Constantini Huygenii viri Clarissimi Toparchia; *Aelst*, *Nyewael*, *Gameren*, *Delwijnen*, *Kerckwijck*, *Bruykom*, *Dryel*, *Rossem*, & *Herwaerden*.

Præfecturæ Beesd & Renoy.

Præfecturam Beesdensem, & Renoyæ constituunt cognomines pagi: extenduntur vero ultra Lingam versus Comitatus Burensem & Culenburgensem: in hisce præfecturis est Abbatia olim celebratissima Mariæ Werda, sed nunc collapsa, & à belli injuriis in ruinas redacta.

Dynastiæ & Arces.

Præter hosce pagos in Tetrarchia Neomagensi plurimæ sunt dynastiæ alta justitia præditæ, nec non Nobilium arces, quarum præcipuæ hæ sunt: *Persingen*, *Vbbergen*, *Groesbeeck*, *Doddendael*, *Batenburgh*, *Horssum*, *Luyr*, *Oyen*, *Diden*, *Balgoy*, *Gent*, *Hemert*, *Bylant*, *Millingen*, *Pannerden*, *Meynerswijck*, *Rossem*, *Linden*, *Oudeweert*, *Mors*, *Wolfsweerd*, *Iudermitte*, *Dalem*, *Pouderoye*, *Neder Hemert*, *Ameroy*, *Aelst*, & *Hedel*, &c.

Neomagum Civitas.

Neomagum, prima totius Geldriæ Civitas, & hujus Tetrarchiæ metropolis, Vahalis ripæ adsitum, urbs hodieque amœna est, opibus & populo adfluens. Intus habet Hesorum montem, *Heselbergh* vulgo. Est & Hessi sive Hesi ejusdem porta, *de Heesen-poort* dicta, ubi ea inscriptio, *Hucusque jus Stavriæ*; & altera, *Hic pes Romani Imperii*, omnibus conspicienda patet. Est & area extra mœnia, quæ vulgo *den Roomschen voet*, *pes Romanus* indigitatur. Cujusmodi, aliaque, indicia omnia indubitata sunt, Romanos assidua hic olim stativa hibernaque habuisse. Qua autem oppidum Clivensem spectat ditionem quæ est contermina, in arduum collem assurgit: cui arx imposita antiqui operis, ex qua jucundissimus in urbem subjectam amnemque præterlabentem ac loca vicina despectus patet. Est præterea amplitudine sua ædiumque magnificentia, tum mercatu, præ cæteris Gelriæ urbibus celebris, inque annos singulos fortunam publice privatimque adaugens; & variis validisque circumquaque munitionibus adversus hostium insultus cincta, tum & annis superioribus commodissimam nacta navium stationem: præterquam quod anno millesimo sexcentesimo octavo, à Vahali fluento, qua in urbem trajectus est, Arenacum versus ad Rhenum prope usque Arenaci mœnia præterfluentem, per vicos superioris Bataviæ *Lente*, *Elst* & *Elden*, urbis utriusque impendiis fossa sit ducta, cataractis eum in modum instructa, ut per eam naves & cymbæ commeare, oneraque & sarcinas graviores ultro citroque transportare quam commodissime queant. De quo eodem opere, aut simili hic fossa ducenda, agitatum etiam olim tempore Imperatoris *Henrici* VII, & ejus de eo rescriptum haberi comperior. Est extra oppidum lucus, olim *Nemus Imperiale* seu *Neomagense*, cujus non semel in Historia mentio occurrit: Id densis arbustis fruticibusque,

busque obsitum, per Gelriæ exinde Cliviæque Duces excisum, fere nunc ubique pervium est. In eo lignandi pecoraque, ac suum præsertim greges, ad pastum emittendi præcipuum penes Neomagenses jus fuisse, ex codicillis ea de re antiquitus confectis, inque castro Hœmensi, ut testatur Berchemius, servatis, intelligere est.

Antiquissima ejus mentio in Tabula exstat Itineraria, quam Peutingerianam vocant: Eam namque Tabulam ad tempora Constantini, qui annum circiter Christi trecentesimum imperio Romano præfuit, referendam alii commonstrarunt. Quamvis interea etiam Tacito notum & indicatum sub vocabulo *Oppidi Batavorum* fuerit. Sequentibus seculis Francorum Regum, & ipsius Caroli Magni Imperatoris, hic palatium stetisse, præter cætera, Reginonis authoritas evincit, qui eum Imperatorem tria ait regnis suis primaria palatia constituisse, *Noviomagum, Aquisgranum* & *Divodurum* sive *Theodonis villam*, *Dietenhoven* vulgo. Fredericum quoque Barbarossam circa annum 1155 arcis, quæ vulgo *Valckenhoff* dicitur, cum *Vahalenhoff* potius, à flumine cui imminet, fortasse dicenda, quæque varie à Normannis Danisque fuerat divastata, reparatorem egisse, ingens saxum, quod è sepulchreto Divi Stephani ante annos complures erutum, loqui videtur; Ita enim habet:

Anno milleno postquam salus est data seclo
Centeno juncto, quinquageno quoque quinto
Cæsar in urbe situs, Fredericus pacis amicus
Lapsum, confractum, vetus in nihil ante redactum,
Arte, nitore pari, reparavit opus Novemagi:
Iulius in primo tamen extitit ejus origo,
Impar pacifico reparatori Frederico.

Postea in tantum crevit, ut jure totius Gelriæ prima sit habita. Quod ad ecclesiastica, agnovisse olim non quidem Trajectensem, sed Coloniensem præsulem, indicare videntur vetustiora hac super re monumenta.

Insignis est cathedralis Ecclesiæ, quæ protomartyri Stephano sacra est, chorus, ut vocant, sepultura illustris Catharinæ Borboniæ, quæ conjux fuit Adolphi Egmondani, Gelriæ Ducis VII, mater Caroli I, Ducis VIII. Haud procul inde eodem in choro adjacet Georgius Schenckius, sine tamen mausolei honore, virtuti ejus ac factis egregiis bello superiori haud immerito debiti. Templum ipsum eminet præcipue capacitate, altitudine, structuræ elegantia atque arte, tum & columnarum ordine ac symmetria. Ei proxime est adsita urbis schola, quæ haud minori quam templum opere atque artificio elaborata, statuis aliisque ornamentis exterius conspicua est. Est & Curia nobili & polito opere, habetque in frontispicio Imperatorum quorundam statuas; eorum præcipue, quorum largitione & beneficentia crevit Respublica. Sunt & alia templa, ædesque tum sacræ tum prophanæ, magnæ molis magnique artificii. Vrbs ipsa jus semper habuit, & hodie etiamnum retinet, cudendæ monetæ.

Ingenia olim incolarum tractandis armis bellisque gerendis supra modum dedita, postmodum etiam distrahendis mercimoniis se tradidere: & artes denique ingenuas cœperunt colere. Flagrantissima ipsorum in Principes, Egmondano sanguine ortos, fuisse studia, innumeræ calamitates cladesque, quibus diversis temporibus sunt mactati, indicio fuerint. Singulæ enim domus singula fere capita, dum jus eorundem Principum pro virili adserere conantur, amisere.

Tiela. A Neomago *Tiela* quatuor circiter milliaribus distans, oppidum est in dextra Vahalis ripa situm, facie oblonga Vahalique prætextum: habens suburbium in boream obversum, *Sandvici* vocabulo, quod propugnaculi vicem præstat, opere & natura longe munitissimum. Hoc olim arcta obsidione ab exercitu Cæsareo Caroli ejus nominis V, circumdatum, inanes ejus conatus facile contempsit, & pericula exivit, non sine honoratæ militiæ exemplo gloriaque, ut fuse docet historia. Et exhibet hodieque ejus rei egregium documentum inscriptio, quæ legitur apposita frontispicio portæ Burensis, cujus hi versus sunt:

Aspice qui transis hanc portam, mœnia, turres,
Tormentis, jaculis quam lacerata feris?
Fortius exurgam Batavorum gentis asylum,
Pro quibus ut vici, prælia dura mihi.

Vrbs ipsa intra mœnium complexum id tantum incommodi experitur, quod plateæ nomen haud servantes ob angustias & crebra diverticula civitatem minus perflabilem, & morbis idcirco ab aëris contagio venientibus obnoxiam faciant; Est hoc oppidum multorum opinione antiquius, utpote cujus meminit Gemblacensis circa annum à Christo nato CCCCLI, sed in melioris notæ codicibus; Vulgaria enim exemplaria perperam *Ticla* præferunt. Dignitatem & decus satis loquitur, quod ex sententia quorundam caput olim ac metropolis fuerit Comitatus Testerbantiæ. Res gestæ oppidanorum præcipue illustres sunt ex commemoratione eorum quæ contigerunt circa annum CIↃ CCC LXXII & sequentes; quibus temporibus maximum semper momentum attulisse memorantur ad victoriam iis, in quorum tum fide atque obsequio agebant. Et est præcipue memorabilis, quam tentasse, sed frustra, Imperatorem Carolum jam diximus, arctissima obsidio. Natus hic Tilamque exornat Iohannes Possellius, Theologiæ apud Colonienses olim Doctor, & cujus diligentiæ ac beneficio debetur Tomus IV. operum divi Augustini.

Bomelia. Hac felicior *Bomelia*, quæ ut non multo majore quam Tiela spatio circumscripta est, ita, ob decentem platearum cum ordinem tum amplitudinem, cælum liberius puriusque admittit. Hæc insulæ, cui nomen dedit, caput est. Reperioque in antiquis codicillis vulgo & populariter olim *Saltbommel*, sive *Salinarum Bomelium* vocitatam, idque ad differentiam Bomeliæ, quæ in vicino est, Maesbommel dictæ. Situm habet ob Vahalis præsertim fluentum, quod urbem læva alluit, commodissimum. Tum & munitiones ac propugnacula, quibus per ambitum circumcingitur, eam quodammodo inexpugnabilem efficiunt. Primos tamen urbi muros ac privilegia dedit Otho Nassavius in Ordine Comitum Gelriæ septimus, circa annum CIↃCCXXIX. Reliqua belli hujus tempore adversus vim vicini hostis, illi perpetuo imminentis, adjecta sunt. Quibus accedunt & alia duo validissima propugnacula haud urbe



TETRARCHIA
Ducatus Gelriæ
NEOMAGENSIS.
CVYLENBVRG.
TIEL.
NIMMEGEN.
SALT-BOEMEL.
BVREN.
VLTRAIECTI PARS.
VELAVIÆ PARS.
ZVTPHANIÆ PARS.
HOLLANDIÆ PARS.
COMITATVS CVILENBVRG.
COMITATVS BVREN.
NEDER BETVWE
OVER BETVWE
TYELER WAERD
MAESWAEL
TRYCK NIMMEGEN
BOEMELER WAERT.
Maes-landt.
Ravesteyn.
t Landt van Cuyck.
Meyery van den Bos.
BRABANTIÆ PARS.
CLIVIÆ PARS.
Duffel.
Arnhem
Wageningen
Rhenen
Wyck te Duerstede
Culenburg
Buren
Tiel
Vyanen
Leerdam
Heusden
Doesburgh
Zevenaer
Cranenburgh
Gennep
Goch
Cleeff
's Hertogenbos
Notarum Explicatio
Steden. Oppida
Forten. Fortalitia
Dorpen. Pagi
Edelhuysen. Nobilium ædes
Cloosters. Monasteria
Buerschappen. Vici
Wint-molens. Molendina
Reduyten.
Kercken onder 't water of verdroncken. Ecclesiæ submersæ.
2. Horæ itineris.
1
2
Scala van twee Vren gaens.

Munimentum Santandreæ. urbe procul in eadem insula: Quorum illud *Sant-Andreanum* vocant, exstructum ab Andrea Austrio Cardinale, Mosaque ac Vahali cinctum: hoc ab insula Vorensi *Vorenum*, *Vorenum.* vel ab ipso conditore Principe Mauritio Nassovio *Nassovicum* dicitur, situm inter insulam Tielensem Bomeliamque, & territorium Mosa-Vahalium, Mosâ similiter Vahalique circumdatum. *Santandreanum*, quod hosti ereptum aliquot jam annis Ordinum Fœderatorum imperio subjacet, in agro Rossemio est collocatum, ubi & fanum hodieque visitur superbo sepulchro *Martinii Rossemii*, nobilissimi exercituum ductoris, quem ut Achillem Gelricum, aut alterum Hannibalem sua ætas extimuit, celebre. Intra urbem templum est operis vetustate lucisque infusæ copia admodum insigne, sibique per omnia simile ac uniforme, utpote quod ab uno eodemque architecto, eodemque tempore, nulla propemodum operis parte interrupta, & cœptum & absolutum fuit. Arcem, quæ plerumque urbibus specie servitutis imponitur, anno 1537 oppidani à fundamentis dirutam subverterunt; quorum jam olim etiam virtus & hisce quoque in bellis spectata celebrataque habetur.

Ager urbi adsitus in planitiem sternitur, qui ubi aratris excolitur, segetem lætissimam producit; ubi vero est pascuus, maximum ex eo rei pecuariæ quæstum cives faciunt. Ei primum in hanc lucem ortum debet, præter Henricum Bomelium, qui de bello Trajectensium cum Gelris vicinisque populis historiam contexuit, etiam Elbertus Leoninus, Gelriæ quondam Cancellarius. Cujus Consilia, aliæque in publicum editæ lucubrationes, ut hodie adhuc omnibus, qui Juris studia sequuntur, usui sunt; ita ipse dum viveret, & ad clavum reipublicæ sederet, singulari prudentia ac moderatione præditus, veteres illos Juris Interpretes Papinianum aut Trebonianum in memoriam sui ævi exemplo suo revocavit.

Comitatus Burensis. Cæterum cum in Geldrico solo, & quidem Neomagensi in Tetrarchia siti sint Burensis & Culenburgensis Comitatus, piaculum fuerit eos hic præterire. Est itaque Bura oppidum Tila, Batavoduro & Culenburgo pari fere unius leucæ intervallo dissitum, arce egregia & sat munita, in qua Adolphus Gelrus patrem Arnoldum captivum detinuit, spectabile; & Comitatus titulo, & dignitate insigne, ad Principes Auriacos successionis jure devolutum. Complectitur præterea Comitatus hicce præter oppidum pagos aliquot, quorum præcipuus *Boesichem*, nundinis equorum & arce, domicilio Dominorum Culenburgensium olim insignis, qui matrimonii jure in Burensium Dominorum possessionem transiit. Cæteri sunt *Tricht*, *Buyren-Malgen*, *Sermond* & *Ast*. In Comitatum vero erectum est hoc Dominium à Maximiliano Cæsare anno 1491, in gratiam Frederici Yselsteinii Burensium Domini; hujus è filio Florentio natus est Maximilianus, cujus filiam Annam Egmondanam domum ducens Guilielmus Nassavius, Princeps Auriacus, Comitatum Burensem simul in familiam Illustrissimam Nassavio-Auriacam intulit.

Comitatus Culenburgensis. Cuylenburgum oppidum, & cognominis Comitatus caput, ad Leckam situm est, pari fere Bommelia, Viana, Batavoduro & Bura intervallo, arce eximia, Comitum domicilio & sede, superbiens, Comitatus titulum adeptum est à Carolo V, Imperatore, in favorem domini sui Florentii Pallantii. Ei successit Filius Florentius II. quo sine liberis mortuo, Comitatum adeptus est Philippus Theodorus, Comes Waldeciæ & Piermontii ejus cognatus, cujus filius Walramus Comitum tertius hodie Comitatum possidet. Inter varia vero oppidi privilegia & immunitates, jus asyli, quod in eo quivis criminum alibi commissorum rei adipiscuntur, non minimum est; præter oppidum vero, Comitatus quatuor alios pagos complectitur, qui sunt, *Suyrding*, *Sydervelt*, *Goberding* & *Redishem*.

SVT-

ZUTPHANIA COMITATVS, SIVE GELDRIÆ TETRARCHIA ZVTPHANIENSIS.



Ertio ordine est Zutphaniensis Tetrarchia & Comitatus, per matrimonium Ottonis Nassavii Gelriæ conjunctus, cujus non solum membrum censetur, sed etiam inter septendecim Belgicæ peculiarem Provinciam constituit. Habet ab Ortu Westphaliæ fines, ab Aquilone Trans-Isalaniam, à meridie Cliviam; qua in occidentem vergit à Velavia separatur flumine ac fossa Drusi. Nomen habere à pascuis declivioribus, quæ *venen* nostratibus vocantur, & *Zudt*, quod austrum notat, quasi locum dicas ad pascua & paludes australiores positum, nullum sit dubium; præsertim cum boream versus urbi adjacere Latifundium constet, quod *Noortveen* hodieque vocant. Quam autem fallantur, qui ad *Vsipetes* nominis originationem referendam putarunt, hinc liquet: Et Pontus quoque Heuterus, qui *Suet-veen* dictum comminiscitur, quasi *dulce pascuum*, cum id refellat manifesto alterum illud, de quo jam indicatum, latifundium versus Aquilonem *Noort-veen* dictum. Vrbs ipsa populosa est, dives, nec situ minus quam arte munitissima. Eam Berkela fluviolus transit, seque in Isalam exonerat. Qua urbem interluit, mediam veluti secat, ac pontibus vicissim duobus jungit; unde hæc pars hodieque adhuc nova, illa vetus civitas appellatur. Versat & idem amnis molendina aliquot intra oppidi complexum. Abest Arnhemio quatuor, Drusiburgo uno & semi, Neomago sex milliaribus. Ecclesia summa *D. Walpurgi* sacra est, elegans, sumptuosa, pervetustæ structuræ & artificii. Turrim habuit altissimam, quæ bis de cœlo fulmine tacta conflagravit, indicantibus id, atque annum 1446 & 1600 præferentibus, quæ turris ejusdem foribus superadditæ utrimque sunt, inscriptionibus. Templum hoc Canonicorum collegio nobile est & Præpositura, cujus ea olim dignitas fuit, ut eam subinde Comites administrarint. Hoc collegium à quo & quando sit institutum, haud satis constat. Verisimile interim est authorem ejus exstitisse Othonem Nassovium ejus nominis primum, Gelriæ ac Zutphaniæ Comitem. Vtpote cujus monimentum, ut & conjugis ipsius (quæ est fere omnium sententia) hodieque adhuc in medio templi duabus elevatioribus tumbis ostenditur. Visitur præterea in eadem æde baptisterium ex ære fabrefactum; quod ob structuræ elegantiam suique amplitudinem, tum & materiæ præstantiam, oculos transeuntium tenet, cunctisque admirationi est. Ad partem templi orientalem Bibliotheca est publica, varietate librorum mediocriter instructa: cui auctarium quotidie accedit ex Senatus amplissimi liberalitate. Ei antiquitus Schola fuit vicina, quam exinde Senatus transtulit ad monasterium Prædicatorum, in meditullio circiter urbis situm.

Termini. *Nomen.* *Zutphania Vrbs.* *Templum.* *Collegium Canonicorum.* *Bibliotheca.* *Schola.*

Inter alia præterea urbis ædificia reliquiæ habentur, seu rudera potius domus cujusdam Prætoriæ, quæ, ut existimatur, vetustissima Comitum Zutphaniæ sedes fuit. Vnde & hodieque locus ille prope portam piscatoriam, *op des Graven hoff*, vulgo vocatur. Ab eodem haud procul alta quædam turris visitur, quæ portæ vicem aliquando obtinuisse putatur, in formam altissimæ pyramidis quadrilatera: Est ex coctis lateribus fabricata, populariter ab inhabitatore quondam ejus *Droogenaps-toorn* appellant, egregium adhuc urbis ornamentum: unde & longus ac liber in agros vicinos datur prospectus. Prope templum, de quo supra dictum, Curia spectatur ampli ac magnifici operis. Cui contiguum est Collegium Deputatorum totius Comitatus. Nec omittenda Prætoria domus Generosi Comitis Bronckhorstii, annos ante plures in usum ejus familiæ exædificata. Est & œnopolium vetusti operis speciem præferens.

's Gravenhoff. *Curia.*

Quod ad reipublicæ administrationem attinet, ea præcipue aristocratica est. Celebraturque per Consules & Scabinos XII numero: Qui pro veteri more ac jure sine alterius alicujus superioris voto sibi quotannis in festo Petri ad cathedram collegas unanimi omnium suffragio designant; novos adsciscunt, aut in locum demortuorum pro re nata alios substituunt. Dignitas hæc perpetua illis est, nisi quis eam ultro abdicare velit, aut ob enorme aliquod crimen à Collegis removeatur. Omnes hi jus simul dicunt; causas autem forenses secundum statuta ac jus consuetudinarium dijudicant, nec ab illorum sententia de re judicata ad alia fora fit appellatio. Iuxta idem hoc jus consuetudinarium Zutphaniense, præter urbes ejusdem hujus Comitatus, quas minores vocant, etiam aliæ extra Comitatum, in Velavia & Clivia sitæ, civibus suis jus dicunt.

Reipublicæ administratio.

ZUTPHANIA COMITATUS, sive Ducatus Gelriæ TETRARCHIA Zutphaniensis.

Notarum Explicatio

- Steden Oppida
- Forten. Fortalitia
- Dorpen. Pagi
- Edelhuysen. Nobilium ædes
- Cloosters. Monasteria
- Buertschappen. Vici
- Watermolens } Molendina
- Wintmolens } Molendina

1 Horæ itineris.

Scala van een Ure gaens.



39

Quod si autem graviores lites & controversiæ juridicæ incidant, quibus se illæ extricare nequeant, eas ad hanc rempublicam tanquam ad aulam quandam communem, solennibus ceremoniis interpositis, deferunt (*ter hoffart* vocant) discutiendas: Quas magistratus tum ex suo jure municipali dijudicat, & judicatas, pro authoritate judiciali in perpetuum ratas remittit. Tantæ celebritatis fuisse antiquitus hoc dicasterium reperio, ut etiam ex oris remotissimis hinc expetitæ consultationes fuerint. Habet item urbs inter alia privilegia vetera unum de non evocando ad curias exteras, ab Arnoldo Egmondano Gelriæ Duce primo concessum, & ab aliis deinceps confirmatum. Hoc privilegio gaudet, quoties de gravioribus negotiis Comitatum concernentibus, quæstio est: Tum enim Magistratus Comitum, Baronum, Nobilium conventum indicit; Deputatos ex minoribus oppidis convocat, & literis datis, ut se ad certum hic diem sistant, invitat. In hoc conventu Iudices pro tempore præsident, actionemque moderantur proponendo votaque colligendo, quæ omnia à Civitatis Secretario excipiuntur, & in Chartophylacio custodiuntur. Alias privilegium, cujus in historia fit mentio, de non evocando Spiram, ab Imperatore Henrico II indultum, non tantum Comitatum & urbem Zutphaniæ, sed Gelriam universam respicit. Controversiæ hîc quoque feudales juxta jus feudale Zutphaniense, non minus quam lex Salica, apud exteras etiam gentes celebre, dijudicantur, sub dio & in loco ad id designato sub quercu juxta rudera veteris domus prætoriæ, cujus superius injecta mentio. Inque rei hujus perpetuam memoriam adservatur adhuc sella, cui solet insidere judex jus dicturus. Habet insuper oppidum jus cudendi monetam, cujus testimonium præbent nummi Zutphanienses, qui multorum adhuc manibus teruntur, ut & depensum illud annuum, quod quotannis, pro cessatione à cudenda moneta, ab Ordinibus Generalibus solvitur, & in publicas Provinciarum rationes, relatum habetur. Fines ac jurisdictio urbis se etiam ultra Isalam versus Veluviam protendunt. Pertinetque huc, qui est ultra Isalam veterem & Emporæ pontem, proximus districtus.

Antiquitas. Antiquitatem ejus ex eo æstimare est, quod ab ipsa Comitatus totus nominetur, ac eum titulum ac dignitatem obtinuerit, cum Gelriæ Ducatus præfecturæ adhuc titulo insigniretur. Refert Berchemius, antiquissimis & ante conditam Zutphaniam ipsam collegiumque Zutphaniense temporibus, appellatos Zutphaniæ principes Comites *de Zelhem*, verbis quæ ita habent: *Pristinis temporibus Comites Zutphanienses ante ædificationem civitatis & collegij Zutphaniensis Comites de Zelhem dicebantur; de quorum genere quidam dictus Baldericus Comes instituit castrum Zelhem inter Niel & Meer Dufsliæ: de cujus prosapia certos Comites de Zelhem, videlicet Theodoricum Comitem ejusque fratres Alardum & Gerhardum, cum eorum posteritate sexus utriusque, cuidam antiquissimo Missali ecclesiæ de Meer in eorum memoriam vidi inscriptos. Dictus vero Comes Baldericus, Comes de Zelhem, tandem dejecto dicto suo castro de Zelhem, cum ipsius lapidibus erexit monasterium monachorum Ordinis Sancti Benedicti, nunc vero Canonicorum secularium, Zeflicensis, quod amplissimis fundavit & donavit reditibus. Sicque Dufslia cum Zeflicâ ditione Comitis Zutphaniensis fuisse videntur: licet nunc Dufslia ad Gelriæ, & Zeflica ad Cliviæ accesserint Principatus.*

Loca. Loca in Zutphaniensi Comitatu sita non unius naturæ aut genii sunt: alia enim Baroniæ audiunt, aliæ civitates, quædam Præfecturæ habentur, nonnulla æstimantur dominia. *Baroniæ.* Inter Baronias prima est Bronckhorstia, ac primum in tertia hac Gelriæ Tetrarchia occupat locum, Comitatus titulo insignis, quamvis in Comitiis Baro tantum ejus appelletur Dominus, sita est ad dextram Isalæ ripam, unico Zutphania milliari distans. Possidetur hodie ab Othone Comite Limburgensi, Domino in Styrum.

Alteras sibi partes vindicat Baronia Bergensis, quæ itidem Comitatus titulo insignis; non contemnendum terræ tractum continet: primaria Comitatus est *s'Herenberga*, Civitas Deutecomio distans sesqui milliari in loco admodum amœno, montibus, pratis, & sylva undique cincto sita, arcem habet spectandam, Comitum suorum sedem & domicilium; præterea pagos & baptisteria, vulgo *Kerspelen*, complectitur, *Gendringen*, *Esten*, *Zedden*, *Netterden Didam*, *Westervoort*, & *Dieren*. Comites Bergenses illustri prosapiâ oriundi (ex Henrico enim Ottonis Nassavii primi Gelriæ & Zutphaniæ Comitis filio secundo genito, Domino Bergensi, & nobilissima Leckiorum Dynastarum Bredanorum familia descendunt) in Historiis Belgicis sæpius memorantur, præsertim Guilielmus, ejusque filii Hermannus & Fredericus, ambo aurei velleris Equites, hic, Frisiæ, Artesiæ, Flandriæ, post Geldriæ, nomine regio, Gubernator, qui in nuperis bellis civilibus egregiam & fidelem Regi Hispaniarum præstarunt opem. Henricus eorum frater & in Comitatu successor, Hispanici exercitus non semel Dux, in Ordinum Fœderatorum post partes transiit. Hodie possidetur Comitatus ab Alberto Comite Bergensi, Marchione Bergæ ad Zomam &c.

Tertius locus debetur Baroniæ Barensi, *van Baer en Lathem*, quæ in amœnis pratis & pascuis ad initium Isalæ sita est, possidetur hodie à Domino de Anholt.

Quarta est Baronia Wissensis, in qua est Burgum, oppidum ad Isalam veterem situm, portis fossisque præditum, sed mœnibus carens; possidetur hæc Baronia conjunctim pro indiviso, ratione jurisdictionis à Comitibus Bergensi & Limburgensi, & complectitur præter dictum oppidum, baptisteria *Sillewold* & *Versseveld*. *Civitates.* Baroniis succedunt civitates, quarum metropolis est *Zutphanium*, de quo jam memoravimus. *Minores Civitates.* Post Zutphaniam minores sunt *Doesburgum*, *Dotechomium*, *Lochemum*, *Grolla*. Bredevordia quamvis in Comitatu sit sita, non tamen ad Comitatus civitates, sed præfecturas refertur, ut inde patebit. His accenseri insuper solent, utpote ejusdem Comitatus districtu contentæ, quamvis, ut jam ostensum, dynastas suos seorsim agnoscentes; *Bronchorstium*, *Burgum*, & *'sHeerenberga*. Minorum igitur civitatum *Doesburgum* contracte dicitur pro *Drusiburgo*. *Doesburgum.* Extitit enim conditor ejus *Drusus*, Augusti privignus, postquam opere militari

litari ad duo circiter milliaria fossam de suo nomine *Drusianam* ex Rheno in Isalam, quæ vetus nunc dicitur, duxisset. Meminit ejus præclare Tacitus secundo Annalium, ubi inquit: *Iamque classis advenerat (ad principium agri Batavi*, ubi nunc Schenkianum propugnaculum) *cum præmisso commeatu, & distributis in legiones ac socios navibus*, Fossam *cui* Drusianæ *nomen, ingressus* (*Germanicus*) *precatusque Drusum patrem, ut se eadem ausum, libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret: lacus inde & Oceanum usque ad* Amisiam *flumen secunda navigatione pervehitur.* Ex quibus etiam fossæ ejus ducendæ causa adferri potest. Neque enim in id solum ducta Druso fuerit, ut adversus Germanos munimentum esset, sed etiam ut averteret vim & impetum aquarum novo aquæductu, tum præcipue ut classem ea via in septentrionalem Oceanum Amasumque deduceret, ad expeditionem, quam in Cheruscos moliebatur: Ejusque vestigiis insistens exinde filius Germanicus, eadem via Oceanum borealem, indeque Amisiam cum classe ingressus est, ut verbis jam ostensum Taciti. *Deutecomium* sive *Deutechemum* veteri Isalæ adsitum, primo statim lapide supra Doesburgum est collocatum. Muro quidem cingitur lateritio duplici, sed ad vim majorem invalido. *Lochemum* Berckelæ fluviolo adjacens, Zutphanio fere duobus milliaribus abest. Ab eo vicissim *Grolla* duobus similiter milliaribus remota, nomen habet à loci viriditate ac depressione, quasi *Groenloo* dicas; nec enim aliter quam Gronlo in publicis instrumentis indigitari suevit: populariter autem & per synæresin *Grolla* dicitur. *Bredevordia*, ut loci situ, ita additis nuper propugnaculis, firmoque imposito præsidio prævalida est. Habet arcem atque oppidum, ad quæ non nisi duplici per paludem aditu accessus patet. Dominum agnoscit Principem Nassovium pignoratitium, vulgo *Pandt-Heer* dicimus.

Deutecomium. *Lochemum.* *Grolla.* *Bredevordia.*

Præfecturæ.

Post civitates *Præfecturas* posui: inter quas primo censenda loco, quæ ipsius est Comitatus, vulgo *het Landt-Drostampt des Graefschaps Zutphen.* Hæc Præfectura in duo dividitur tribunalia; quorum unum Dotinchemi sedem habet, alterum Dusburgi. Tribunali quidem Dotinchemensi subsunt baptisteria, vulgo *Kerspelen*, ut sunt *Ruerloe, Hengel, Zelhem, Hummel, Deutechem:* Dusburgico vero paret illud, quod vernaculè *Steenre.* Ab hac secundum locum tenet præfectura Zutphaniensis, *het Scholtampt van Zutphen:* Ei subjacent *Warnsfelt, Wichmont, Vorden, Almen, Gorssel.* Tertia præfectura est Bredevordia, *het Drostampt van Bredevoort.* Hæc subdividitur in munimentum, quod vulgo *het Vest van Bredevoort;* & pagos, quorum nomina *Wenterswyck, Alten, Dinxperloe.* Quarta est præfectura Doesburgensis, *het Richterampt van Doesburgh:* cujus jurisdictionem agnoscunt *Angerlo, Drempt & Keppel.* Quamvis alii dominio hoc esse exemptum, ac proprium habere dynastam volunt. Quintum & postremum obtinet locum Præfectura Lochemiensis, *het Scholt-ampt van Lochem*, cui circulus subest, quem *Werwoldium* vocant, *den kringh van Werwolde.*

Dominia.

Iam quæ ultimo loco dixi *Dominia*, sunt *Borkelo, Anholtium & Wissense.* Quorum Anholtium vult esse feudum Imperii, neque alium præter Cæsarem agnoscere superiorem: Gelri contra asseverant. Dominium Wissense, vulgo *de Hoogheyt Wijch*, pro indiviso ratione jurisdictionis duobus parens Dominis, scilicet Comitibus Bergensibus & Limburgensibus, à Præfectis vel Prætoribus duobus gubernatur: qui vulgo *Drossaerts.* Ius illi dicunt tribus baptisteriis (*Karspelen* vulgo) *ter Borcht, Silvelt & Varsevelt.* Horum *Borcht* sive *Burgum* oppidulum seu potius municipium est, habens Magistratum & Scabinos. Satrapia denique Bredevordana in eodem hoc Zutphaniensi Comitatu, *Bredevorda* præcipue oppido clara est, utpote vallo & fossis adversus hostium insultum egregie hoc tempore communito. Hoc, ut dictum, non ad Comitatus civitates, sed præfecturas solum spectat. Olim quod ibi fuit monasterium *Nazareth* dictum, id primitus à fratribus cœnobii Windeshemensis Trans-Isalanæ ditionis exstrui est cœptum; cum ii scilicet Pontificis Romani interdicto, ob Suederum Culenburgium, Præsulem Trajectensem premerentur.

VELAVIA
Conſtituens Geldriæ Tetrarchiam
ARNHEMIENSEM.



Nomen. Elavia, à ſocia Germaniarum tellure violenter per Druſi foſſam avulſa, non minimam Geldriæ conſtituit portionem, & quartam ordine Tetrarchiam: de nominis origine inter ſeſe differunt, varieque ſentiunt autores. Quidam Bataviæ vicinæ reſpectu, quæ optima & præſtantia habet latifundia, Velaviam quaſi *Vaelouwe*, quod linguâ veteri agrum gilvum colore, & incultum ſignificat, dici exiſtimant; nonnulli quaſi *Veelouwe*, ut multitudo quidem intelligeretur latifundiorum, ſed Bataviæ comparando minus præſtantium. Tertii à locis paluſtribus, quibus hinc inde abundat Velavia, quaſi Venaviam dictam, augurati ſunt. *Termini.* Contigit vero Velavia ad Orientem Zutphaniæ Comitatum flumenque Iſalam: qua Boreas ſpirat Trans-Iſalaniam, à ſeptentrione Auſtrinum mare ſive Flevi lacum; ab occaſu Vltrajectina eſt ditio & paludes Rhenenſes. Magnam ejus partem Brabanto parentem in dotem acceptam Gelrici juris fecit Henricus Naſſavius I, Geldriæ Comes III, Sinardâ Gothofredi Lotharingiæ Ducis filiâ in uxorem ductâ. Gerhardus vero patris Henrici ſucceſſor & filius Velaviam in feudum ab Henrico I, Duce Brabantiæ, quam idem Dux ab Epiſcopo Vltrajectenſi in feudum tenuit, hinc exorta bella; donec inter partes conventum ſit anno 1196: Quod Epiſcopus de novo Velaviæ Comitatum à Cæſare, Lotharingus dein ab Epiſcopo, & Comes Geldriæ à Lotharingo in feudum acciperet; in quo diplomate notandum Velaviam Comitatus titulo inſigniri.

Qualitas. Cæterum, ut jam ante monuimus, ager Velaviæ non adeo fertilis, & plerumque incultus: unde in veteri quodam Principis Arnoldi edicto dicitur *een Wilt en bijſter lant*, regio inculta, horrida; niſi ad ripas Rheni in Velaviæ fimbria, & Iſalæ fluvii nec non littora ſinus Auſtrini: undique ericetis, ſylvis & dumetis eſt conſitus: in quibuſdam etiam locis paludes habens; è quibus ceſpites foco inſtruendo idoneos eruunt incolæ. *Sylvæ.* Sylvæ præcipuæ arbuſtis, quercubuſque ac pagis prædenſæ ſunt, *Putter, Eedſſe, Gorteler, Speulder, Boerloeſſe, Coerder*, *Vcheler* & *Wekrommenſis* ſylvæ.

Flumina. Flumina interna non habet, ſed rivos potius exiguos, quorum Griffta paulo ſupra Hattemum eſt, *Dorefaert* Daventriam inter & Zutphaniam infra Sinderam pagum Iſalæ illabitur. Eſt & Grebba amniculus intra Wageningam & Rhenam Rheno influens, aliique. Hi omnes molas papyraceas, & cupri complurimas circumagitant. Lacus ſeu potius ſtagnum in ipſo Velaviæ meditullio unum duntaxat eſt, haud late patens, quod vulgo *Vdlermeer* vocitant. In ſylvulis, Hardervico præſertim conterminis, lætiſſimus eſt vacciniorum (fructus eſt baccarum formâ inter eduliorum delitias haud poſtremus, quem Belgæ *Blauwe beeſen* vocant) proventus, quorum adeo incredibilis copia Amſtelædamum, perque totam Hollandiam devehitur, ut ſolum transportationis naulum aureos ſubinde trecentos, aut quadringentos excedere naucleri affirment; denique & pſeudo-adamantes, quales habentur Gallici, Bohemici, prope Arnhemum ſat magna reperiuntur copia. *Vrbes.* Vrbes complectitur Velavia Arenacum, Hardervicum, Wageningam, Hattemum, & Elburgum.

Arnhemum. Arnhemum ſive Arenacum, Tetrarchiæ nomen dans, ejus eſt metropolis, & totius Ducatus Conſilii primarii ſedes. Oppidum copioſum, elegans, ac modis omnibus munitiſſimum. Ad portam Sabeliam mœnia urbis alluit Rheni alveus: Qua vero Velaviam ſpectat, torrens ex collibus propinquis ortus, ac multis in locis ſuburbanis molendina circumagens, urbem ſub extremum influit, molamque aquatilem intra urbem maxima civium commoditate ciens, in Rhenum ſeſe exonerat. *Portæ.* Portæ ſunt quatuor, quas Carolus Dux è coctili lapide egregie communitas adverſus vim externam veluti propugnacula conſtituit. *Situs.* Situm eſt medio inter Neomagum & Druſiburgum itinere, diſtans utrinque duobus circiter milliaribus. Verſus Velaviam, & qua Vltrajectum itur, extra urbem collis attollitur, ex quo amœniſſimus in proximos Bataviæ agros deſpectus ſe aperit. Eadem quoque parte Boream verſus Velaviæ ejuſdem colles colliculoſque habet, ſilvis hinc inde atque ericetis conſitos: in quibus magna cum voluptate varia ferarum genera venantibus paſſim occurrentia capi ſolent. Ad meridiem vero & Rhenum ultra offerunt ſeſe, quos dixi, Bataviæ campi, avenæ, hordei, tritici, fabarum piſorumque feraciſſimi. Antequam bellum, quod tot per annos noſtra jam vidit ætas, ingrueret, Canonicorum collegium habuit, quod olim à Walgero, Teiſterbantiæ principe, in urbe Tiela erectum, huc, tanquam in locum tutiorem, anno Chriſti 1328 tranſlatum memoratur. *Collegia ac monaſteria.* Fuit & Franciſcanorum in parte urbis Auſtraliori cœnobium, in cujus delubro Caroli Ducis viſcera & cor præſertim condita: Corpus ipſum in adyto interiori templi Cathedralis, quod opere magnifico exſtructum, D. Euſebio eſt ſacrum, ex marmore cælato ſepulchrum accepit, cui & Principis effigies adfabre elaborata eſt addita. Fuere & alia, ut Rho-

Rhodienſium fratrum in Aquilonari regione, & ad ſolem orientem Virginum veſtalium cœnobia. Inter Xenodochia, quæ duo ſunt, tutiſſima egentium refugia, etiam Gerontotrophium eſt, annuis reditibus probe locupletatum, ubi cives tenuiores, & qui novercante fortuna ad inopiam redacti ſunt, pia liberalitate ſuſtentantur. Fuerunt & olim ſuburbana monaſteria, excepto, de quo dictum, Rhedechemenſi cœnobio, tria, locis amœniſſimis collocata, & pari propemodum itineris intervallo ab urbe diſſita. Primi ordinis habetur, quod Auguſtino dedicatum, Mariendalium vocarunt. Hujus præ cæteris ſodalitii in egenos pietas celebratur. Alterum, cui *Monachuſio* nomen, à Reinoldo II, Gelriæ Duce, ejuſque conjuge Leonora, Anglorum regis filia, conditum, multis heroum ac Principum mauſoleis celebre eſt habitum. Tertium Betania eſt dictum, ubi virginum Veſtalium fuit ſodalitium. Hodie eorum omnium reliquiæ ſolummodo in muris & ruderibus conſpiciuntur. Nec præteriri ſilentio debet, Oſterbekam, qui humilis hodie ac urbi proximus eſt pagus, claram eſſe natalibus Imperatoris Henrici III. Ex intima vero vetuſtate hoc addendum, iſta in urbe ſtativa habuiſſe olim legionem Romanorum decimam: quod authoritate Taciti conſtat. Quam eandem legionem, à criſtatarum caſſidum inſignibus, Gallico vocabulo Alaudam dictam, facere fidem Cæſar poteſt; quanquam & Veterana & Germanica quoque poſtmodum eſt appellata. Eam univerſam idem Cæſar, quod diſciplina cultuque Romano inſtituta præclare ornataque eſſet, civitate donavit. Labentibus inde ſeculis Philippus, Auſtriæ Dux Rexque Hiſpaniarum, gravi fatigatam obſidione ſuam in poteſtatem annum circiter Chriſti 1504 redegit. Verum *Carolus* Dux ſexennio poſt, exulum ſociorumque auxilio, ſuperatis inſigni ſtratagemate de nocte mœnibus, majore fortuna quam viribus Burgundionum ejecit præſidia, ac ſuo urbem ſubjecit imperio. In quo ad annum uſque Chriſti milleſimum quingenteſimum trigeſimum octavum conſtanter permanſit, donec defuncto Principe multarum civitatum exemplum ſequuta, in verba Guilielmi Cliviæ & Iuliaci Ducis juravit, ac tandem omnibus Gelriæ locis invicta atque inſuperabili Caroli Cæſaris virtute ad obſequium reductis agnoſcere poſtliminio, ac recipere Burgundos coacta fuit. Tum & Senatus ejuſdem Cæſaris juſſu circa annum 1543 inſtitutus, qui hodieque Provincialium controverſias ex æquo ac bono diſceptat. Monetæ cudendæ jus duobus jam ante, & quod excurrit, ſeculis impetraverat urbi Reinaldus, ejus nominis Comitum primus. Et fuit exinde ſolennis inter negotiantes numeratio per aureos Arnhemicos, ut liquet vel ex hiſtoria, & actis præſertim ac Chronicis Friſiorum.

Hardervicum.

Ab Arnhemo proximum eſt Hardervicum maritima civitas ratione Auſtrini ſinus, qui quotannis haud exiguum hic incrementum ſumit. Nam ubi annis abhinc non multis, à parte præſertim urbis ortiva, virentia fuere paſcua, nunc omnia mare adedit & abolevit, ita ut mœnia non tantum urbis, qua parte mare ſpectat, ſed latera quoque Occidentis & Orientis interiora alluere magis magiſque fluctus incipiat, niſi munimentis aſſiduis & novis obicibus foſſæ urbis, maximo cum impendio indies defenderentur.

Gymnaſium illuſtre;

Celebris porro jam olim urbs fuit Gymnaſio literario, quod ante annos complures alium & luculentiorem in modum Tetrarchiæ Velavicæ auſpiciis illuſtrari cœptum, additis publico auditorio & Profeſſoribus, qui linguas, Theologiam, Iuriſprudentiam & Philoſophiam honeſtis ornati ſtipendiis docent. Accedit & Bibliotheca omnis generis voluminibus Latinis, Græcis, Hebræis, Syriacis, Arabicis aliarumque linguarum, & quæ apud Chinenſes quoque, noſtro ab orbe remotiſſimos, typis deſcripta ſunt, refertiſſima. *Et Bibliotheca.* Eſt præterea hic piſcium ſtapula, ſive, ut vulgo vocant, *den Afſlach*. *Piſcium ſtapula, den Afſlagh.* Cujus prærogativam uni Hardervico conceſſit Dux Gelriæ *Arnoldus* anno 1443. Habuitque initio inſignia, quæ *coggen* navigium exprimerent: quorum nunc loco leonem Naſſovicum exhibet, indultu *Othonis* Naſſavii Comitis VII, qui floruit anno 1229. Quo etiam tempore muro lateritio ab eodem, una cum Arenaco, Ruremunda, Bomelia & aliis aliquot Gelriæ oppidis, cinctum primùm memoratur. Quod ſi ipſam propius civitatem intueri libeat, ædificia deprehenduntur ſplendida ad morem fere Hanſæ civitatum, Lubecenſis ac Hamburgenſis faſtigiata, quibus ut atria ſunt ſpatioſa, ita contignationes etiam profundiſſimæ. Cujus rei præcipue eſſe teſtis poteſt platea illa, quæ indigenarum lingua *de Donckerſtraete* nominatur. *Ædificia urbis.* Inter ædificia publica primum locum tenet eccleſia Cathedralis D. Mariæ ſacra, quæ turri non tantum excelſiſſima, Phari quaſi vicem navigantibus præbente, illuſtris, ſed & exteriore ſtructura, tum & fornicum fabrica ſive concameratione interiori adeo eſt viſenda, ut oculos ſæpenumero feſtinantium haud immerito remoretur. Cui accedunt hoſpitale pauperum, & ſex cœnobia, quorum tria virorum fuerunt; reliqua virginum aſceteriis dicata, nunc iis deſerta in ædes urbanorum alioſque in uſus, ut publici Gymnaſii ac Bibliothecæ ceſſere. Ex illis, quæ diximus, ſex cœnobiis unum extra urbem fuit poſitum, quod vulgo *'s Heeren Loo* dictum, hodie in totum eſt dirutum ac ſolo adæquatum. Fuit & extra mœnia in limine quaſi urbis divo Nicolao dicata ædes: eamque fuiſſe peramplam, cœmeterium & relicta rudera indicio fuerint. Id à primo Gelriæ Duce *Reinaldo* conditum fuiſſe perhibetur.

Wageninga.

Huic dignitate quod eſt proximum oppidum, vulgo *Wageningen* vocant; quamvis & *Wageneynd* exaratum reperiri in quibuſdam codicillis teſtentur annotata Cl. V. Pauli Merulæ: occurritque in Donatione quapiam apud Hedam *Wagenuwega*: Tacitus, *Vadam* videtur nominaſſe, ubi Rheni hoc tractu *Arenacum*, *Vadam* & *Ghrinnes* ordine ponit, & modicos vicos appellat. Idem eriam *Vadam* oppugnatione à Civili Batavo tentatam, ſed à Iulio Brigantico, ejus è ſorore nepote, qui odio avunculi Romanis ſtipendia faciebat, fortiter defenſam, ſeorſim commemorat. Hodie quidem Rheno non adſitum, ſed vicinum conſpicitur: tum & ſolo palu-





Notarum Explicatio

- Steden. Oppida
- Forten. Fortalitia.
- Reduyten.
- Dorpen. Pagi
- Edelhuysen. Nobilium ædes
- Cloosters. Monasteria
- Buertschappen. Vici
- Water-molens } Molendina
- Wint-molens. } Molendina
- Geruineerde Edelhuysen

TRANSISVLANIÆ PARS

ZVTPHANIÆ PARS.

MASTEN BROECK.

DE ZVYDER ZEE

DE BETVWE.

VLTRAIECTI PARS.





40

paluſtri & argilloſo inædificatum, natura & opere eſt validum. Hic natum nonnulli volunt virum clarum Petrum Apherdianum, egregium Gelricæ atque Hollandicæ juventutis annis ſuperioribus moderatorem.

Hattem. Tertio loco *Hattemum* occurrit, quod in ripa Iſalæ læva ſitum, Swollam proſpectat. Arcem id olim munitiſſimam habuit, conditam à Reinaldo primo Duce, & à Carolo Ducum ultimo majoribus operibus valliſque inſtauratam; ac denique à Georgio Schenkio ingentibus viribus, ſed fruſtra, oppugnatam. Nunc diruta magni adhuc operis ruinas ac rudera oſtentat. Ei an Attuarii populi, qui Camavis & Bructeris vicini authoribus memorantur, nomen dederint, aliis diſpiciendum relinquimus.

Elburg. Vltima & noviſſima urbium Velavicarum *Elburgum* eſt. Id quo tempore ſit conditum, in literas relatum non memini: Prioribus tamen eſſe recentius, ædificiorum & mœnium ſtructura videtur innuere, & docebit hiſtoria, quæ muro cinctam inque oppidi formam eſſe traductam, ſub Duce demum Gelriæ Gulielmo primo, declarat: Quamvis una cum Arenaco, Hardervico aliiſque aliquot Gelriæ urbibus, inter Hanſeaticas haberi reperiam. Oppidum eſt haud inamœno ſitum loco, ad interiorem ſcilicet freti Auſtrini ſinum, in ripa quaſi littoris crepidine, forma quadratâ, portis tribus, quarum duæ ex adverſo ſibi invicem reſpondent, tertia ad mare & portum, qui annis ſuperioribus eſt inchoatus, ducit. Medium rivus interſecat, quinque lapideis pontibus ſtratus, in quorum medio conſiſtenti, qui & fori piſcarii vicem præſtat, liber patet ad portas omnes proſpectus.

Nykerk. Ad fines Diœceſeos Vltrajectinæ eſt Niocleſia, vulgo *Nykerk*, oppidum in fertiliſſima & amœniſſima totius Velaviæ regione ſita, privilegiis iiſdem, quibus Zutphania, Hattemum & Wageninga utebantur, à Duce Reinaldo anno 1413, donata, quamvis incolas hiſce privilegiis unquam uſos haud compertum ſit: nihilominus vicum vel pagum Neocleſiam dici, inique ferre incolæ ſolent.

Præfecturæ. Velavia porro dividitur in Præfecturas Majores & Minores. Majores ſunt Præfecturæ Velaviæ & Velaviæ fimbriæ. Velavia rurſum diſtribuitur in ſuperiorem & inferiorem. Superior & Orientalior Iſalæ & ſinui Auſtrino ex parte adjacet, & complectitur Tribunalia vulgo *Schoutampten*, quinque: ſcilicet *Doornſpijck*, ſub quo comprehenditur *Ooſterwolde*: *Heerden* ſub quo ſunt *Veſſen* & *Vorchten*; Eep ſimul cum *Vaeſſen* & *Oen*, *Appeldoorn* una cum Beeckberga. Denique *Voorſt* ſub quo ſunt *Wilp*, *Twelp*, & *Terwolde*. Velavia inferior & Occidentalior collocatur inter ſuperiorem Rhenum, Vltrajectinos, & Auſtrinum ſinum; habetque, ut Superior, tribunalia quinque: *Edenſe* cui ſubſunt *'t Veen*, *Bermecum*, *Lunteren* & *Otterloe*: Barneveldenſe, ſub quo *Voorhuyſen*, *Kootwijck*, & *Garder*: Neocleſienſe, Puttenſe; & Ermelenſe, ſub quo *Nunſpeet*.

Veluæ Zoma ſive Fimbria extenditur Wageninga Zutphaniam uſque, eique verſus Caurum Zephyrumque ſuperior Velavia præcingitur, reliqua alluit Rhenus ad Auſtrum, Iſala ad Vulturnum & Subſolanum. Hæc totius Velaviæ ora fertiliſſima & abundantiſſima; unde apud incolas proverbium emanavit, Velaviam togam eſſe fimbria pretioſa prætextam. Ad hanc Satrapiam pertinent Tribunalia *Brumnenſe*, ſub quo eſt *Hal*; *Rhedenſe* una cum *Velp*, *Ellechem*, *Dieren* & *Spankeren*: *Renkum* cum *Ooſterbeeck*; Minores Præfecturæ ſunt; Tribunalia vulgo *'t Richterampt van Oldenbroeck* prope Elburgum, & *'t Richterampt van Nybroeck* Daventriam & Hattemum inter; & *'t Schoutampt van Hoevelaken* & *Scherpenſeel*. Ab harum omnium Præfecturarum ſententiis appellatur ad tribunal, quod vulgo *'t Enggelander holt* vocant, in Velaviæ propemodum meditullio poſitum, quamvis nunc alius fere locus commodior ad hunc actum eligi ſoleat.

Dynaſtiæ. Præterea Velavia continet Dynaſtias duas ſumma & media Iuriſdictione præditas, quæ vulgo *Hals Heerlijckheden* dicuntur, *Doreweerdam* & *Roſendaliam*: Doorenweerda Arnhemium & Wageningam inter ſita eſt, in amœno & admodum fertili agro, montibus in Bataviam proſpectum lætiſſimum præbentibus, ſylvis ad venatum opportunis, & arce, Baronis domicilio, conſpicua. Hæc dynaſtia libera, & non paucis privilegiis dotata, poſſidetur à nobiliſſimo D. Iohanne Schelart ab Oppendorp, plurium dominiorum diverſis titulis Domino.

Roſendal altera eſt dynaſtiarum horæ ſpatio Arenaco diſſita, in loco, ob ſylvam vicinam, rivulumque qui molas papyraceas aliquas circumagit, gratiſſimo, magnum terræ tractum ab arce quam habet pulcherrimam Ginkel uſque Velaviæ pagum occupat. Poſſidetur autem à nobiliſſima Arnhemiorum Gente.

HOL-

VETERIS BATAVIÆ PARS,

SIVE

TRACTVS RHENI, & MOSÆ, TOTIVSQVE VAHALIS,

A divergio Rheni Gorcomium uſque, cum terris adjacentibus Cliviæ, regno Neomagenſi, & agro Bommeliano.



Ec inamœnum fuerit, veram ſedem veterum Batavorum contemplari, quam ex parte hac tabula ob oculos ponit Geographus. Toxandris atque Menapiis olim jungebantur à Septentrione, extrema Galliarum obſidentes, qua Oceanus & Rhenus amnis Galliam Belgicam alluunt, gens omnium Germanici nominis cis Rhenum nobiliſſima, atque fortiſſima.

Nomen Bataviæ non eſt vetus.

Ipſum *Bataviæ* nomen nuſquam apud quenquam vetuſtiſſimorum ſcriptorum reperitur, verum *Batavi, in Batavis,* legere eſt apud Tacitum, Cæſarem, Plinium.

Etymologia.

Etymologiam quidam deducunt à *Batone*, Principe regni, regio Cattorum ſanguine orto, ut ſit, quaſi *Batonshave*, id eſt Batonis peculium. At nullus uſquam ſcriptor antiquus Batonis meminit. Vnde ergo commentum hoc? Citat Hadr. Iunius Tacitum, cum inquit: Huic vero rei atteſtantur auctores, quos inter præcipuæ fidei Tacitus, qui Cl. Civilem ex poſteris Batonis regia ſtirpe editum commemorat, unde non temere hanc Inſulam nobiliſſimam Plinius appellat. Sed Taciti verba conſulentibus nuſquam occurrit Bato. Locus Taciti ita habet Hiſtor. 4: *Iulius Paulus & Claudius Civilis, regia ſtirpe multo ceteros anteibant.* De Batone nihil. Nugantur etiam illi, qui Bataviam à profunditate dictam volunt, alludentes ad Græcum βαϑὺς, quod profundum ſignificat. Veriſimilius eſt à gente Batavorum nomen accepiſſe Bataviam; unde & *Betaw* etiam nunc ſuperioris Inſulæ pars vocatur.

Inſula Batavorum.

Rhenum inſulam Batavorum efficere & Oceanum, teſtatur inter alios in ſuis ſcriptis Tacitus. Secundum longitudinem ab Oriente in Occidentem excurrit: Latitudo vero inter Septentrionem & Auſtrum, ſive inter duos Rheni alveos protenditur. Itaque quod longitudinem attinet, ibi initium agri Batavi eſſe conſtat, ubi Rhenus uno alveo continuus eſſe deſinit, ac velut in duos amnes dividitur. Id vero haud procul Clivis oppido, ad munimentum **Schenckenſchans**/ fieri videmus: ubi, ut olim, ſic & nunc amnis in duo velut cornua ſcinditur, cujus dextrum Germaniam verſus Rhenus perhibetur, lævum mutato nomine Vahalis, **de Wael**/ nuncupatur.

Vahalis.

Quo fit, ut Batavos in duarum potentiſſimarum gentium confinio poſitos alii Germanis, alii Gallis adſcribant. Nec dubium eſt, quin vel Galli à Vahali, vel Vahalis à Gallis nomen traxerint. Duobus hiſce alveis Druſus tertium addidit, perfoſſo ob ſuas commoditates ſpatio, quod Rhenum inter & Iſalam interjectum eſt, & flumine majore per alienum alveum in lacus admiſſo. Hinc ortum eſt nomen foſſæ Druſianæ.

Oſtia Rheni.

Habemus ergo tria nunc Rheni cornua, dextrorſum Flevum, qui Ptolemæo eſt τὸ ἀνατολικὸν ςόμα: Lævorſum Vahalim, qui Plinio Helius, Græcis τὸ δυτικὸν ςόμα: & medium inter hæc cornua Rhenum, qui per Lugdunum & caſtra Romanorum leni agmine fluens, in Oceanum Germanicum ſeſe olim exoneravit ad vicum Cattorum. Tria illa oſtia deſignavit Plinius, cum dixit, Rhenum à Septentrione in lacus, ab Occidente in Moſam ſe ſpargere, ac medio inter hæc ore modicum nomini ſuo cuſtodire alveum. Merito quidem ille *modicum* dixit, nam abactis per divergium Druſianum aquis, factus eſt Rhenus multo quam antea anguſtior & exilior. Tandem etiam arenis obſtructo ore iſto, quum non ſufficerent hauriendis aquis duo illi alvei, eoque perpetuis inundationibus eſſent expoſiti, quotquot Batavorum inſulam & extra eam loca depreſſiora populi habitabant, viſum fuit è republica Rhenum effoſſis novis aliquot alveis, præſertim qua jam ipſe ſe exoneraverat, abducere, & aggeribus admotis intra alveos illos conſtringere. Sic deducta eſt Lecca, ſic Iſala: ſic elices illi, qui inter Flevum & medium Rheni oſtium fuiſſe olium perhibentur Egmundæ, Schoreli,


Tractus RHENI et MOSÆ totiusq VAHALIS
à Rhenoberca Gorcomium usque cum terris
adjacentibus ducatus Cliviæ regno Noviomagensi
et Bommelerwaert Parte insuper veteris Bataviæ
quæ continet de Betouwe Tielerwaert et com.
Buyren, Cuylenborch et Leerdam.
Redituum i. Receptus
Nobilium ædes
Milliaria Germanica
Milliaria Gallica communia
DE OVER BETOUWE
DE TIELER WAERT
Tussen Maes en Wael
'T RYCK VAN NIMMEGEN
MAESLANDT
t'Lant van Ravestein
BOMMELER WAERT
BRABANTIÆ PARS
Arnhem
Wageninge
Nieumegen
Cranenborch
Cleeff
Emmerick
Rees
Wesel
Rinberck
Alpen
Milliaria Germanica
Milliaria Gallica communia
Exc. Guiljel. Blaeuw.

Crabbedami, quorum adhuc spectantur vestigia, nisi quis posteriora illa non nisi naturæ opera fuisse malit. Hac igitur occasione factum est, ut Lecca & Isala effoderentur.

Describuntur autem in Tabula vetus Rheni alveus, & alter Vahalis dictus: ille nomen Rheni servans Durostadium usque, ubi Lecca incipit, hic vero Gorcomium usque extenditur, ubi cum Mosa miscetur. Hic ex monte Vogeso profluens, qui est in finibus Lingonum, parte quadam Vahalis recepta ad munimentum Voorniacum, & S. Andreæ, Heusdamque prætergressus, insulam Batavorum ex parte efficit.

Mosa.

In ipso Rheni divergio arx est ac propugnaculum validissimum, partim ob fluminum opportunitatem, partim ob munitiones inexpugnabile. A duce Schenckio, artibus bellicis celebratissimo, nomen habet. Hinc in dextro Rheni alveo occurit Arenacum, hodie *Arnhemum*, Gelriæ ditionis, in ripa Germanica sedes Ordinum Gelriæ. Sequitur *Wageninga*, vetustissimum plane oppidum, idemque cum eo, quod Tacitus *Vadam* appellat, pari fere duorum milliar. Germ. ab Arnhemo & Neomago distantia. Hanc excipit *Rhena*, Batavoduro duabus, Vltrajecto quinque & prægrandibus quidem milliaribus abjuncta. Oppidum itidem antiquum, Tacito *Grinnes* dictum. Hinc Trajectum petentibus vasti occurrunt campi & prædivites venæ ustibilis cespitis, unde *Venendalia* nomen habet, novus, & annis abhinc non ita multis natus pagus. Post hanc *Batavodurum* est, vulgo *Wyck te Duerstede*, eo loci situm, ubi mutato nomine Rhenus Lecca dicitur, & medius Rheni alveus Vltrajectum petere, & hinc Lugdunum permeans in mare se effundere solebat. Facit ejus quoque mentionem Tacitus. Dirutum legitur à Normannis, & quamvis contractius multo post instaurationem surrexit, fuit tamen & alias semper, ob egregiam situs commoditatem, oppidum satis potens, & in hunc usque diem concinnitate & opibus floret, arce etiam excelsa conspicuum. In ipsa vero Batavorum insula videre est, ad Rhenum Vianam, Culenburgium: in insulæ medio, Lerodamum, Asperam, Huclomium, Buram ad Lingam. Ad Vahalim vero Gorcomium, Worcomium, Bommeliam, Tielam, Neomagum. Ad Mosam vero Heusdam, propugnaculum *Crevecœur*, Silvam-ducis, arcem Ravestein, hinc Graviam, & arcem Gennapiam.

Arx Schenckii.

Arnhemum.

Wageninga.

Rhena.

Durostadium.

Viana posita est ad lævam Leccæ ripam, Schoonhovia duas tantum leucas abjuncta. Etsi autem se jactitet pro statu & ditione peculiari, continetur tamen Hollandiæ finibus & imperio. Dynastæ ejus Brederodii, qui à reliqua Hollandia separatam, jurisdictione & imperio superiore exemtam esse contendunt. Quæstio hæc in magno Mechliniensi Concilio ventilata olim fuit, sed non decisa. *Lerodamum* adjacet flumini Lingæ, vicinum admodum Asperæ, territorium habet trans flumen, quod propterea vulgo dicunt, **Het landt van Dam.** Dynastam habet Comitem Buranum, qui hodie Princeps Auriacus. *Aspera*, semileuca Lerodamo distans, ad eundem Lingam jacet. Ea suavitate urbeculam prætérlabitur fluvius, ac tam leni susurro, ut hic loci *Amoris* sibi cognomen invenerit, dicaturque **de Liefde.** Celebris est Geldrorum crudelitate, qui sub Carolo Gelriæ Duce anno 1516, post longam obsidionem ea potiti, nullo non sævitiæ genere cives trucidarunt, promiscue in viros, mulieres, pueros, ac infantes lanienam exercentes. *Heuclomium* cum Aspera & Lerodamo vicinis oppidulis triangulum facit. Reginoni *Hercules* (vulgo est *Herculin*) dicitur, conditum anno jam tum 788. Arcem habet satis inclytæ vetustatis, quam fundatam volunt ab Hercule Alemanno. *Bura* sita est non procul à Linga flumine, ad exiguum illum torrentem, quem vulgo fossam molarem vocant. Tila abest milliari, oppidum prorsus mediocre, & munitissima quadam arce validum. Comitatus titulo gaudet, qui è Maximiliano Egmondano transiit ad unicam ejus filiam Annam, quæ Guilielmo Principi Auriaco nupsit; nunc possidetur à Guilielmo Henrico Principe Auriaco dicti Principis pronepote.

Viana.

Lerodamum.

Aspera.

Heuclomium.

Bura.

Goricomium ad dextram ripam Vahalis est, in ipso Lingæ ostio, arce olim valida conspicuum, quæ jam diruta vix rudera sua ostentat. Condiderat eam, sub Florentio IV, Hollandiæ Comite, Iohann. Dynasta Arkelius. Spectantur è summa urbis turri, præter innumeros pagos, viginti & duo oppida muris clausa, pulchro & memorando adspectu. Ostenditur juxta hoc oppidum locus, in quo castrametatum ferunt Herculem Alemannum, unde & territorium conjunctum bonis aliquot pagis insessum, ad hunc usque diem vulgo audit Ager Herculeus, Belgice, **'t landt van Arkel.**

Goricomium.

Woricomium adjacet lævæ Vahalis ripæ, Goricomio pene ex adverso oppositum. In ditione est Comitum Hornensium, sub imperio Fœderatorum Ordinum. Hodie munitionibus validum *Heusda* Goricomio duabus distans leucis jam in ripa Brabantica propugnaculis stupendis tuta, hostiles minas despicit. *Silva-Ducis* vicina Mosæ, arcibus undequaque suis cincta, loco adhæc paludoso sita, vi inexpugnabilis hactenus credita fuit. Bis enim irrito conatu tentata, tandem anno 1629 ab Ordinibus Fœderatis obsessa, ductu & moderamine Frederici Henrici Principis Auriaci, post obsidionem mensium quatuor & aliquot dierum, gloriosa ac stupenda victoria partibus Fœderatorum accessit. In ipsa Mosæ ripa munimentum est, quod *Crevecœur* vulgo appellant Gallico vocabulo, quasi Latine dicas *Cordolium*, quia Sylvæ-Duci proxime imminens, excursionibusque hostilibus incommodans, molestissimum fuit adversæ parti. Sequuntur arces *Ravestein & Gennapia*, ad tutelam *Graviæ* urbis majoremque securitatem munitæ. In ulteriore ripa Mosæ Batenburgum est, locus, si famæ fides, maximæ antiquitatis, ut quem incolæ asserunt primam omnium arcem fuisse, quam Bato in hoc tractu extruxerit. Sed quid de Batone sentiendum supra expositum.

Woricomium.

Heusda.

Silva-Ducis.

Crevecœur.

Gravestein. Gennep. Gravia.

Bommelia ad sinistram Vahalis ripam est, insulæ, quam Vahalis & Mosa efficiunt, metropolis. Ager vicinus **Bommelerweerdt** inter alios pagos Rossemium habet, patriam Martini Rossemii, famosissimi Archistrategi. Laudem ei pepererе viri doctissimi Gerardus Moringus, Henricus

Bommelia.

cus Bommelius, Casparus Barlæus scholæ Rector, cujus ibidem monumentum est cum suspenso elogio. Mendozam Aragonium exercitus Hispanici præfectum ante annos plures obsidionem solvere coëgit.


Tila.

Tila, dexteræ Vahalis ripæ apposita, Bommelia leucis duabus abest, oppidum validissimum, Batavorum insulæ tutela ac præsidium.

Neomagum.

Noviomagus, vel Neomagum, urbs est antiqua, sita ad sinistram Vahalis oram, cujus eo loco profundissimus est alveus. Reginoni si credimus, tria regnis suis primaria palatia constituit Carolus Magnus, Neomagum, Aquisgranum & Diviodurum, seu Theodonis villam, *Dietenhoven*. Fredericus I, cognomento Barbarossa, urbem collapsam restauravit. Hodie terreis mœnibus cincta, fossis profundis, propugnaculis suis terribilis, maximorum exercituum vim sustinere valet.

Inferior Tabula tractum Rheni, qua parte adhuc unus est, ex parte solum exhibet, à Rhenobercka, ubi Coloniensis agri terminus, usque ad Rheni divergium, & deinde Arnhemum ac Neomagum usque. Divergium inter & Berckam, occurrunt Vesalia, anno 1629, laudabili strategemate ab Otto van Dyden Embricæ Gubernatore victa: inde Reesa, flumine & opere munitissima, mox Embrica, urbes ditionis Clivensis. Nunc Ordinibus parent. Longius à Rheno sunt *Alpen*, *Santen*, olim Vetera, *Calcar* & *Clivia*, *Goch*, omnes in ripa Gallica.




HOLLANDIA COMITATVS.
PARS MARIS GERMANICI
INSVLÆ Texel Vlielandt et der Schelling
Texel
Wieringen
DE ZVYDER ZEE.
FRISIÆ PARS
BRABANTIÆ PARS.
GELDRIÆ PARS.
Milliaria Hollandica, quorum singula continent 2000 virgas Rhynlandicas.
Apud Guiljelmum Blaeu.

42

HOLLANDIA COMITATVS.

De nomine Hollandiæ.



Ataviæ nomen vetus eſt, Hollandiæ recens. Illius nomine veniebat omnis ille terrarum tractus, qui continebatur inter utrumque cornu Rheni, & Oceanum: ita ut præter Hollandiam etiam complecteretur ditionem Vltrajectinam, & Septentrionalem partem Ducatus Gelriæ. Retinet hodie priſcum vocabulum inter Culenburgum, Buram, & Tilam, oppida Gelriæ, ubi hodie nobilis illa inſula Batavorum, *de Betuwe* vocata. Vnde autem natum recens *Hollandiæ* nomen, variæ ſunt doctorum ſententiæ. Nonnulli *Holtlandiam*, ſive *Houtlandiam* prius dictam contendunt, id eſt, lignorum terram. Volunt enim ſilvis arboribuſque denſam fuiſſe, quæ poſtmodum impulſu maris, ac turbinum violentia proſtratæ, hinc inde magna effodiuntur copia, & hinc molliore pronunciatione Hollandiam dictam. Alii vocem compoſitam eſſe ajunt è duabus hiſce Teutonicis vocibus, *Hol*, quod eſt cavum, & *land*, id eſt, terra, quaſi concavam terram dixeris. Plurima enim loca ſunt, per quæ ſi curru aut equo veharis, ipſam terram tremere ſentias ac concuti, non aliter, ac ſi aquis ſupernataret. Scribit Iacobus Meyerus Annalium Flandriæ autor lib. XI: *Veruntamen conſtat hanc appellationem admodum eſſe recentem. Nam Hermannus Contractus, qui ſcripſit ad annum Domini 1066, in fine, ubi de Theodorico Marchione Quarto ejus nominis pluribus locis fit mentio, nuſquam Hollandiam nominat, ſed ubique* Fladirtingam. *Ab eo puto oppido, quod hodie haud procul Oceano nominatur* Vlardingen. *Quod Gerardus Noviomagus vetuſtiſſimum eſſe aſſerit, vocatque Vlardingam, & Vlardingiacum. Fladirtingam autem non pro oppido ſolum, ſed pro ipſa regione ponit Contractus.* Hactenus ille.

Termini.

A Septentrione & Occaſu clauditur mari: à Meridie Moſam habet & Brabantiam: ab Ortu partim eſt lacus Flevus, vulgo **de Zuyderzee**/ partim Ducatus Gelriæ. Sic ut peninſulam, non autem, ut quidam dicunt, Inſulam Batavorum efficiat.

Ambitus.

Regionis ambitum ad 60 milliaria extendi volunt. Longitudo ejus magna ſecundum oram maritimam, inde ab Inſula Scellinga ad Septentrionem, ad Scaldiam Zelandiæ inſularum unam. Latitudo perexigua eſt, & nuſquam fere ſeptem octove milliaribus major. quandoquidem è meditullio illius creditur viatori trium horarum ſpacio hinc ad Oceanum, illinc ad extremos illius fines patere aditus. Ex quo æſtimari poteſt, Hollandiam à reliquo Bataviæ veteris corpore deductam, longæ tæniæ aut litui incurvi faciem præ ſe ferre.

Flumina.

Irrigatur maximis fluviis, Rheno & Moſa, qui, compluribus velut ramis & cornibus, alia paſſim atque alia adſciſcentibus nomina, eam pererrant. Cæteri ſunt Linga, Rottera, Amſtela, Gouda, Scia, Vechta, quibus incolæ tamen non contenti, maximam ipſi naturæ artem atque induſtriam, adjecerunt, ductis paſſim tot alveis, canalibus, incilibus, foſſis, aliiſque id genus aquagiis, ut non omnia oppida modo, ſed & pagi plerique terra ſimul & aqua commode adiri poſſint.

Regionis indoles.

Regio ipſa paluſtris, ſtagnis, & lacubus paſſim referta, è quibus ante annos aliquot Beemſtrius & Purmerendanus exſiccati, ac pulcherrimis villis inſignes, amœniſſimos Amſtelodamenſium potiſſimum mercatoribus receſſus præbent. Cœlum, non obſtante ingenti aquarum copia, & maris vicinitate,benignum apprime & clemens.Hyems maturior & aſperior, vis ventorum infeſtior. Solum adeo humile & depreſſum, ut omnia pene flumina, omneſque majores & reciprocum maris æſtum admittentes foſſæ, ne videlicet ipſam terram inundent, aggeribus clauſa ſint; unde multis in locis videas aquas non ſine ingenti admiratione longe, quam terra ſit, altiores. Aquarum multitudinem, quæ demiſſioribus arvis gravis eſt, & ſtagnantibus paſcuis hyeme innatat, frequentioribus molis aquariis exonerant. eæ quaternis alis inſtructæ, vento circumaguntur, & pinnato tympano aquas in altum evehunt, atque in euripos & inciles foſſas ejectant. invento valde utili ac prope neceſſario. (quod ſuperioribus annis plurium induſtria auctum; ita ut nunc ejuſmodi molæ aquariæ incredibilem aquarum vim brevi ſpatio non tam evehant, quam everrant.) aquæ altioribus aggeribus utrimque coërcitæ, & in majores latioreſque aquæductus corrivatæ, per emiſſaria opportunis locis collocata, quotiescunque maris reciprocantis fluctus refluit, in maris ſinum aut amnes effunduntur: alii depreſſos illos agros, aqua prius deducta, meliores reddunt, inducto ex arena corio, quod deſuper infuſa terra è cinere, luto, aliiſque rejectamentis coacta, interdum & fimo ſtercorant, inſigni profecto & ſucceſſu læto. Vinum non fert, quo tamen aliunde invecto abundat. Lanarum non magna copia, & tamen infiniti hic ex lanis exoticis texuntur panni. Materiam architectis non ſuppeditat, & plures tamen in ea exſtruuntur naves, plures lignei aggeres, aliaque id genus opera, quam in reliqua omni pene dicam Europa. Atque hæc quidem miracula Hollandiæ eleganti carmine complexus eſt Ioſephus Scaliger ad Ianum Douſam:

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium laſſat textrina Minervæ,
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra;
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.

Horrea

Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi ;
Pascuus hic tamen est , non Cerealis , ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis ,
Quæ vineta colat , nulla putator habet.
Hic nulla , aut certe seges est rarißima lini ,
Linifici tamen est copia major ubi ?
Hic mediis habitamus aquis , quis credere poßit ?
Et tamen hic nullæ , Dousa , bibuntur aquæ.

Habet porro hæc regio agros frugiferos quoque , & quidem luxurioso & opimo frumento supra modum scatentes (tritico præsertim excellentiori in agro Rhenoburgico prope Lugdunum Batavorum) sed qui tantillo in spacio , & in regione , qua non aliam habitatoribus frequentiorem usquam invenias, ad suppeditandam tantæ multitudini alimoniam sint impares. Pascuis autem , præcipue in parte Boreali , nulli Belgicæ parti cedit. Hinc præcipui proventus existunt. Boves è Dania,Iutlandia aliisque regionibus macilenti hic adveniunt , quos postea pinguedine saginatos in victum cædunt. vaccæ magnitudine & forma laudabiles , quarum ex lacte immensa casei & butyri conficitur copia. Siquidem è caseo & butyro , quæ exportantur in externa loca , in singulos annos ducenties sestertiûm cogi putatur , quæ summa ad decies centena Carolæorum millia extenditur. præter ea , quæ in quotidianum alimentum cedunt. Cuniculorum innumeram multitudinem passim alit regio in collibus arenariis , qui mari objacent. Cervorum etiam & damarum toto illo collium tractu & vicinarum vallium nonnulla copia est. Quid dicam de equis , quos generosiores , præstantes , torosos , sed succussatores plerosque ea pars Hollandiæ producit , quam Westfrisiam vocant : Australior quoque pars lacertosos & optimos. Avium palustrium , præsertim anatum , captura nusquam copiosior , institutis ad id quæstuosis admodum aviariis , in quæ illices aves mansuefactæ feras pelliciunt primo , eas dein catulus pendente è cauda fasce stramineo circumcursando , propius in retia invitat , strepitumque tunc à tergo edente aucupe in angusta caveæ propelluntur , & capiuntur. Piscium amnicorum copiam stagna , lacus , paludes , fluvii suppeditant : marinorum incredibilem vim vicinum undequaque mare. Lignorum quidem hic inopia est,sed fossilis & ustibilis cespitis abundantia summa , qui è terræ fodinis erutus , aut ex ipsis aquis haustus , sole & vento exsiccatus, igni alimentum durabile præbet. Nam bitumini sulphurique par ingenium efficit inclusus terræ calor , quem ut alibi montium incendia , ita hic prorumpentem interdum flammæ prodiderunt, nisi prostratæ olim silvæ impulsu maris ac turbinum , postquam superinducta humo putruere, mutata facie naturam retinent. Hoc ænigmate suo involvit V. C. Caspar Barlæus :

Dic , quibus in terris pereunt tot rura colonis ?
Ipsaque concepto fomite flagrat humus ?
Et mox effoßi vectantur navibus agri ,
Naiadesque natant nunc , ubi Vesta stetit ?

Divisio Hollandiæ antiquissima & verissima. Dividitur Comitatus Hollandiæ accuratissima divisione , quam archiva Cameræ Rationalium habent , in quatuor partes. Quarum prima appellatur *Septentrionalis* Hollandia : Secunda *Meridionalis* : Tertia *Voornia* , quæ quondam proprios dominos agnovit : Quarta *Kennemerlandia* , atque *Occidentalis Frisia* , quæ vulgo perperam Septentrionalis Hollandia vocatur , quia ad Septentrionem Hollandiæ posita est. Sub parte prima comprehenduntur præfecturæ aquaticæ (vulgo **Waterschappen**) sive Dyckgraviatus *Rhenolandiæ* , *Delflandiæ* , & *Schielandiæ* , atque adeo *Wordenæ*. Oppida illius sunt , Delfi , Lugdunum Batavorum , Gouda , Roterdamum , Schiedamum, Oudewatera, Wordena, &, ut quidam asserunt, antiquissimum Hollandiæ oppidum Vlardinga , & amœnissimum municipium Haga-Comitis. Sub secunda parte comprehenduntur , *Durtrechtum* , antiquissima illius Hollandiæ partis metropolis , quæ primum sibi suffragium vendicat inter omnia Hollandiæ oppida in Conventu Ordinum hujus provinciæ : *Gorichemum, Worichemum, Schoonhovia, Husdenum*, & *Geervlietum* metropolis Puttiæ, jam collapsa & neglecta. Tertiæ partis , Voorniæ nimirum , caput est *Briela* , neque alia oppida habet , præter hanc & *Goeream* , sed complures perpulchros pagos , & præ cæteris Hollandiæ partibus abundat arvis omnis generis frugum feracibus. Quarta pars , Kennemerlandiæ & Westfrisiæ , longe maxima est Hollandiæ pars. Complectitur enim *Kennemerlandiam* , *Amstelandiam* , *Godelandiam* , *Waterlandiam* , & *Insulas Texeliam* , *Wieringam* , *Vlielandiam* , & *Geryndam*. Sub ea comprehenduntur , nobilis & pulchra urbs Harlemum , Kennemerlandiæ caput , quæ secundum suffragium in conventu Ordinum Hollandiæ obtinet : potens & opulenta civitas Amstelodamum , Amstelandiæ caput : Alcmaria, prima Westfrisiæ urbs ; Horna , Enckhusa , Medenblicum , Edamum , Monachodamum , Purmerenda : & Godelandiæ oppida , Nardenum, Muda & Wesopum.

Vrbes. Præter oppida 31 , mœnibus fossisque clausa, *Municipia.* aliquot culta , nec postremæ sortis exstant in Hollandia municipia , à Principibus suis singularibus dotata privilegiis , inter quæ principem locum facile tuetur *Haga Comitis* , Principis olim, nunc Ordinum, & Curiæ sedes : *Vlardinga, Gravesanda, Beverwicum, Neoportum* , *Scaga :* his adde *Sevenbergam* in solo quidem Brabantico sitam , juris tamen Hollandici , quæ quondam muris fuit cincta : item *Clunderam*, quæ & ipsa quondam municipium fuit , quam vallo cinxit Princeps Auriacus. *Insulæ.* Ad Borealem Hollandiam pertinent aliquot Insulæ , quarum maxima est *Texela*, secunda *Flielandia*, tertia *Schellinga* , Oceano objectæ. Interius sunt , *Wiringa, Vrck* , & *Ens*.

Habet Insuper Hollandia Australis alias Insulas , *Vornam* , *Goederedam* , *Over-Flacke* , sive *Trans-Flackæanam* , *Corendicam* , *Pierschillam* , etiam Territorium *Transmosanum* , **Het Landt van Overmaes/** Roterdamo & Schiedamo objectum.

Habitus & mores. Hollandi procera plurimi sunt statura , membris compactis & bene formatis , forma liberali : Fœminæ proceritate , formæ naturali & non fucato nitore finitimas gentes superant, ingenio facili omnes sunt & sat aperto ; quod olim dolis atque exterorum artibus obnoxium propterea fuisse notatum est : at nunc ea simplicitas peregrinationibus & longo commerciorum usu exercita,

cita, tantum vafriciei attraxit, quantum ad evitandas pravorum fraudes necesse est, eaque non nisi in eum usum uti solent. Cæterum omnes fere vel mercaturæ, navigationi, studiis vel armis operam dant; nullos ociosos, nullos vagabundos invenies; eorum qui in mercatura occupantur pars longinquas & dissitas peragrare regiones non veretur, quo opes congerat: alii domi classes instruunt, nihil intentatum relinquentes. Vix invenias gentem quæ in rei nauticæ peritia Hollandos exæquet; classibus nempe suis nullam non Orbis quamvis remotissimam partem adeunt, periculorum mortisque ipsius contemtores. Nullibi terrarum tanta navium vis & copia, adeo ut vix credibile sit quantam hic exiguus terræ angulus sibi gloriam & famam apud quosvis extraneos maritimis suis expeditionibus pepererit. Quinimò nauticæ pubis tantus hic, præsertim in Septentrionali Hollandiæ parte, est numerus, ut media fere Hollandorum pars interdum extra patriam navibus credita, undis jactari perhibeatur. Ii qui Hollandiam Meridionalem gleba feliciorem incolunt, agriculturæ dediti, perraro sese mari credunt, domi in otio inglorii vitam transigentes. Studiis operam impendunt omnes fere honestiore loco nati, & mercatorum filii, ut ad Reipublicæ munia illotis non accedant manibus; post peregrinas adeunt regiones, ut multiplex linguarum & ingeniorum cognitio mores imbuat; adeo ut à barbarie prima, quam Romani scriptores illis dant, multum sint diversi, in sermone & congressu comes. Ingenia porro produxit Hollandia non infelicia, nec infœcunda. Testes sint Desiderius Erasmus Roterodamus, Hadrianus Iunius, Ianus Secundus, Ianus Dousa, Hugo Grotius aliique, quorum nomina brevitatis gratia prætereo; in pictoria quoque semper ad miraculum excelluerunt. Commercia inprimis hic vigent, & incredibiles opes incolis conferunt; in militia, præsertim in obsidendis & defendendis fortalitiis, ultra fidem sunt industrii. Fæminæ quibusdam in locis mercaturæ & marium negotiis non infeliciter se immiscent; linguarum peregrinarum, Gallicæ, Anglicæ & Germanicæ, pleræque gnaræ; nullius præterea laboris parcæ, adversus quasvis aëris tempestatisque injurias duratæ, maria terrasque obire negotiationis studio non detrectant: cæterum cultus & nitoris domestici laus prima Hollandis merito tribuitur, utpote quem in dealbandis parietibus, mundando supellectili quam lautam ac magnificam plerumque habent, & exornandis mirifico apparatu & nimio fere luxu ædibus ostentant. Pannificium excolunt, & quidquid à lanis ulla arte parari potest, nec non telas, toto orbe notissimas & pretiosissimas magna copia conficiunt.

Repub. Antiquitas.

Batavi ante Iulii Cæsaris tempora, & forte aliquot prius seculis migrarunt in eas quas nunc habent, sedes, insulam nimirum Oceano Rhenoque circumfluam, & proxima oræ cis Rhenanæ, eaque loca, æquissima naturæ lege, possessoribus vacua occupantibus cesserunt, hoc modo justissimum Reipublicæ initium populus origine sua liber libero in solo constituit. Optimatium imperio ut cæteri Celtæ, quorum, testimoniis Plinii & Taciti, Batavi nobilissimi, usos

Forma ab incunabulis.

fuisse, satis ex monumentis eorundem historicorum constat, quamvis & Reges eos quandoque habuisse non negaverim, sed Laconicos nomine solo, re vero ipsa nihil nisi optimatium primos. Duces vero sæpius, & in unum quodque quidem bellum, utrosque legibus quibusdam, moribus hominum & usu ipso consecratis, circumscriptos. Iisdem forsitan aut non multum dissimilibus, quæ postea Comitum tempore usitatæ, quod mos antiquus in plerisque rebus tam privatis quam publicis religiose ab his populis conservatus probare videtur. Optimates vero fuerunt duorum ordinum: proceres, qui & primores & principes dicebantur, & dilecti è plebe: qui omnes concilio juncti summam habuerunt rerum potestatem. Cæterum quia concilium id rarius coibat, res minores expediebantur per Regem ex procerum sententia: partium autem singularum regimen erat penes proceres singulos, qui jurisdictionem obtinebant. Interim Romana magnitudo ita plerasque gentes obruit, ut ex liberis civitatibus provincias faceret, & reges ipsos haberet instrumenta servitutis, sed ad Batavos non prolatum imperium; quod ex eo manifestum, quod Magistratus Romani in Batavorum insula nulli unquam fuerint, sed ipsi suis magistratibus Rempublicam administraverint, tributorum quoque & vectigalium, quibus nulla fere gens, quamvis suis legibus quasi beneficio populi Romani utens, immunes semper fuerint. reverentia tamen imperii ad Batavos prolata, orta ex societatis honore, cujus vi Romanis, ut nunc Helvetii plerisque Regibus, turbas & cohortes præbebant, quas vetere instituto, teste Tacito, nobilissimi popularium regebant, magnum quoque hoc, & in Romano imperio, rarum libertatis & societatis signum. Præter auxilia vero aliud quoque maximum emolumentum Romani ex amicitia Batavorum percipiebant, usum nimirum insulæ, ubi & præsidia habebant quædam, & classem prope littus, & cuncta parata transmittendo in Germaniam aut Brittanniam bello. Fortitudinem Batavorum & in imperium Romanum beneficia, virtutem & famam auxiliorum, Historici palam testantur: quibus & perspecta eorum fide motus, Cæsar Augustus, ut nunc Helvetios plerique Reges, ita Batavos custodiæ corporis sui admovit: quod secuti sunt & cæteri postea Principes; adeo ut minime mirandum sit à Cajo Iulio Cæsare ad Vespasianum principem, per annos centum & viginti, Batavis suum honorem & integrum Ius societatis mansisse. Tum vero cum Romani auxilia in dilectum mutarent, eumque non modo avare exercerent, sed & stuprorum contumelia onerarent, Batavi, libertatis tuendæ amore incensi, vim Romanam & circumfusas quindecim sibi legiones, arma sumentes ex utriusque ordinis decreto, & Claudii Civilis ductu, provocare veriti non sunt. Bello vero hoc, Iosepho Iudæo teste, pace composito, non dubito quin restituti sint Batavi in pristinum societatis gradum; nam de moribus Germanorum scribens Tacitus, secundo Trajani Consulatu manere dicit Batavis honorem & antiquæ societatis insigne: & iis quæ sequuntur clare ostendit, etiam post id bellum nec tributis, nec vectigalibus

Florente Imperio Romano.

bus oneratos: sed sui juris mansisse, ea tantum lege, ut Romanis auxilia submitterent. Post ea tempora non modo nihil diminutum de jure Batavorum, sed aliquid insuper honori accessisse testantur inscriptiones, quæ apud nos repertæ, quarum aliæ Severi, aliæ Antonini, & Getæ tempora præferunt. Hæ namque *gentem Batavorum* non socios, ut hactenus, sed *fratres* & *amicos* vocant, tum *populi*, tum *Imperii Romanorum*. Ab hac ætate ad primam Comitum institutionem per quingentos fere annos magnum est historiæ deliquium. Medio tempore, Saxones, Wiltos, Slavosque, deinde Normannos atque Danos rapinis & incursionibus omnia infesta habuisse; Batavos contra se suaque defendendo, magna inter damna auxisse virtutem, satis constat: cætera in obscuro sunt. Nomen quoque mutari hic incipit: Bataviæ enim appellatione intra superiorem insulæ partem conclusa, inferiores Batavi qui fuerant, Frisii dici cœpere. Primi certe Comites, nondum Hollandorum Comite percognito, Frisiorum nomine innotuere; circa hæc tempora Francici annales regum Frisiorum meminerunt, quibus cum Francis gravia fuerunt certamina, & inter cæteros clarum Radbodi nomen, cujus regia in arce Medemelaca ostenditur. Post reges iterum duces reperias Potestatum nomine insignitos. Franci autem, affectarunt quidem gloriam prolati hucusque imperii, cæterum reipsa non imperarunt insulæ, aut certe non infra Trajectum, Austrasiæ regni, secundum nonnullos terminum. Batavis vero maritimos auctos Brittonum Anglorumque supplementis, & Francis communi Normannorum metu conciliatos, & arcto junctos fœdere sub regibus suis ducibusque Veterem Rempublicam ad ipsa Comitum tempora produxisse credibile est. De Comitatus institutione omnes fere, rumorum & quidem serius ortorum auctoritate, aut falsa, aut male fulta monumentis semet refellentibus tradiderunt; ea proferam quæ clarissimus Grotius, ex cujus de Antiquitate Reipub. Batavicæ commentario nunquam sat laudato, hæc fere omnia excerpsi, vera esse non vanis argumentis sibi persuasit. Ante Diderici igitur, qui primus Hollandiæ Comitum numeratur, tempora, multi in Hollandia Principes fuerunt, non quidem gentis totius, sed qui parti alicui præessent. Ii Gravii aut Graviones dicebantur, quod nihil aliud quam judices significat: munus enim eorum principum præcipuum erat, jus reddere. Erant & oppida eo tempore in his partibus Fladirtinga, Rinesburgum, Vronla, aliaque quorum memoria ad nos non penetravit. Hi proceres, harumque urbium magistratus, videntes imminere sibi quotidianos hostes Normannos, solito etiam sæviores ob susceptam nuper à Batavis religionem Christianam, in medium consuluere, ut credibile, quomodo in præsens & futurum tam feris infessoribus patriam liberarent; ad eam rem cum temporaria ducum imperia non sufficerent, placuit majorum exemplo, qui reges habuerant salva libertate, Principem unum toti Reipublicæ corpori præficere, cui non regium nomen, jam ferme non nisi in summa ac libera potestate usurpari solitum, sed solitum ac consuetum Gravii, id est, Iudicis imposuere. Ad hoc imperium dilectus Didericus Frisius, jam Gravius, sed non totius gentis, at pagi seu regionis alicujus, cæteris principibus nobilitate & opibus procul dubio præstans, Gerolfi Frisionum Comitis filius, Walgarii frater. Et cum in Trajectinis tabulariis mentio fiat pagi, siti in australi regione, cui nomen Hollandia, à vero forte non abit, hunc ipsum pagum fuisse avitum Diderici Comitatum: in cujus vocabuli consortium mox totum hoc eidem Principi creditum corpus imperii venerit, ut hi, qui cis Flævum erant, Frisii propria quadam appellatione à majoribus Frisiis trans Flævum colentibus distinguerentur. Pars tamen Flævo propior veteri nomine nunc quoque West-Frisia, hoc est, occidentalis Frisia vocatur, quæ cum Hollandia unam rempublicam facit. His ea congruunt, quæ Hollandiæ Ordines dixere in nobili controversia, quæ coram Carolo Quinto Cæsare & Belgarum principe inter ipsos & Brabantos disceptata est. Cum enim Brabanti dicerent à Carolo IV Imperatore concessum sibi privilegium, ne quo extra patriæ fines in jus vocari possent, eoque contenderent, Hollandis quoque non licere in Brabantos manum injicere, ut mos habet Hollandicus: Ordines Hollandiæ contra demonstrarunt, id privilegium ad se minime pertinere. quippe se & Comites suos summam potestatem nulli quicquam debentem, & omnis generis jurisdictionem habere antiquitus, ex quo Didericus primus terram nulli regno obnoxiam barbarorum ereptam manu recuperasset. Eosdem Comites ab omni ævo pari potestate fuisse in Comitatu suo, qua essent Imperatores in Germania aut Italia. neque vero obstrictos ullo feudi vinculo, quod & ex mulierum successione in principatum colligi, & eo quod principes ipsi magnas Comitatus sui partes, Vornam, Herculanam, Puttenam aliis in feudum dedissent, & quidem hæreditarium, nullius externæ potestatis accedente assensu. Multo vero minus imperii Germanici leges, quantumvis conscriptas verbis generalibus, unquam in Hollandia publicatas, aut ulla in parte iis ipsis legibus obtemperatum. quod & trecentis exemplis probabant. Cum enim Germani multa de successionibus ab intestato cavissent, quæ etiam contrarios mores abrogarent, in Hollandia tamen hæreditates non alio jure, quam moribus avitis hodieque deferri. Sed neque causas aut Comitum aut Ordinum à Germanico Senatu unquam dijudicatas. Quæ cum Ordines Hollandiæ dixissent, probassentque, pronuntiatum est privilegium Brabantis datum in Hollandia vim non habere. Philippus quoque Leidius, qui Wilelmo Bavarorum primo regente Hollandiam, de Republica librum conscripsit, & principi suo dedicavit, cum ipse apud Gallos jus civile profiteretur, eo in libro sæpe repetit, Comitem Hollandiæ *Imperatorem esse suo in Comitatu*. Scimus quidem Imperatores Germanos, quale quid & de Francis modo ex Procopio attulimus, præ se ferre solere, tam Comites Hollandiæ, quam alios Principes, etiam reges, vasallos suos esse, quod etsi obtinerent, non eo desinerent Hollandi esse liberi, cum, ut Proculus egregie demon-

Post lapsum Imperii Rom.

Florente Imperio Romano.

Comitum institutio.

demonstrat, nec clientes liberi esse desinant, quia patronis dignitate pares non sunt; nec liber eo minus sit populus, in cujus fœdere comprehensum sit, ut majestatem alterius comiter observet, dummodo alterius potestati se non subjecerit: unde & feudi liberi orta est appellatio. Verum enim vero ne hoc quidem qualecunque feudi vinculum Comites agnovere, ut & ex his, quæ modo diximus, apparet, & ex historia bellorum, quæ primi Comites, & nominatim Didericus Quartus, pro tuenda dignitate contra Imperatores prospera satis fortuna gessere. Quod si qui adducti necessitate temporum, aut propriis de causis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocaverunt, id tamen ipsum, præcipue Ordinibus factum non consentientibus, nec Reipublicæ, nec posterorum principum jus deterius potuit efficere. Burgundos certe, & Austriacos Principes, quorum certior memoria est, compertum satis habemus Cæsaribus fidem pro Hollandia non dedisse. Legibus autem judiciisque Cæsarum & Imperii, quod præcipuum est, subjectam non esse Hollandiam, Germani etiam ipsi confitentur. Ex his cum manifestum sit, summam potestatem in Batavos totam intra ipsos fuisse, non autem ab externo pependisse imperio; nunc alterum restat videndum, quæ in ipsa Republica Principis, quæ Ordinum partes fuerint. quod exacte sciremus, si leges imperii Diderico datæ exstarent. sed cum illud supra dictum est, sero demum apud gentes Germanicas res & privatas & publicas scripto mandari cœpisse, tum vero illorum temporum omnis memoria, præter bella quædam & alia huc non pertinentia, intercidit. Verumtamen cum & ante hæc tempora regibus Batavis non tam potestas concessa fuerit, quam auctoritas, & parentum quoque nostrorum memoria scriptores etiam externi consignatum reliquerint, principum imperia his in regionibus tum legibus definiri, tum Ordinum consultis temperari; certa est conjectura, medio tempore eam fuisse Rempublicam, quæ & à majoribus accepta, & mox posteris relicta est. præsertim cum & urbes validas & cives nobiles; opibus valentes, quos id ævi fuisse demonstravimus, ex sueta æqualitate in subitam inæqualitatem voluisse decidere, creditu sit difficile; ac contra, aucta per connexionem principatuum sequentium Comitum magnitudine, sub Burgundica maxime & Austriaca domo detritum plus sit libertati, quam additum. Leges igitur imperii præcipuæ hæ fuerunt:

Leges Imperii.

Ne maritum sibi accipiat femina Princeps, nisi Ordinum Hollandiæ arbitratu.

Ne munera Senatoria, Quæstoria, Prætoria aliis quam indigenis mandentur.

Vt jus sit Ordinibus in concilium coire quoties & ubicumque voluerint, nec opus habeant eam ad rem Principis venia.

Nova vectigalia ne qua imponantur, neu cui vectigalium detur immunitas, nisi Ordines auctores fuerint.

Bellum suscipere pro rebus tutandis aut persequendis injuriis principi ne liceat, nisi Ordinum arbitrio.

Principes in literis Germanico sermone utantur.

Monetam Princeps cudat, & mutet, prout Ordines è re esse judicaverint.

Ne quam principatus partem Princeps à se possit abdicare.

Ne Ordinum concilium extra fines evocare liceat.

Princeps si quo tributo aut collecta opus habeat, ipse ab Ordinibus exoret. per legatum id ne agat. onera, nisi sponte concessa, ne exigat.

Iurisdictio nisi per ordinarios judices ne exerceatur.

Mores antiqui legesque sanctæ sint. eas contra si quid Princeps decreverit, nemo decreto teneatur.

Hæc jura usu diu solo servata, postea ne pravis adulantium artibus ingenia principum in spem illegitimi dominatus corrumperentur, per partes primum conscripta & à principibus signata; tandem, querentibus Ordinibus multa veteris Reipublicæ fundamenta per desuetudinem subverti tum ab aliis, tum maxime à Maria Burgundica, in unum collecta corpus & perpetuæ memoriæ consecrata sunt. Quanquam autem Hollandi in successione Principatus ordinem sanguinis sequebantur: tamen ut ostenderent non ex paterna hæreditate, sed ex populi, hoc est, Ordinum consensu proficisci imperium, non prius Principis loco quemquam juramento se obstrinxisset Ordinibus, nisi leges se patrias moresque servaturum affirmasset, quo facto vicissim ipsi ex legibus imperaturo fides & obedientia repromittebatur. Quare cum hæ leges conditiones sint additæ potestati, planum est, nullam fuisse principi potestatem, qua se istis legibus solveret: ut ab iis, qui de Republica scripserunt, abunde traditum est. Vnde & illud sequitur, cum summa majestas non sit penes eum, qui jure aliquo constituto teneatur, ut ad septentrionem plerique principes, Comitem quoque Hollandiæ, qui tot legibus teneretur, jus summæ majestatis in se uno non habuisse. Iam vero Principum veterum acta nulla, alicujus certe momenti reperias, quibus non Baronum ac Nobilium auctoritas & subscriptiones accesserint. id enim Comitibus, ut regibus Germanis olim, antiquissimum consilium fuit. Ad urbes vero quod attinet, earum numerus & cum numero dignitas semper longius excrevit. Antiquitus senatus singulis. is mortuo senatore locum ipse supplet, ex his qui inter oppidanos virtute atque opibus præcellunt. Idem senatus alibi magistratuum præcipuos creat, quos civium magistros vocant: alibi & hos ipsos & alios litibus judicandis, qui Scabini antiquissimo vocabulo appellantur, principi deligendos offert, sed ita ad duplum numerum præscribant, quem princeps non possit excedere. quod non minimum est libertatis munimentum. Neque vero majores tantum urbes, ut postremis temporibus factitari cœpit, sed vero & minores in concilium vocatas, plurimis exemplis apparet. Philippus, quem dixi, Leidius & nobilium & oppidanorum magistratuum sæpe meminit: eosque *majores patriæ* vocat, & curasse ait, negligente principe, ne quid Respublica detrimenti caperet. Tributa autem nulla unquam indicta fuisse sine Ordinum decreto, rationes publicæ loquuntur, in quorum capite decreta semper apparent. atque inde tributorum & collectarum nomen apud nos antiquum perpetuoque servatum est Preces, quod & apud Philippum Leidium sæpe invenias: quia, uti diximus, ad preces

ces Principum ab Ordinibus decernebantur, magno argumento auctoritati Ordinum submissi principatus. Quin & Philippo Comitum postremo bellum in Gallos gerenti oratam indictionem novennalem non aliter Ordines annuerunt, nisi præscriptis quibusdam legibus, atque inter alias, ut per homines ab Ordinibus delegatos pecunia tractaretur. Sicut & jus suo arbitrio coëundi ad extrema usque tempora, quæ bellum hoc antecesserunt, Ordines retinuisse in aperto est. Ex his quæ diximus apparet, Comites Hollandiæ nihil ferme discrepasse ab antiquis regibus. nomine tantum usos minus invidioso, minusque suspecto libertati. sumptos sane sanguinis ordine, ut in multis populis liberis: sed imperium non sine exceptionibus datum. quippe leges additas, ac juramento sacratas: & auctoritatem quidem Comitum non exiguam, Ordinum vero tum in rebus aliis, tum circa pecuniam maxime, qui nervus est Reipublicæ, eam fuisse potestatem, ut vere dici possit de Comitibus, quod olim de Germanorum regibus, precariò eos imperasse. Hoc concentu & principes Hollandi & nobiles & plebs diu floruere, dum principem singuli reverebantur, princeps ipse leges & publicos conventus, dum nobilitati suus honos, plebi sua libertas manebat. Hinc bellorum prosperi exitus; hinc ut olim Romana societate, ita sub Comitibus gens non magna magnis amicitiis ambiebatur. docent federa: docent affinitates. Tenuit hæc regiminis facies per aliquot secula. Primi Burgundi aliquid de libertate deterere cœperunt, sed parce; Carolus deinde Imperator apertius & validius, at maxime Philippus II, Caroli filius, unde miserrima rerum facies consecuta est. Quippe pro libertate Ordines anno 1572 bellum adversus Philippum decernunt, Guilielmum Arausionensem Principem Ducem eligunt: Tandem anno 1581, 26 Iul. tam Hollandiæ, quam Federatorum populorum Ordines regimen ipsi arripuerunt. Tum sublato Comitis nomine & memoria, libertatem avitam defendendi causa, legitimum imperium in Guilielmum Arausionensem, Præfecti sub nomine, Ordines conferunt. Cujus admirabilis cum Ordinibus concordia, dum & ipse illorum cedit potestati, illi vicissim ipsum & amant & reverentur ut parentem publicum, rem Batavam è parvis initiis ad maxima incrementa pervexit. Quare & cum vicinæ nationes Matthiam sibi Austriacum, mox Senatum, deinde Andinum Ducem præponerent, Hollandiæ & Zelandiæ Ordines fedus quidem cum illis sancte coluere, cæterum nullam passi mutationem suam sibi; eandemque semper non Rempublicam modo, sed & Reipublicæ faciem retinuere. Mortuo Arausionensi præfectura delata Licestrio, qui Anglorum auxilia adduxerat: sed cum is regios gerens spiritus, moris Batavici ignarus, & pravis consultoribus obsequens, regimen Ordinum obtrectare, res novas moliri cœpisset, Ordines suam potestatem, à qua & Licestrius mandatum accepisset imperium, justissimam simul & antiquissimam demonstrant: eos vero qui in ipsius gratiam per seditionem res novare instituerant, capite plectunt. Quibus cum intellectis Licestrius ipse fuga imperium deseruisset, Mauritius, Wilielmi Arausionensis filius, Hollandiæ vicinisque regionibus præficitur. Hoc præside mira iterum concordia: vigintique per annos quieta Respublica, prolati fines, depulsi exercitus, prospera prælia, obsidiones illatæ fortiter, fortius toleratæ, Ordinibus sapientissimorum procerum, & Mauritio Ducum maximi famam addiderunt. Auctus Reipublicæ honos, cum eam reges per federa sibi æquavere: quippe anno 97 societas facta inter Regem Galliæ, Reginam Angliæ & Fœderatarum nationum Ordines. Ea tamen modestia adversus Principem quamvis abdicatum fuit, ut Philippo superstite intra se tuendi necessitatem virtus constiterit. quo mortuo indictum publice, repositumque Hispaniæ quod miserat bellum, & ad ultimas Indorum terras cincta armis commercia navigavere. ibi quoque communis hostis, & inclyta Batavorum virtus ac fides regum & populorum federa meruit: salutatique Ordines alio tam procul cælo venientibus Legatis. Et hactenus pugnatum. De pace actum sæpe tum Philippo Rege vivente, tum post ejus mortem Belgis ad filiam generumque translatis. sed repudiatæ ab Ordinibus conditiones omnes, quibus non salva esset libertas & jus decreti, quo Philippo imperium abjudicaverant. Tandem cum Archiduces Albertus & Isabella, & ipse Rex Philippus Philippi filius, paratos se ostenderent Ordinum libertatem agnoscere, mediis Regum Galliæ, Angliæ, Daniæ, præterea aliorum Principum Legatis, cœpta colloquia: & cum pacem difficultates magnæ morarentur, ad ultimum, anno 1609, factæ in duodecim annos induciæ; præposita testatione ab Archiducibus tum suo, tum Philippi, à quo id mandati acceperant, nomine, qua se pacisci eas inducias cum Ordinibus Fœderatis, ut cum liberarum nationum ac civitatum Ordinibus, profitebantur, talesque eos à se haberi, & nihil à se in ipsos juris obtendi. Philippus pacta rata habuit, repetita eadem professione. Mauritium defunctum excepit Fredericus Henricus frater, patriis ac fraternis virtutibus neutiquam inferior; hunc Guiljelmus II, cujus tempore anno videlicet 1648, pax desiderata inter Philippum IV, Magnum & Pacificum Hispaniarum & Indiarum Regem, & Fœderatarum Provinciarum Ordines icta est, qua Hollandiæ ut & cæteræ fœdere unitæ Provinciæ libertatem æternam, & à nemine in posterum arrogandam, aut tentandam sibi asseruere. Porro post imperium Philippo abdicatum, quicquid est juris publici, ab Ordinibus gubernatur vel universim per se, vel singulatim per alios. Per se quidem coactis publicis Comitiis. Ea constant duobus membris, *Nobilibus*, & *Civitatum Delegatis*. Nobilium Ordinem referunt generis splendore & vicorum ditione præcipui, numero ferme duodecim, quorum ubi quis excesserit, alium ipsi in locum defuncti cooptant. Inter Nobiles primum locum obtinent Brederodii, Wassenarii, Scagii, Assendelfii, Douzæ, Warmontii, Poelgeestii, Matenessi, aliique. Ex hac classe in comitiis publicis sistere se consueverunt vario numero, nunquam tamen pauciores tribus, qui conjunctim unum tantum habent suffragium, sed

Regimen hodiernum.

ſed primum. Civitates, quæ Legatos ſuos ſolent mittere ſex majores ſunt: Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum, Gouda. Minorum gentium ſunt: Roterodamum, Gorichemum, Schiedamum, Schoonhovia, Brila, Alcmaria, Horna, Enckhuſa, Edamum, Monachodamum, Medenbleca, Purmerenda. Penes hunc Conſeſſum ſumma eſt Hollandiæ poteſtas. Comitiis prudenter dirigendis præeſt, qui auguſta appellatione nominatur Advocatus Provincialis. Hic Hagæ habens domicilium, non alio, vel in Hollandia, vel alibi, quam quod impoſito fungens munere, apud civitates, pagos, collegia, privatosque omnes incolas cum Hollandiæ, tum aliarum regionum neutrarum ſe gerit partium, nemini obligatus: curare quantum fieri poteſt ſolitus, ut jura, privilegia & conſuetudines Provinciæ, Ordinumque auctoritas illæſa ſerventur. Hujus eſt omnia Ordinum comitia prope obſervare, iiſque ſtato tempore, niſi morbus, aliave neceſſaria cauſa impediat, intereſſe: Hujus, congregatis Ordinibus, prima comitiorum die, brevibus ea, de quibus agendum, cum viva voce, tum ex ſcripto commemorare; de ſingulis Nobiles, civitatumque Delegatos ſententias rogare, eaſque fideliter notatas ſumma ſilentii fide legere, & poſt rationem, quæ prævaleant indicare, ut quod facto opus, fiat. Hujus denique eſt catalogum omnium actorum conficere; conſtitutiones omnes, idque genus alia, quæ alicujus ponderis, extendere; intra octavum poſt ſingula comitia diem nobilibus, ſinguliſque civitatibus actorum omnium, quæ præteritis nata comitiis, ut exſcripta mittantur curare. Ordines ſolenniter coacti, præſtito fidelitatis & ſilentii juramento, quæ propoſita in maturam vocant deliberationem. Ea ad certa referri poſſunt capita. Conſueverunt igitur agere de contributionibus, conſenſionibus, ſubventionibus, idque genus aliis; de obligationibus vel temporariis, vel perpetuis, quibus incolæ hujus regionis eorumque bona obligantur; de mutando regionum reique publ. ſtatu; de pangenda pace faciendiſque induciis; de bello indicendo; de fœderibus ineundis; de alienandis, cedendis, donandis, quæ ad regionem pertinent, rebus; de ſtipendiis & honorariis conſtituendis; de conficiendis novis decretis; de rogandis abrogandiſque generalibus conſuetudinibus; de conferendis publicis muneribus; de remittendis publicis debitis; de varianda publica moneta; de augendis extra-ordinariis contributionibus, de concedendis alicui civitati, pago, collegio, privilegiis. In ſuffragiis autem ferendis, primæ debentur Nobilibus; ſecundæ Dordrechto, tertiæ Harlemo; quartæ Delphis; quintæ Lugduno; ſextæ Amſteldamo; ſeptimæ Goudæ; octavæ Roterodamo; quod deinde minores reliquæ ſequuntur. Ex ordine ſuam quiſque ſententiam declarat, ejuſque rationes ſine aliorum interruptione, & quod major pars decernit, ratum habetur. Et ſic quidem admirandum hoc florentiſſimæ Reip. corpus per ſe gubernant univerſum Illuſtriſſimi Ordines: qui quum ſingulis tantum trimeſtribus, ut antea dixi, convenire ſint ſoliti, & intermediis temporibus frequenter ea incidunt, quæ dilationem vel moram non patiuntur, perpetuos habent Deputatos, quorum continua quaſi & ceſſante nunquam opera res adminiſtrant cum terreſtres, tum maritimas. Priores quidem Deputati vocantur collegæ, poſteriores conſiliarii Admiralitatis. In deputatorum collegio ſex ſunt, qui ex nobilibus & præcipuis civitatibus legi conſueverunt in annum, jurejurando obſtricti, ſe quicquid injunctum ipſis cum diligentia & fide, nulla habita perſonarum ratione, ſervaturos; nemini ſe obligaturos, ab nemine honoraria, penſiones, dona qualiacunque accepturos. Horum eſt de Provinciæ ſtatu, omnibuſque quæ incidunt, cum Præfecto Provinciæ communicare, eidem fidele, quodque Reip. eſt bono, conſilium ſuggerere, ad commodum vel proprium vel alterius, quod egregium publicum poſſet remorari, non attendere. Item quæcumque in Ordinum comitiis vel juſtitiæ tuendæ, vel politiæ ſtabiliendæ conſtituta ſunt, ut exſecutioni mandentur, gnaviter curare. De omnibus quæ ad regionis ſtatum pertinent, & vel Præfecto, vel aliis non ſunt reſervata, maximo Reip. commodo deliberare: ad ea, quæ maximi momenti moram non patiuntur, Ordines extra ordinem convocare. Eorundem eſt, ut pax, concordia, amicitiæ inter urbes, agrorum univerſitates pagoſque ſerventur; &, ne qua per aliquem vis frauſque fiat Ordinum conſtitutionibus, ſpecialem adhibere diligentiam. Rogare porro ut non ſolum delicta militaria, verum etiam exactiones, concuſſioneſque eorum, qui poteſtate præditi, rigide puniantur: utque contra ſeditioſos, rerumque novatores, quique aliquid contra Reip. ſalutem moliantur, abſque ulla conniventia procedatur, inſtare. Ipſorum etiam eſt, armorum omnium, quæ in publico armamentario, fidelem habere catalogum: ut conſtituta præſidiario militi pulveris tormentarii, fomitiſque igniarii quantitas tradatur, neve quid armorum limitaneis oppidis deſit, adniti: ut denique paſſim in Hollandia munitiones & propugnacula exſtruantur, eaque ſarta tecta conſerventur, ſedulo curare. Habent iidem, ne illud prætercam, cognitionem & juriſdictionem controverſiarum, quæ publicarum impoſitionum, ſubventionum, penſitationum & ſimilium occaſione moventur, nulla conceſſa appellatione: item abſente Præfecto, cauſas omnes judicant terminantque quæ pertinent ad captivos, prædaſque militares, & alia, quæ inde oriri & manare ſunt ſolita. In adminiſtratione ſua hunc ſequuntur ordinem, ut primo ſuſcipiant conficiantque, quæ regionis totius; deinde, quæ civitatum, & collegiorum; poſtremo, quæ privatorum. Conſiliariorum, quos antea nominavi Admiralitatis, qui ex præcipuis civitatibus ſenarium conſtituunt numerum, eſt elaborare, ut conſenſus ſit ipſis mutuus & amica conſpiratio cum Archithalaſſo, Ordinibus ipſis, & Ordinum Deputatis, eoſque opera fideli & bono juvent conſilio: oculis menteque ab emolumento privato proprioque commodo averſis. Eorum eſt, ſummo ſtudio intendere, ut ad navigationis ſecuritatem, liberum maris uſum, cuſtodiamque Hollandiæ fluminum, conveniens

ſemper

ſemper ſit & idonea claſſis : ut eadem claſſis perpetuo bene ſit inſtructa omni apparatu bellico, tormentis, pulvere, aliiſque ad navalia prælia hoſteſque pulſandos neceſſariis : ut denique publici per mare fluvioſque commeatus negotiatoribus aliiſque iter aliquo facientibus non ſegniter præſtentur. Eorundem eſt peritos maritimæ rei Præfectos, duceſque cum majorum tum minorum gentium conquirere, iiſque jurejurando fidelitatis obligatis ad agendum mandata præſcribere. Cognitionem habent ſententiæque abſque ulla provocatione dictionem, cum de fraudibus, dolis, impoſturis, quæ in publicis commeatibus ſolent deſignari, tum de controverſiis, quæ inter navales ſocios oriri conſueverunt. Poſtremo quæſtiones liteſque terminant de prædis ſpoliiſque maris : de mercibus naufragorum in mari repertis, de debitis, quæ contraxiſſe, quam diu merent, deprehenduntur duces ſociique navales, de piratis prædonibuſque, de delictis denique, criminibus, erratis in mari fluminibuſque perpetratis. Duo inſuper ſunt Collegia Rationalium. Vnum Vetus, anno 1446 à Philippo Burgundo inſtitutum, penes quod eſt directio, inſpectio & adminiſtratio patrimonii publici, & eorum, quæ eo pertinent. Vulgo vocatur **de Camer van Reeckeninge.** Alterum haud ita antiquum, quippe bellicis hiſce temporibus natum : in quo examinantur rationes omnes communium tributorum & vectigalium hujus provinciæ, itemque eorum, quæ extra ordinem ex decreto Ill. Ord. Hollandiæ & Weſtfriſiæ exiguntur à ſubditis : præterea bonorum Eccleſiaſticorum, & apparatuum bellicorum, denique Vniverſitatis Leydenſis, &c.

Eſt & quoddam commune Iuris dicundi tribunal, quod *Curiam Hollandiæ* dicimus, cujus caput eſt Præfectus provinciæ ; ad quam à ceteris particularium locorum tribunalibus provocatur. Hic ipſæ quoque urbium controverſiæ, aliaque magni momenti diſceptantur. In hac ſedent veteri inſtituto viri Nobiles, aliique Legum & morum periti, atque I. V. Doctores, numero duodecim, quorum unus eſt Præſes, cum Graphiario & Secretario. Eliguntur ab Ordinibus Hollandiæ & Zelandiæ (nam & de Zelandorum cauſis cognoſcit) hoc ordine, ut Hollandia nominet duos Præſides ſucceſſive, Zelandia deinde unum. Ex Iudicum autem numero Zelandi tres allegant, Hollandi ceteros. Ab hac Curia ad Mechlinienſe auditorium appellationes inſtitui ſolebant : quod ut in commune ſibi jus diceret, rogatu Principum Burgundorum, diverſarum nationum Ordines conſenſerant. Ejus in locum Hollandi & Zelandi (ante annos complures,) novum Conſeſſum virorum doctrina ac prudentia eminentium inſtituerunt. *Supremum Senatum* vocant. Ab hujus ſententia appellatio non datur. Supplicari tantum DD. Ordinibus ſolet, ut lectos extra ordinem judices ad Collegium adjungant, qui diligenter exquirant, rectene, an per errorem ſit judicatum : *Reviſionem* ejuſmodi actum vocant.

Sed antequam hæc finiam, operæ pretium duxi decretum Ordinum Hollandiæ ad pleniorem Reip. eorum intelligentiam, hic ſubjungere.

DECRETVM
De Priſtina apud Hollandos Reipublicæ Forma.

EQueſtris ordo ; Nobilitas ; & Hollandiæ Weſt-Friſiæque urbes, in quibus ejuſdem terræ Ordines conſiſtunt, re deliberata cum Nobilibus, & cujuſque urbis Senatu, eorumque reſponſis ſuper præſenti ditionis ſuæ ſtatu expenſis, jurisjurandi officiique ſe vinculo obſtrictos cenſuere, ad exponendam publico libello veram apud Hollandos ac Weſt-Friſios Reip. formam; certo confiſi, quemque, in ferendo judicio, integro animo, ac placido uſurum, qualem calamitoſa hæc Reip. tempora expoſcunt.

Hollandiam, Weſt-Friſiam, ac Zelandiam octingentis abhinc annis ſexus utriuſque Comites habuiſſe conſtat, imperium ex legibus adeptos, Equeſtris ordinis, Nobilitatis, Vrbiumque delatu, in quibus earundem terrarum Ordines conſiſtunt. Quod ipſi ita moderati ſunt, ut quamvis non deſtituerentur prudentibus Conſiliariis, ex Nobilitate, & indigenarum præſtantiſſimo quoque dilectis, bellum tamen, pacem, tributa, & quæ alia majoris momenti, nunquam decernerent, niſi adhibitis in conſilium, & conſentientibus Nobilitate atque Vrbibus, quorum, quoties res gravior incidiſſet, conventum indicebant. Adeo ut non aulicis tantum conſiliis, verum & his promti ſemper aditus, numquam negata fides, & benigne reſponſum à Principibus fuerit, ſiqua publicum ſpectantia attuliſſent. Hunc in modum juſtiſſimis legibus ſubnixo, & forma, ſiqua unquam reperta eſt, optima conſtituto regimine, multum ſubditis, multum ipſis Comitibus utilitatis, atque incrementi. Etenim, quamvis anguſtæ Domini terræ, apud omnes pene Chriſtiani orbis Principes, ſumma exiſtimatione, & magnis Regum domibus innexi fuere : quomodo anno poſt mille ducentos quadrageſimo ſeptimo, Guilhelmus, id vocabulum Secundus, Romanorum electus Imperator eſt. At hoſtes aut devicerunt, aut quamvis præpotentes finibus ſuis depulerunt, non exiguo in finitimos terrore ſuo ac reverentia. Adeoque veriſſime firmare licet, Hollandiam Zelandiamque, ab octo ſæculis, ſeu externo, ſive inteſtino bello, neminis unquam armis fuiſſe ſubjugatas ; rara hodie aliis regnis, aut Rebuspublicis (niſi fortaſſe una Venetorum excipienda) laude ; neque ea aliis quæſita artibus, quam concordia, mutuaque inter Principem ac Patres caritate. Quippe Comiti, ſine Nobilitate atque Vrbibus, vix quidquam poteſtatis ; ne reditus quidem, niſi quos è re fiſcali acceptos, aulæ miniſteriis, & tuendæ Principali fortunæ inſumebat. Compertum quoque jus Patribus fuiſſe, non modo monitis ſuis ad ſalubria revocandi Principem pravis conſiliis ſeductum ; ſed & ſi minus audirentur, animadvertendi in malos conſultores, & quicumque Principis autoritate abuterentur, cujus rei obvia paſſim exempla ſunt. Convenit etiam, Patrum officii, Principibus impubertatem haud dum egreſſis, tutores addere : ita Guilhelmo

Quinto, emotæ mentis, tutor, idemque populo rector ab iis impoſitus eſt. Poſtremo dubium non eſt, Supremam penes Patres poteſtatem conquieſcere, quoties fato Principis, aut impubertate, vel mentis impotentia, errore, vel aliam ob cauſam intermiſſa ſit Reip. adminiſtratio. Quamobrem ſæpius caput ſibi, Tutoris, ſive, ut nuncupabant, Ruwardi nomine, delegerunt. Quod factum imperitante Domo Burgundica, quando Carolo Duce, filiaque ejus Maria exſtinctis, Maximilianus Auſtriacus, per vim diverſum inducere morem tentans, in extremum has terras diſcrimen conjecit. Etiam ipſi Carolo, donec juſtam ætatem attingeret, tutores, ſubditis rectores à Patribus impoſiti. Et Carolus (quanquam ſub Domo Burgundica Belgarum libertas jam pluribus modis infracta erat) Patrum autoritatem ſemper fecit maximi, gnarus tutiſſimum id rebus ſuis munimentum. Itaque & filium ſuum, Regem Hiſpaniarum, crebris monitis ad moderationem flectere tentans, diſertim teſtificatus eſt, maximum rebus ejus diſcrimen impendere, quandocumque Patrum autoritatem in levi habiturus eſſet. Veraque parentem monuiſſe, experitur hodie Philippus, ingenti ſuo, nec minore Belgarum damno. Neque enim (quidquid contra diſſeratur) alia huic bello cauſſa, quam quod extraneo milite per vim ſubditos ad ea Rex adigere conatus ſit, quæ tanquam noxia injuſtaque Patres diſſuaſerant. Hæc quamquam extra controverſiam poſita, repetere pretium fuit, quod multi incerti, & in diverſum abeuntes, Proceres æſtimant ex dignitate eorum qui conventui interſunt, & rebus ibidem tractari ſolitis; perinde ac ſi hi, quibus hoc muneris à Nobilitate atque Vrbibus imponitur, ſemet pro Ordinibus venditent, & ſummo liberrimoque ſibi jure arrogato, pro lubidine rapiant cuncta agantque. Vnde & quicquid actum eſt, in illorum invidiam detorquent. Cæterum quiſquis hæc, & quæ alia magni momenti Principibus aſſenſu Patrum transacta, reputaverit, & imprimis ea quæ ab annis xv in Hollandia Zelandiaque geſta ſunt, facile advertet, nequaquam Patrum autoritatem in 30 aut 40 hominum manibus ſitam, qui intereſſe conventibus ſolent. Ipſi Hiſpaniarum Regis miniſtri, qui id genus argumentis terrarum ſtatum, atque in contemtum adducere Proceres conati ſunt, experiendo didicere quam falſa diſſeruerint. Porro ut conſtet, unde tanta Patrum poteſtas originem traxerit, notandum, Principes, quotcumque ex legibus præfuere, non tantum populi deferentis conſenſu placitoque imperium habuiſſe, ſed & adminiſtraſſe, ita ut cuncta corporis (cujus ipſi caput erant) membra integra, atque intemerata permanſerint. Nec durare in longum id poterat, cum facile Principem vafri atque ambitioſi homines tranſverſum agant, niſi facultas indigenis fuiſſet, adverſandi pernicioſis Comitum conatibus; ipſoſque ad ſalutem ac libertatem tuendam non modo non omnium nomine admonendi, ſed &, ſi ad violenta transgrederentur, publicis viribus coërcendi. Quam ob cauſſam duos in ordines diſtributi ſunt, Nobilium alterum, alterum Vrbium. Nobilitati datus ordo ob dignationem generis, quo (quod pace aliorum dicere liceat) de antiquitate cum quavis natione contendunt. Hi in poſſeſſionibus ſuis, jus de criminibus ac civilibus negotiis dicunt; & conventibus, quotieſcumque tranſiguntur, interſunt, & cum legatis urbium in commune conſulunt. Regiminis forma urbium plerìſque eadem eſt; videlicet collegium Senatorum ex præcipuis gente ac cenſu lectorum: Sed non eodem ubique numero. Eſt quippe ubi 40 aut 36, eſt ubi 32, 28, 24, aut denique homines non plures vicenis numerentur. Nec ipſis urbibus antiquitate hæc collegia cedunt, certe exordia vetuſtas abolevit. In ea qui adlecti ſemel fuerint, ordinem cum vita aut jure civitatis, nec ante, amittunt. Defunctis, aut alio migrantibus, collegæ pariter omnes delectos ex tota civitate ſufficiunt. Iis collegiis poteſtas eſt deliberandi ac ſtatuendi de cunctis, quæ communem patriæ, aut proprium urbis ſuæ ſtatum ſpectant. Earumque decreto ſtant civium cæteri, nec quiſquam transgreditur. Etiam magiſtratus creant; Conſules quaternos, ternos, aut binos; judices ſeptenos, quorum annuus honor eſt. Sed delectus in civitatum nonnullis ſimplex; in aliis, è duplici nominatorum numero, Præfectus gentis, quos viſum, recepto numero eligit. Conſulibus curæ eſt regimen, proventus, cuſtodia, ac ſalus urbis. Iudices criminale ac civile jus reddunt. Adeo ut illa penes collegia ſummum per Hollandiæ, Weſt-Friſiæ, ac Zelandiæ oppida imperium ſit. Quorum ſe regimini nunquam Comites interpoſuere; ſolum Prætorem urbanum mittere ſoliti, qui eorum nomine noxios legibus interroget, judicium poſcat. Hæc vera Reip. apud Hollandos, apud Zelandos, forma. Vnde apertum cuique prædicta collegia, cum Nobilitate, haud dubie univerſæ Reip. ac terrarum ordines compendio complecti. Nec reperire ullam Reip. formam licet, qua accuratius de omnibus cognoſcatur, ac ſtatuatur, aut decreta majori concordia atque autoritate perficiantur. Vt mirari non conveniat ſtabilem, etſi ullus, perennem hunc ſtatum fuiſſe. Iam vero, quoniam interventu negotiorum, quæ totam ex æquo gentem tangunt, non facile univerſa hæc collegia in unum coguntur, conſuetudinis eſt, ut potiſſima rerum capita deſcribantur: ſuper quibus ubi diſceptatum in collegiis, factumque decretum eſt, Legatos ad conventum mittunt, cum mandatis, quæ maxime in rem publicam judicaverint. Nobiles juſto adeſſe numero, Vrbes Conſulem cum nonnullis Senatoribus mittere adſuevere, pluribus, aut paucioribus pro rei mole. Sed durante hoc bello, miſſis ad conventum, ob multitudinem occurrentium, perpetua mandata fuere, ut quæcumque ad patriam ſalutem pertinere viderentur, cognoſcerent, decernerentque maxime publico utilia: maxime tamen jura, libertatem, atque inſtituta terrarum defenderent, ac violari prohiberent. Hi, poſtquam convenere, Ordinum præ ſe autoritatem ferunt; non quaſi ſuo nomine Ordines ipſi ſint; ſed à collegis ad id munus delecti. Neque ſuſpicandum, ambitione quenquam irrepere; præterquam enim quod à natu-

ra Belgis

ra Belgis insitum ambitionis odium, ne cadere quidem in liberam electionem potest. Multo minus turbidis & calamitosis temporibus, quis Remp. exercere Numini placuit, regimen ullus affectabit, in quo laboris ac tristitiæ plena omnia, nec spei quidquam, nisi calumniarum, & odii ab hostibus Reipublicæ, qui sæpe præstantissimos viros falsis delationibus avertere, ut de optimis Reip. ministris pravam conciperent opinionem. Hinc inter munera necessaria reponenda ea dignitas fuit. Et quicumque Reip. partem ipsi cepere, testari possunt, quo labore permovendi, ac propemodum adigendi fuerint, qui designati erant, ut ea munera susciperent. Soluto Conventu, his à quibus missi erant, rationem actorum reddere iidem tenentur. Hæc reipublicæ fundamenta sunt, quîs Hollandiæ, West-Frisiæ, ac Zelandiæ res, per quingentos, sexcentos, imo septingentos annos, innixæ fuerunt, ut vetustissima produnt monumenta; hæc imperii forma est, qua, post Deum Opt. Max. angustissimis rebus, validum hostem, ingentibus animis, summaque concordia Fœderati sustinuerunt. Inde factum, ut membrorum ne unum quidem, nisi violenter, à communi corpore avelleretur. Numquam civium, nunquam militum seditione, in Hollandia Zelandiave, dum bellum hîc stetit, laboratum. Cujus rei, secundum Numinis providentiam, non alia ratio, quam quod bona fide, & sine dolo malo cuncta administrata sint. Multis etiam minimorum oppidorum, certe omnibus quæ id cupiebant, suffragii jus, quo ante carebant, eo consilio datum, ut gnaro cuique Reip. statu, ac necessitatibus, intoleranda alioqui onera promtius ferrent, & illæsa agerent concordia. Vnde & Nobilitati atque Vrbibus solutum semper fuit, quem vellent numerum è Senatu suo ad conventum mittere, dummodo tales, qui legibus haud prohiberentur. Quod si Nobilium, aut Legatorum, contra mandata (quod nos latet) egisse quenquam ostendatur, omni tempore rationes ab eo repetere; &, si reddere nequeat, pœnam irrogare licet. Tales qui bona fide deferunt, pro optimis habemus civibus. Sed quibus ludibrio Patres, quibus eorum facta calumniis insectari mala libido est, admodum se fallunt, si rem sibi cum solis Nobilibus, aut Legatis urbium, tanquam hominibus privatis, esse arbitrantur; nisi quatenus probent, mandatorum limites eos exivisse. Et quanquam multis, ignorantia ac simplicitate ad id genus calumnias prolapsis, facile ignoscatur; illos tamen, qui prudentes id faciunt, certissimum est hostes Reipub. esse, & talibus comparandos, qui ut domum præcipitem in ruinam dent, ejus subruunt fundamenta. Quod Principis juxta ac subditorum interest. Etenim, quæ Principi vires, nisi mutua inter eum subditosque concordia, mutuo amore nitantur? Quomodo autem concors sit, aut auxilio eorum utatur, si proceribus adversari, si plebem opprimere velit, aut in subditos se suos concitari patiatur? Quomodo firmus Reip. status sit, si in Patres, hoc est in Nobilitatem, magistratus, atque urbium Senatores, defensores ac rectores suos multitudo instigetur? qui sæpius pro commodis ejus offensam Principis aut Præfecti incurrunt. Liquido hinc prudentior quisque colligat, nullos nocentiores Reipub. hostes esse, quam qui universe rectores traducunt. Etsi pro talibus nequaquam habeantur, qui demonstrent, unum quempiam in conventu Procerum, limites mandatorum, aut officium suum excessisse. Quare sciant omnes, cum supremam Patribus potestatem adscribimus, non privatim Legatos intelligere nos, sed, à quibus ii mittuntur, Nobiles atque Vrbes. Ita sane alii Principes, ita Britanniæ Regina, quando cum Fœderatis proceribus fœdus inivit; ita denique ipse Licestrius, cum præfectura traderetur, accepere: de quo nemini ambigendum est. Adeo ut credere nequeamus, esse adhuc, qui justis rationibus probare possint, Nobiles, magistratus, Vrbiumque Senatores, nunc ea destitui potestate, quam olim habuisse eos demonstratum est; & illo etiam tempore, quo pacti cum Regina præfecturam Licestrio contulere. Nisi pariter & hæc, & quæcumque proximis quindecim annis proceribus acta sunt, in dubium devocentur; quod non alius quam Reip. hostis factitaverit. Hinc cognoscitur, quam necessarium sit integram Patribus relinqui potestatem suam; quippe cui munimento universæ Belgarum insistant res, haud dubie ruituræ, si subducatur. Et manifestum est, ut olim sub Principibus, ita nunc quoque summum eos imperium habere. Statutum Hagæ Comit. a. d. 16 Iulii, Anno 1587. factumque decretum, ut 16 Octobris die Harlemi Licestrio offerretur.

SERIES COMITVM HOLLANDIÆ.

Primus qui Hollandiæ titulo Comitis præfuit, fuit *Theodoricus*, filius Gerolfi Frisionum Comitis, Walgeri Teysterbantiæ Comitis frater, obiit anno 903. Successit ei è Gonnâ ignotæ originis, (quamvis nonnulli eam Pipini Italiæ regis filiam prædicent,) uxore filius

Theodoricus II, qui Frisiis parere abnuentibus, post duo cruenta prælia, jugum imposuit, Monasterium Egmondanum ligneum è saxo confici jussit; Hildegardim Ludovici Franciæ Regis filiam domum duxit, è quâ filios suscepit Egbertum LXXIII Trevirensium Episcopum, & Arnulphum successorem, nec non Erlindam egregia forma virginem. obiit anno 988.

Arnulphus, patre etiam tunc vivente matrimonio sibi junxit Lutgardam Romani Iunioris Imperatoris Constantinopolitani filiam, & Theophaniæ, Ottoni II, Cæsari, desponsatæ sororem, ex qua procreavit Theodoricum, & Sigefridum, ex quo Brederodii rectâ lineâ descendunt. obiit à Frisiis occisus anno 993.

Theodoricus ejus nominis III, ordine IV Comes, Vtilhildim Ottonis II Cæsaris & Saxoniæ Reguli filiam in uxorem duxit; Adelboldum Vltrajectensium præsulem devicit, & captivum detinuit. In vindictam patriæ necis intentis, impetrato ab Imperatore in auxilium Godefrido Barbato Lotharingiæ Duce, contra Frisios bellare aggressus est, ast conserto prælio, voce, nescitur unde,

unde, emissa,Fugite, Fugite; vix eorum victrices effugiens manus, prælium & Godefridum Ducem amisit. Itaque inulto patre à peregrinatione terræ Sanctæ redux obiit anno 1039.

Theodoricus IV, cælebs, in ludicro certamine Leodii casu Episcopi Coloniensis fratrem vita privavit, quod bello causam dedit, in quo Theodoricus sagitta veneno infectâ ex insidiis ictus cecidit. anno 1048.

Florentius I, Theodorici frater, Reipublicæ gubernacula suscepit. Hujus successibus externi Principes aliquot, Archiepiscopus Coloniensis, Antistes Leodinus & Lambertus Comes Lovaniensis invidentes, contraxerunt exercitum, quo novum Comitem Principatu deturbarent. Quod ubi ad Florentium permanasset, statim ex consilio senis cujusdam, qua hostem venturum credebat, factas clam noctu ingentes foveas, ut qui intendebatur dolus procederet, fœno & stramine operuit; in quas egressi hostes quum incidissent, adfuit Florentius, qui magna prius edita cæde, multos abduxit captivos: inter quos erat Comes Lovaniensis, quem postea grandi pecunia redemptum dimisit incolumem. Hæc victoria Comitis tantum abfuit ut Archiepiscopum Coloniensem deterruerit, ut non multis inde annis interjectis cum numeroso exercitu in Hollandiam sit reversus; qui effusius omnia vastanti occurrens cum non pœnitenda suorum manu Florentius levi pugna hostem fudit. Multi in eo prælio cecidere: reliqui capti, qui ætate, aut alia re impediti fugere non potuerunt. Fuit annus ille quo Florentius eam victoriam adeptus est humanæ salutis secundus & sexagesimus supra millesimum. Habent Annales, hunc eundem Principem, non multo post superatum Archiepiscopum, sub arbore quâdam (currendo, an pugnando, dubium est) defessum sedisse, ibique interemptum ab his qui superiori prælio fugerant.

Gertrudis, ejus uxor, mortuo marito, præfuit; quâ gubernante non invenio usquam bellatum. Hæc vita decessit, edita jam ex duobus maritis numerosa prole.

Robertus, alter Gertrudis maritus, Theoderici privigni sui necdum maturi gubernaculis Tutor adscitus, Rempublicam summa integritate continentiaque rexit. pulsus tandem à Godefrido Lotharingiæ Duce, qui Wilhelmi Trajectensis Antistitis opibus fretus, Hollandiam per vim occupavit.

Godefridus, quum jam videret omnia sibi ex animi sententia succedere, factus multo elatior, bellum Frisiis intulit; quibus devictis, reversus in Hollandiam subsedit Alemariæ: novem interim hebdomadas à Frisiis obsessus, imploravit opem Trajectensis Antistitis; qui repente succurrens, multis millibus Frisiorum cæsis, Alcmariam obsidione solvit. Postea idem Godefridus (qui Gibbosus dictus, quod grandis ei pectore gibbus excreverat) condidit oppidum Delfense, nostris temporibus divitiis & pietate multum insigne. Tradunt quidam eum, quum forte ventrem exoneraret, graviter vulneratum, paucis post diebus animam efflasse, luisseque hoc modo pœnas alieni per vim occupati imperii.

Theodoricus, hujus nominis V, cæso Godefrido, Comitatum ut verus ejus familiæ hæres, accepit; qui administrationem adeptus, pro magno habuit negotio recuperare patriam hæreditatem; cujus gratia Conrado Trajectensium Antistiti bellum indictum, exercitus conflatus. Mirum dictu, qua cupiditate recuperandæ hæreditatis per vim adeptæ, quanta sit alacritate & impetu hostem aggressus: qua quidem re factum, ut territus Antistes, ac veritus ne illud malum plus nimio invalesceret, deditionem fecerit. Itaque pax facta, & quicquid antea vi armisque Conradus Theoderico adhuc puero ademerat, redditum. Ortum interea novum à finitimis bellum, Frisiis novo Comiti rebellantibus; contra quos per concretas frigoribus aquas (jam enim Brumæ tempus erat) profectus Theodericus, modico negotio eorum aciem disjecit, cæsis in eo certamine quatuor Frisiorum millibus. Tantum abfuit, ut ea clade accepta quieverint, ut eodem tempore contracto alio exercitu eduxerint contra Theodericum; qua rebellione vehementer commotus ille rediit; estque eo die atroci concursu tanta Frisiorum strage pugnatum, ut nullius neque sexus, neque ætatis respectus sit habitus. Plures etiam villæ atque pagi incensi. Stavria tribus hebdomadibus circumsessa, tandem his conditionibus rebellionis veniam impetravit, ut deditione facta certam pecuniæ quantitatem Theoderico daret. Hunc in modum subactis Frisiis,pax composita, perpetuumque obsequium Hollandiæ Comiti promissum. Hic Theodericus vita defunctus est, quum præfuisset annis quinque & viginti.

Florentius, ejus nominis II, cognomento Pinguis, Theodorici filius, post patrem imperat, vir excelsa statura, crasso corpore, pacis quam belli amantior. Egenos hic & pauperes (quod magnum justitiæ opus est) aluit, studuitque toto Principatu omnibus prodesse, nocere nemini. Hoc modo vivendo, omnes qui ante eum fuere Comites virtute ac sanctitate antecelluit. Mortuus, postquam annis duobus & viginti in summa pace & otio Hollandiam rexerat.

Theodericus VI, prædicti Florentii filius, natu major, fit exinde Comes; qui subitâ defectione rebellantes Frisios domuit, adque obsequium retraxit. Sed non diu illi in officio manserunt. Nam paulo post Florentio Nigro, quem in Theodericum fratrem animo infenso esse non ignorabant, socia arma jungentes, hostiliter in agrum Hollandicum incursione facta, Alcmariam incenderunt; exarsissetque multo latius id incendium, nisi repentè certior factus Theodericus hostem retro abire coëgisset. Haud multo post, quum allatum esset, uxoris ejus fratrem à Frisiis captum, exercitum à Trajectensium Antistite superatum, Trajectum profectus, hostiliter eam urbem circumsedit; eratque omnifariam mox instrumentis oppugnaturus, nisi cum universo clero Heribertus Antistes Pontificio habitu urbem egressus, ut anathemate Comitem notaret, militem compressisset. Commentarii, quos sequimur, tradunt, ipsum quoque Theodericum ad Antistitis pedes jacentem anathematis fulmen suppliciter deprecatum. Supplici ignotum, urbsque obsidione liberata. Hujus

jus Theoderici temporibus Trajecti, nescio quo casu, ortum incendium, cujus adeo flamma invaluit, ut præcipua urbis templa, non pœnitendis adornata imaginibus, arserint. Miraculi loco habitum, quod in tanta pulcherrimæ urbis conflagratione Ædem Salvatori dicatam ignis non attigit.

Florentius III, Theodorici superioris filius, factus Comes matrimonio sibi junxit filiam Regis Scotiæ,quam à Wigbaldio Abbate Egmondensi, viro multa sanctitate prædito, in Hollandiæ portum advectam incredibili apparatu lætitiaque excepit. Hunc & Godefridum Trajectensium Antistitem, de Frisiæ imperio contendentes, in gratiam reduxit Fredericus Imperator, qui sedandæ altercationis gratia id temporis in Hollandiam descenderat. Contingit paucis post mensibus, ut, Florentio Comite majoribus curis occupato, Frisii in Hollandiæ agrum egressi Alcmariam iterum incenderint; qua re commotus Florentius, educto exercitu, cum Frisiorum gente conflixit. Victi Frisii, non paucis argenti modiis pacem redemerunt. Est deinde Florentius cum plerisque aliis illustribus viris Hierosolymam profectus; quibus omnibus quum una esset susceptæ peregrinationis ratio, ut Saracenos, qui Terram Sanctam invaserant, Divino freti auxilio ejicerent, bis cum ea gente dimicaverunt, ac primo prælio interfectorum armis adjuti, altero ita fæde hostem afflixerunt, ut in ea pugna undecim Saracenorum millia ciciderint; spolia ampla relata: tamque singularis victoriæ auctori Deo actæ gratiæ. Si satis diligenter & integra veritate compositi Annales, periit Florentius in Antiochia.

Theodericus VII patri Florentio in Antiochia defuncto surrogatur; qui Comitatum adeptus, cum Guilielmo fratre suo in Selandia atrociter conflixit. Verum non multo post, Balduinus Trajectensium Antistes, & Theodericus Archidiaconus, concordiæ auctores fuere, hac conditione, ut Guilielmus Theoderico majori natu Comitatum Hollandiæ cedens, in Frisia Orientali Rempublicam administraret, & quotannis ex Geervlietensi telonio trecentarum librarum (ut vocant) reditum acciperet. Desiit postea in humanis agere Balduinus Antistes. à cujus obitu Theodericus Hollandiæ Comes Sedis Trajectinæ (de qua electis duobus contendebatur) factus est Tutor; cui summa fide res Ecclesiæ curare nitenti obstitit Geldri consilium: estque ob id cum ea gente dimicatum. Postquam hic motus resedit, Comes Theodericus cum exercitu Brabantiam ingressus Buscumducis vi cepit; eratque nobiles inde viros aliquot in Hollandiam abducturus, nisi subitus Lotharingiæ Ducis adventus omnia mutasset. Nam cæsis illic in magno numero Hollandis, Comes ipse captus non potuit prius in suum Comitatum redire, quam omne damnum, quod Buscoducensibus intulerat, æqua æstimatione persolvisset. Idem quum annos tredecim rexisset, & morbo gravi non longè à Dordraco premeretur, multum angebatur Guilielmi fratris absentia, quem Adæ filiæ adolescentulæ admodum, & immatura adhuc ætate ad imperandum, relinquere Tutorem cupiebat. Hisque implicitus curis moritur, omnibus magnum sui desiderium relinquens.

Ada superioris Theoderici filia, mortuo patre, nupsit illustri viro Ludovico Comiti Lossensi. Cui quum tantum conjugium à finitimis quibusdam Principibus invideretur, magni bellorum motus in Hollandia orti, qui vix tandem post multam cædem resederunt.

Guilielmus I, Orientalis Frisiæ Comes, Adæ, neptis suæ gubernationem excepit. Ab hoc inimicorum arces aliquot eversæ. Incensum à Trajectensibus Dordracum; cujus vastationis causam non invenio. Pax tandem inter Hollandos & populum Trajectensem ita composita est, ut Comes Guilielmus, qui prius multo majore incommodo Trajectenses affecerat, mille talentûm Antistiti persolveret. Hic Molgtolini avunculi sui, Scotorum Regis, audita morte, per quam Regnum lege ad se redisse putabat, classem contraxit, qua Scotiam ingressus, multa oppida expugnavit: sed quum à Ludovico Lossensi Comite Hollandiam igni ferroque vastari accepisset, ne certum jam acquisitum Comitatum pro incerto Regno amitteret, domum reductis navibus, Ludovicum adortus est, qui Hollandiæ agros latissimè populabatur. Obiit mortem hic Guilielmus anno initæ apud Hollandos gubernationis undevigesimo, in Frisia Orientali sexto & vigesimo.

Florentius, ejus filius, hujus nominis IV, fit Comes, peritia dimicandi nulli superiorum Principum secundus. Magnitudine rerum gestarum hujus viri accensa Claromontensis Comitis uxor, maritum oravit, ut ludos militares ex industria pararet; rata futurum, ut Florentius studio dimicandi cum suis accurreret. Constituitur certamini dies. quem diem quum & Florentius, cujus unius gratia factus erat ille apparatus, venisset, læte mulier conscendit partem domus superiorem, ut ex editiore fenestra dimicantem prospectaret; cujus virtutem ipsa quum subinde laudibus ferret, suspicans maritus adductum sibi ante oculos tori insidiatorem, contractis clam armatis in locum certaminis descendit, omnisque rei ignarum Florentium obtruncat. Obtruncati corpus ad Rhenoburgense Cœnobium deportatum, ubi loci magnifice sepelierunt Allemanniæ Proceres. Periit autem hic Florentius viridi adhuc ætate, quum annis duodecim Hollandiæ præfuisset.

Guilielmus II, Florentii filius, nondum maturus administrationi erat, sex tantum annos natus: tamen ei Comitatus Hollandiæ ad puberem ætatem incolumis mansit tutelâ patrui Ottonis, Trajectensium Antistitis. Hic Guilielmus,armorum quam auri multo studiosior, imberbis adhuc & vix dum annum agens vigesimum, Romanorum Rex eligitur. cui inde Leodium per Antistitem loci consanguineum suum perducto, universus clerus extra urbem officii causa obviam processit. Eodem fere tempore apud Trevirorum Archiepiscopum pluribus diebus commoratus, rediit postea in Hollandiam: Instituitque non longe ab oppido Delfensi Concilium, ad quod Hollandi Zelandique suas causas deferrent. Locus dicitur Haga-Comitis. Idem Princeps nunciis & lite-

& literis certior factus Margaretam Nigram, quæ per id tempus Flandriæ præerat, exercitum conflasse ad expugnandam diripiendamque Walachriam Selandiæ insulam, Florentium fratrem cum armata juventute eo misit, ut Flandros ab injuria arceret. Accidit forte, ut non longe à Middelburgo, nobili Selandiæ emporio, duo exercitus inter se concurrerint. Fuit ea pugna Flandris tam cruenta, ut latissime sese in Middelburgensem agrum hostilis sanguis effuderit. Guilielmus Rex quum audivisset, Flandros memorabili clade affectos, navigans evestigio in Selandiam, suppliciter accurrentibus Flandrorum reliquiis, pro innata sibi clementia veniam dedit; quumque omnes detractis vestibus nudos remisisset, ne à tanta illa clade reversi ludibrio suis essent, ex virentibus pisis subligacula sibi fecisse traduntur. In hunc modum superatis Flandris, Guilielmus ab Innocentio Pont. Max. in Italiam accersitus Ianuæ Cæsarea accepit insignia. Inde profectus in ulteriorem Allemanniam, ubi per omnia oppida, pagos, & arces maximis est honoribus cohonestatus, exsilientibus undique ad Regis adventum plurimis. Interea certior factus, Frisiorum rebellione turbari Hollandiæ otia, cum ingenti armatorum manu reversus, cum hoste bis conflixit. semel primo adventu; estque tunc Regiis viribus Frisiorum miles subactus. item post v Kal. Febr. quum omnia diuturnum gelu pervia fecisset, Frisiam iterum ingressus, ante initum prælium occiditur, novem & viginti annis in publica administratione completis.

Florentius hujus nominis quintus, annum agens septimumdecimum, vindicaturus patris Guilielmi Regis cædem, Frisiis bello indicto, non multo post cum ingentibus copiis descendit. Congressi tum prælio Frisii plus octingentos è suis amisere. Florentius post aliquot annos iterum cum exercitu in Frisiam reversus prospere pugnavit. Eodem tempore senis cujusdam indicio inventum patris corpus, quod usque in eam diem interfectores ejus occulerant, Middelburgum in Selandiam deportandum curavit, sepelivitque magnificentissime in Præmonstratensium Fratrum Monasterio. Meruit hac re illustris Princeps singularis in parentem pietatis laudem. Porro defunctus sepulturæ munere, cum Flandris, qui mox ad subigendam Walachriam adfuturi dicebantur, navali prælio certare constituerat. Sed priusquam educere in hostem potuit, interea adfuit Brabantiæ Dux Ioannes, quo adnitente facta pax; quæ ut firmior esset, Guidonis Flandriæ Comitis filia Beatrix nomine Florentio in matrimonium data. Ex qua quum suscepisset quatuor filios, tres in flore primo extincti sunt. Multa in diversis Hollandiæ oppidis Palatia magnifico extruxit apparatu: & secessus fecit amœnissimos, in quibus nunc venationi operam daret, nunc inter forma excellentes virgines deliciaretur. In re quoque militari dimicando jaculandoque se multum exercuit. Proditum est, eum domi ordinatis rebus in Angliam trajecisse, ut Scotorum gentem subigeret: verum rebellione Flandrorum revocatus, mentem ad alia vertere coactus est. Quæ omnia prætereo studio institutæ brevitatis. Extremæ vitæ tempore, dum aucupio animi gratia indulget, fœdo parricidio ab Hermano Woerdensi, Gerardo Velseno & Gisberto Amstelensi Dynastis occiditur, per causam, quod quibusdam arcibus ac possessionibus illos spoliasset in gratiam Iohannis Vltrajectensium Antistitis, qui Ecclesiæ esse bona contendebat, nec non quia iis nobilitatem in gratiam plebis nimis supprimere videbatur. Apprehensus igitur Trajecti, quum auditum esset in Hollandia contrahi exercitum ad liberandum Comitem, duobus & viginti vulneribus à Velseno confoditur. Velsenus aliique sceleris participes postea capti, perpetrati sceleris pœnas dederunt.

Ioannes I, interfecto Florentio, cum puer adhuc abesset in Anglia, discordia aliquamdiu in Hollandia laboratum est; donec missi in Britanniam legati Comitis nuper cæsi heredem reducerent, sub cujus appulsum omnis repente sedatus motus. Hic Ioannes natu grandior, bis rebellantes Frisios aggressus, magnis affecit cladibus. Hoc etiam Principe Dordraci tumultuatum est. Decessit post exactum in administratione quadriennium.

Ioannes II, Hannoniæ Princeps, Ioanne I sine liberis fato cedente, Hollandiæ Comitatum obtinuit. Hic fratrem suum Guidonem Trajectensium Antistitem creatum tanto studio defendit, ut semel profligatis qui illum Episcopatu dejicere conabantur, nulli deinde arma movere sint ausi. Prodigiis aliquot tunc temporis præmonstrata sunt apud Selandos gesta bella. Flandrorum Comes Guido Dampetræus intra paucos menses frustra Zirisæam obsedit, maxima suorum jactura. Vltimo fere tempore, quo Guilielmus Ioannis Hollandiæ Principis filius bellum hoc ad exitum perduxit, 10 Augusti anno 1304, tantis utrinque viribus est in aciem descensum, ut ad tria millia passuum (si veri sunt Commentarii, quos sequimur) exauditus sit bellantium fremitus. Cæsa sunt in eo certamine decem millia Flandrorum. Naves captæ magno numero. Hac victoria filii audita, Ioannes Comes multum lætatus, paucis post diebus decessit. Sepultus Valencenis, nobili Hannoniæ oppido.

Guilielmus III, in patris locum surrogatur; qui cum esset vir pietate & innocentia insigni, *Boni* cognomentum meruit. Middelburgi apud Selandos Collegium Canonicorum D. Petri ab eo institutum reperio. Sub hoc tempus duobus maximis malis Hollandia biennium laboravit, fame & pestilentia. hæc latissime vagata, ingentem hominum vim extinxit; illa tam invaluerat, ut super vetitos cibos inventi sint, qui fame adacti pecudum more nascentia in campis gramina comederint. Anno 1328, Philippus Gallorum Rex Guilielmi hujus copiis adjutus, Flandrorum exercitum fudit fugavitque. Eodem anno Guilielmus Frisios classe adortus est. In Hannonia Præfectum Suyt-Hollandiæ, qui rustici pinguiorem vaccam pascuis abduxerat, & suam reliquerat, ultimo affecit supplicio. Tantus erat justitiæ amator. Idem gravi morbo laborans, quum adesse sibi fatale tempus videret, accersitum ad se juvenem filium hortatus est ad cultum veræ pietatis: precatus eundem,

eundem, ut paci ſtuderet, neque Clerum oneraret exactionibus. Hæc ille pauca locutus, haud multo poſt animam efflavit. Ante hunc nullus unquam Comes majus reliquit ſui deſiderium. Nam qui ob naturæ bonitatem triginta tribus annis, quibus præfuiſſe dicitur, omnibus cariſſimus vixerat, non potuit fieri, ut mortuus non deſideraretur.

Guilielmus, ejus nominis IV, accepto à Patre Comitatu, ſtatim cum delecta armatorum manu in Hiſpaniam tranſgreſſus, ut Regem aſſidua cum Turcis Saraceniſque bella gerentem auxiliis adjuvaret, pugnando objectandoque ſe periculis in tantam brevi claritudinem evaſit, ut Hiſpanis æque ac militi ſuo gratiſſimus eſſet. Poſtea reverſus in Hollandiam, Trajectum oppugnare adorſus, Nobilium (quos apud ſe habebat) rogatu, civibus has breves, & dumtaxat paucorum menſium pacis redimendæ conditiones dedit: Vt nudatis plantis adapertiſque capitibus egreſſi quingenti ad Comitis pedes humiliter proſtrati veniam poſcerent. Quod quum ita factum eſſet, movit inde in Friſios; ubi dum nimia cupiditate propagandi fines imperii incautius dimicat, ad Staveram occiditur.

Margareta Auguſta, Ludovici Romanorum Imperatoris conjunx, ſucceſſit: quæ exquiſitiſſimo apparatu in Hollandiam deſcendens, filio ſuo Guilielmo hac conditione tradidit eam gubernandam: Vt quotannis ille matri certam pecuniæ quantitatem dependeret. Quæ Friſii per id tempus habebant bona in Hollandia, ut fratris Guilielmi cædem ulciſceretur, Margareta publice vendidit. Trajectenſibus aliquot menſium induciæ datæ. His rebus transactis, rediit in Bavariam Ludovici conjunx. Nec interea Trajectenſes quieverunt, exacto induciarum tempore, præter omnium exſpectationem, cum exercitu Hollandiam ingreſſi. Sed hic tumultus ſtatim compreſſus. Poſt hæc reverſæ ex Bavaria matri Margaretæ Guilielmus Comitatum reſtituit. Quam rerum mutationem excepit bellum, quod cum Trajectenſibus Hollandi feliciter geſſere.

Guilielmus V, Bavarus, defuncta matre, inivit Hollandiæ adminiſtrationem. Hic Princeps Trajectenſium agros ingreſſus, omnia circa urbem hoſtiliter populari adortus eſt. Qua re irritatus Antiſtes, cum ingenti exercitu haud multo poſt ingreſſus Hollandiam, oppida duo capta incendit. Guilielmi hujus principatu, bona pars urbis Harlemenſis deflagravit. Sed nec hoc quidem ſatis conſtat, unde tam ingens ſit ortum incendium. Guilielmus exacto in Principatu ſeptennio incidit in phreneſim; quo morbo implicitus, hominem Nobilem etiam cùm ſua manu occidiſſet, vinctus in cuſtodiam datur.

Albertus I, Bavarus, reſuſcitata contentione, his, ut phrenetici Comitis uxor, aliis ut Guilielmi ex utroque parente frater Adelbertus ſuccederet, adnitentibus: vicit, quod rarum eſt, melior pars majorem, & miſſi qui eveſtigio Adelbertum, qui tunc aberat in Bavaria, adirent: rogarentque ut quando frater mentis compos eſſe deſiiſſet, ipſe deſcenderet adminiſtraturus Rempublicam. Audita legatione Adelbertus in Hollandiam tranſgreſſus, à ſuis officioſiſſime excipitur. Poſtea Delfenſes obſedit, injuriam ſibi illatam vindicaturus: Nam munimenta & arces aliquot Principis Alberti incenderat, & item in Haga Comitis abſente Alberto effractis cuſtodiis eduxere quoſdam è ſuis, qui antea fuerant Alberti juſſu in vincula conjecti. Nihil tamen hoſtile fecit, illis veniam ſuppliciter petentibus; muri tamen diruti ſunt, ne deinceps unquam rebellarent. Egreſſus inde Comes in Geldriam, prædæ & populationis omnia complevit. Ab ea expeditione brevi in Galliam ad Carolum Regem eſt profectus. Auctores, quos ſequimur, cauſam profectionis hujus non tradunt. Sunt & Friſones ab eo ſæpius vexati. Præfuit Hollandiæ annis ſex & quadraginta. Apud Hagam-Comitis magnifice ſepultus. Paulo ante obitum hujus Principis tanta oborta eſt in Hollandia ventorum tempeſtas, ut maxima hominum ſtrage multæ domus corruerint.

Guilielmus VI, Bavarus, Patri Adelberto ſubſtituitur; qui Geldriam ſemel & iterum tumultuoſe ingreſſus, fœde eam populatus eſt. ſed mutatis rebus, tantus hic fuit poſtea Reinaldi Gelriæ Ducis amicus, quantus antea fuerat hoſtis. Biennio poſt, Friſones Hollandiæ agrum, ut ſæpe alias, hoſtiliter invaſerunt: cujus ultionem injuriæ Guilielmus majoribus curis tunc occupatus in aliud tempus diſtulit. Hic idem Conventu indicto, ad quem multi Hollandiæ Principes ſunt profecti, egit in eo de ſurrogandа ſibi poſt mortem unica filia; quod quum omnibus placuiſſet, ſtatim confectæ ſunt ſuper ea re publicæ literæ. Poſt hæc ille quum pauxillum temporis ſupervixiſſet, fatis eſt functus anno ſuæ gubernationis tertiodecimo.

Iacoba Bavara poſt obitum patris gubernationi admota, quum audiviſſet Ghoricum oppidum Hollandiæ à Guilielmo Arkelenſi occupatum eſſe, juſſit confeſtim eo cum expedita armatorum manu occurrere Walravium Brederodiorum Principem, ut repentino ſuorum adventu comprimeretur ille tumultus; eſtque paulo poſt intra muros atrociter dimicatum, cæſis utrimque ducibus. Oppido ſic recepto, venit Hagam-Comitis Iacoba, nupſitque Ioanni Brabantiæ Duci. Interea Ioannes Bavariæ Dux Iacobæ patruus, impetrato ab Imperatore Comitatu, quem jure ſibi deberi credebat, quod Guilielmus frater nullam virilis ſtirpis prolem reliquerat, magnos tota Hollandia motus excitavit. Hinc bellum inter eum & neptem orta. Plures etiam urbes hoc metu à Iacoba defecerunt; quæ compoſita poſtea pace Ioanni ſunt relictæ, inter quas fuit & Dordracum, urbs hodie multum celebris. Manſit idem Ioannes per triennium Hollandicarum rerum tutor. Quo temporis ſpatio plurima domi foriſque geſta, quæ catalogum tantum, non perpetuam Hiſtoriam, ſcribenti mihi ſunt prætereunda. Inter Ioannem Ducem Brabantiæ & Iacobam ejus conjugem ortæ poſtea iræ ita magnæ, ut brevi ſit inde divortium ſubſecutum. Variis interea motibus agitata Hollandia; quæ, poſt defunctum Bavariæ Principem & ſuum Tutorem, ſpreta Iacoba, Ioannem ejus maritum Comitem aſſumpſit. Hic brevi poſt, quum & Brabantiæ Dux eſſet, credo delectatus

Lova-

Lovanii Brabantiæ urbis amœnitate, condidit inibi Gymnasium, in quo liberales Artes publice docerentur. Cæterum hæc Schola successu temporis multum crevit, præcipue accessione Collegii, in quo publice tres linguæ docerentur, Hebraica, Græca, Latina. Magnis impensis instituit hoc Collegium vir clarissimus Hieronymus Buslidius, Præpositus Ariensis, anno Salutis humanæ 1517. Iacoba extremo vitæ tempore, quum post tot indecora connubia (nupsit enim Ioanne adhuc in humanis agente Humfridio Colcestrensium Duci, post marito defuncto Franconi Borsalio Nobili Zelando) nullam haberet prolem, Philippo Burgundiæ Duci, materteræ suæ filio, Comitatum Hollandiæ per manus tradidit.

Philippus Bonus accepto à nepte Comitatu Hollandiæ, quum esset ob quasdam res infenso in regem Anglorum animo, Caletum in Flandrorum finibus sitam urbem tanta armatorum manu obsedisse dicitur, ut soli aurigæ, qui bellica instrumenta aliaque ad militiam necessaria eo advexerant, sufficere potuerint ad urbem expugnandam. Cæterum antequam Caletum tentari cœptum, obsidio soluta est discessu Gandavorum & Brugensium, pro quorum ardore iraque nimis pigre Philippus omnia faciebat. Idem Princeps non multo post in Haga Comitis primus Aurei Velleris habuit Comitia. Filium suum, cui Davidi nomen, gementibus atque invitis Trajectensibus, Antistitem urbis fecit. Hoc etiam adnitente Ludovicus Delphinus Galliæ Principatum est adeptus. Et Philippus quum per hæc aliaque virtutis opera quatuor & triginta annis Comes Hollandiæ fuisset, Brugis morbo gravi affectus, vita decessit.

Carolus, cognomento Bellicosus, filius, successit, rerum gestarum magnitudine patre superior, & ut ille consilio prudentior, ita hic animo magnificentior; qui quum esset Hollandiæ Comitatui inauguratus, non magno post tempore ingenti conflato exercitu in Leodinorum agrum profectus, ob conjectum in vincula Ludovicum Borbonium ipsorum Antistitem pernecessarium suum, eorum urbem acri bello expugnavit, expugnatam diripuit, direptamque evertit. Post Leodii excidium hic Princeps militari virtute nulli superiorum Comitum inferior, alia multa bella gessit, mira celeritate semper atque ardore; quo apud posteros id est consequutus, ut Carolus jam non hominis, sed bellicæ fortitudinis nomen habeatur. Apud Nantium, quod extremo tempore obsidione cinxerat, tribus confossus vulneribus periit. Anno reparatæ salutis 1476. Quo Duce extincto in ipso ætatis & rerum prospere gestarum flore, diuturnus apud omnes totamque Hollandiam luctus fuit. Sed nec Principis sui amantissimæ gentes, cædis nuncio fidem primùm habuere, quod ut fortissimum Ducem, sic invictum crediderunt.

Maria, unica Caroli filia, forma excellenti virgo, successit; cum hanc nobilissimi Principes Fridericus Imperator & Ludovicus Gallorum Rex certatim, hic Carolo, ille Maximiliano filio uxorem peterent, convocati sunt Lovanium Patriæ Primores, qui auditis quæ postulabantur, censuerunt ex patris Caroli voluntate Maximiliano Friderici Imperatoris filio Mariam dandam in matrimonium. Quod adeo iniquo animo tulisse Gallus dicitur, ut statim omnibus, quibus præerat Maria, bellum indixerit. Per id tempus Atrebatum hostiliter adortus est, admissusque in eam urbem, cæsis primoribus, diripuit primum bona civium, deinde sine discrimine etiam jussit occidi omnes qui Mariæ faverent: vastavit inde quidquid agri oppido circumjacet. In Hannoniis Avennas vi captas incendit, missis Parisios iis quibus ducibus incolæ restiterant: Ii postea non nisi ingenti pecunia sese redemerunt. Eodem tempore, quum Gallus & mari premeret, ab Hollandis Amstelædamensium ductu prospere pugnatum est, capta navi à Genuensibus, cujus magnitudinem nostri homines admirabantur.

Maximilianus, Caroli Ducis filiâ in matrimonium Gandavi receptâ, factus Hollandiæ Comes, ditionis suæ Principes omnes literis ac nunciis hortatus est, ut ad bellum Gallo, qui usque in eam diem Mariæ provincias magnis cladibus affecerat, inferendum, arma secum induerent. Ad quam expeditionem quum non pauci Nobiles viri, opinione celerius, advenissent, in Morinorum agrum egressus cum Gallis acie conflixit. Fuit ea pugna Gallorum Ducibus infelix bona militum parte cæsa. Movit inde Maximilianus in Tornacenses; quos tam arcta cinxit obsidione, ut statim petentes pacem sese dediderint. recepti hac conditione, ut si unquam alias Flandris rebellassent, publicarentur eorum reditus omnes, quos quotannis ex Flandrico agro percipiebant. Anno proximo in Hollandiam reversus Maximilianus, constituit Vice-Comitem alium ejus Provinciæ, quum ipse rebus magis arduis implicitus adesse non posset. Hæc tum ab eo adhuc Comite gesta. Quæ postea gesserit Imperator, adeo multa sunt & varia, ut separatim volumen requirant. Illud solum adjiciam, hujus morte Principis nihil accidere potuisse luctuosius rebus humanis. Decessit autem hic Princeps longe optimus ac liberalissimus anno Virginei partus 1519, mense Ianuario.

Philippus II Austrius, per ætatem administrationi maturus ultro cedente Maximiliano patre, gubernacula Hollandiæ suscepit. Hic Princeps cum magno peditum & equitum globo ingressus Geldriam, ut eam terram olim à majoribus subactam repeteret, omnia terrore complevit: pleraque oppida perculsa metu ad primum statim potentissimi Ducis adventum sese dedidere. In his principiis videbatur brevi Geldriam universam domiturus, nisi repente mutatis (ut fieri solet) rebus, in Hispaniam profectus fuisset, ut Castellano Regno inauguraretur. Fuit ea Philippo maxime pacata magnificaque profectio, & altera illa nobis plane non tristis solùm, verùm etiam luctuosa. Nam tunc in Hispaniis decessit adhuc juvenis, & amplissimis imperiis destinatus.

Carolus, ejus nominis Romanorum Imperator V, Philippi filius, anno 1500 bissextili Februarii die Lunæ Matthiæ sacro Gandavi in lucem prodiit. Pueritiam ejus (nam sexennis patrem amisit) & adolescentiam ad probitatis normam direxerunt Margarita amita, Archiepiscopus Veson-

Vesontinus ex progenie Vergya, Guilielmus Croyus Arschotæ Cievræque Regulus, & Hadrianus Florentius Vltrajectinus, Theologiæ Lovanii Doctor, Academiæque Cancellarius, qui postea ad Papatum, sub nomine Hadriani VI, sola virtute doctrinaque Romæ cognitus, pervenit. Eum ergo Belgica anno 1515 Principatui inauguravit. Hispania altero post anno; Germania anno 1519 Regem atque Cæsarem agnoverunt: quamvis Hispaniæ regnis non fuit inauguratus ante annum 1518. Sed anno 1520 mense Octobri, Aquisgrani in Cæsarem inauguratus est. Tornacum ejusque arcem atque agrum anno 1521 Gallis eripuit, sibique subdidit. Capto ad Papiam 1525 Francisco I Galliæ Rege, Flandriam Artesiamque omni supremo Franciæ imperio & qualicunque obsequio emancipavit: cunctaque Andegavensium in Neapolim, & Aurelianensium in Mediolanum Genuamque jura, à Francis abdicata, in se transtulit. Roma ab ejus exercitu anno 1527, sexto Maji die, ad suburbium, qua mons, quaque S. Spiritus templum, superata fuit, atque spoliata. Vltrajectina & Trans-Iselana ditio Henrici Bavari Palatini Episcopi, Ordinumque regionis cessione, à Clemente VII Papa Imperioque approbata anno 1528, in illum transiit: quum duodecim ante annos Frisia accessisset à Georgio Saxoniæ Duce, centum florenorum millibus transigente: cujus patri Alberto, Belgii Præfecto, in compensationem pecuniæ mutuæ, operæque strenuæ & sumptuosæ, per Caroli patrem concessa fuerat. Anno 1530 à Clemente VII Pontifice in Imperatorem Augustum die natalitio Bononiæ consecratus est. Soleymannum Turcum potentissimum toti Germaniæ inhiantem anno 1532 domum fugavit. Geldriam cum Zutphania, per Carolum proavum coëmptam, possessamque, sed ereptam à Carolo Egmondano ad annum 1543 recuperavit, abstraxitque Guilielmo Cliviæ Duci, novo possessori: Cameraco, vetusta Imperii urbe, paucos annos contra Gallos asserto, arcem imposuit, veluti frenum atque vadimonium. Mediomatricum Metim, à Gallis interceptam, anno 1552 frustra obsedit, propter hyemis rigidæ nivosæque asperitatem, & præsidii nobilissimi pertinaciam. Teruanam Morinorum, antiquam nobilemque urbem, Gallis fidam, perpetuamque Flandriæ Occiduæ noxam, anno 1553 oppugnatione cepit, funditusque delevit, cum Hesdino, novumque Hesdini oppidum struxit loco aptiori. Belgii Proceribus, Vrbiumque Legatis præsentibus, ditionum administrationi Gandavi renunciavit, filii præsentis & succedentis virtuti confisus, ad annum 1555, mense Augusto: tum rerum humanarum regnandique tædio, & cælestium desiderio: tum asthmatis angustiis debilitatus. Ex Selandiæ Rameka, anno 1556, Septembri mense solvit, & cum Leonora Mariaque sororibus viduis ad Laredum Hispaniæ portum applicuit. Inde ad Hieronymianum Sodalitium D. Iusti, septem à Placentia milliaribus, diœcesis Toletanæ, locum perpetuo vere salutiferum, lectica vectus est, ibique Romanum Imperium sponte abdicavit; brevique mortalitatem explevit ad annum 1558, 11 Kal. Octob. ætatis anno 58, mense sexto, die 27, Principatus paterni 52: regnorum maternorum 43, S. Imperii 40. Sepultus est Escuriali. Ex Isabella Emanuelis Portugaliæ Regis filia, quæ anno 1539 mense Majo Toleti decessit, reliquit Philippum virilis stirpis unicum, successorem, Mariam & Ioannam: Illam Maximiliano II Cæsari: hanc Ioanni Portugalliæ Principi conjugatas. Nothos habuit non ignotos, Ioannem, nobilissimo ad Naupactum contra Turcos prælio celebrem: atque Margaritam, Alexandro Medices Florentinæ ditionis, dein Octavio Farnesio, Parmæ Placentiæque Ducibus, nuptum à patre elocatam.

Philippus II, ejus nominis Hollandiæ Comes III, in Hispania, Valle Olitana, urbe Vaccæorum, anno 1527, mense Majo, in lucem prodiit: quo tempore patri Roma subjugabatur. Mariam patris consobrinam, Angliæ Reginam, per Lamorallum Egmondanum Gaveræ Principem, procuratorem suum, antea sibi desponsam, anno 1554, Wintoniæ in uxorem accepit: Regno Neapolis, & Ducatu Mediolanensi, propter nuptias à patre donatus. Anno 1558 insignes contra Gallos pugnas victoriasque ad Quintinopolim ac Grevelingam, illustriori ad annum 1559, mense Aprili, pace exornavit: qua sibi ingens nomen amplificavit, & Emanuelem Philibertum, Sabaudio Pedemontioque ad annum 1535 cum patre ejectum, avitis ditionibus restituit, magna in amicitia constantiæ, & in potentia efficaciæ commendatione. Præclarissimæ oleæ annexuit lauream immortalem, tum augusto Musarum templo Duaci dedicato: tum sacrosanctis Bibliis, Græca, Hebraica, Chaldaica, triplicique Latina lingua correctissimis ornatissimisque, ex Academia Complutensi orbi universo communicatis. Ex Flandria, cæteroque Belgio, pace tutis, ac opulentia copiosis, sub finem anni 1559 in Hispaniam enavigavit. Post cujus discessum, quam non tantum in Flandria, sed in toto Belgio misere & infeliciter, omnia successerint, notissimum est: nostrique non est propositi, nec præsentis instituti de iis agere. Hollandia interea pro libertate contra Ministros Regios arma suscepit, sibique libertatem asseruit à Philippo IV post bellum per 80 annos gestum confirmatam, nunc sui juris, placido sub Ordinum moderamine floret, vigetque Respublica toto orbe notissima, celeberrima, hostibus formidabilis, amicis salutaris.

HOLLANDIA AVSTRALIS, vulgò ZVYD-HOLLAND.

Zuyd-Hollandia, ſtrictius ſumta.



Ollandia in plures partes dividitur, quæ peculiaria nomina ſortiuntur, ut Kennemariam, Waterlandiam, Goelandiam, & ſimiles: ſed maxime communis & alicujus uſus diviſio eſt, in Auſtralem & Septentrionalem. Quarum hæc etiam Weſtfriſia dicitur. Eſt tamen & ſtrictior *Zuythollandiæ* notio, quæ maxime propria eſt, & longè antiquiſſima, qua ſignificatione eam Hollandiæ Auſtralis partem ſignificat, in qua Ius Zuydhollandicum jam inde à priſcis temporibus viguit, & unde primum in alias vicinas terras emanavit; vel, ut verbo dicam, Baillivatum Zuydhollandicum, cujus metropolis eſt Durdrechtum, unde Durdrechtanæ inſulæ nomen. Circumſcribitur hæc Moſâ præcipue flumine, & alveo exiguo, qui recta eam ſecat, Stryam & Occaſum verſus, *de kil* dictus. Ad Ortum & Auſtrum latus ſe ſinus pandit, cujus una pars, quæ Geertrudis montem ſpectat, *de Biesbos* appellatur, à fundo juncorum ſive ſcirporum, ob exiguam altitudinem, feraci. Altera Zelandiam verſus, *'t Hollands-diep*. Alluit urbem Moſa, abſorptis una in ſe Merva, & Linga. Non deſunt, qui adſerant, illam quatuor adjacere fluminibus, juxta diſtichon,

Zuydt-Hollandiæ metropolis.

Me Moſa & Vahalis, cum Linga Mervaque cingunt,
Æternam Batavæ Virginis ecce fidem.

Vtut ſit, redacta eſt inter has ipſas in Inſulæ formam, idque anno CIƆCCCCXXI, quo tempore Vahalis ſimul & Moſa, exæſtuante in eos Oceano, ex agro àntea inter hanc ipſam urbem, & Brabantiam interjecto, effècerunt immenſum illum aquarum gurgitem: abſorptis violenter 72 pagis, & aliquot hominum millibus. Accidit hoc anno ſupradicto, menſis Novembris die 18, noctu, feſto S. Elizabethæ, irrumpentibus aquis prope pagum *Wieldrecht*. exſtat Chronologicum tale:

DVrdreCto InCVbVIt VIs artroX InCIta VentIs,
Vrbs qVa dIſſILVIt protInVs haVſta MarI.

Diviſio.

Dividitur Zuythollandia in Inſulas quatuor, Majorem, Swijndrechtenſem & Rhiederenſem, Alblaſſenſem, Krimpenſem: vulgo *de Grote waert, de Swyndrechtſe ende Rhieder-waert, den Alblaſſer-Waert, Den Crimpender-waert*.

Inſula Major.

Inſula Major, *de Groote Waert*, ob magnitudinem qua præcellit, & ingentem terræ tractum, quem occupat, ita nominata per excellentiam, Zuythollandica quoque dicitur; ſolum hujus inſulæ depreſſioris ante inundationem erat ſitûs, ſed nihilominus lætis paſcuis, & pinguibus arvis dives, pagos, ambacta, & ſatrapias, nec non nobilium ſedes magno complectens numero. Aquis, fluviiſque irrigua erat hiſce ſequentibus, Vahali qui nunc Merwa dicitur, Moſâ, Dungâ è Brabantia veniente, Werkâ, Gravâ, Oubbela, Almâ, Eema, Duſſa, Middelâ, Voornâ, & Stryenâ. Quamvis autem hodie majori ex parte aquis tegatur, nihilominus fert animus pagos, dominia, & ſatrapias recenſere, quæ olim ante inundationem fuerunt, quorum aliquot ex parte induſtriâ hominum caput ex undis extollunt. *Meruwede* non à Meroueo Francorum rege, ſed quod ibi optima equorum eſſent paſcua, ſic nominatum: dominium olim 800 terræ complectebatur jugera, & in ipſam civitatis Dordracenæ partem extendebatur jurisdictio, qua ſumma, ima & media potiebatur loci dominus; nunc Civitatis emtionis titulo proprium eſt, nihilque fere reſiduum, niſi rudera arcis in mediis aquis ſita. *Dortsmonde* olim pagus ad fluviolum Dortam; cujus nomen & titulus in hodiernum diem ſervatur, & poſſidetur à Pompia gente cum piſcationis jure; cæterum, pagus ipſe una cum fluvio à majoribus aquis abſorptus eſt. *Riede* pagus fuit juxta Meruwede, Riediorum nobilium quondam ſedes. *Slydrecht* ſitus erat è regione alterius pagi in Inſula Alblaſenſi ſiti, & eodem nomine dicti. Ferunt ambas horum pagorum eccleſias à duabus ſororibus olim ædificatas, ſed illam in Majori Inſula ſitam, & jam undis obrutam, ædificii elegantia & nitore longe præſtitiſſe: quod cum fundatrix ſorori exprobraret, eam reſpondiſſe dicunt: Mea perdurabit Eccleſia, tuam vero evertet temporis injuria. *Gieſſen Monde* ſitus erat ad Oſtium Gieſſæ fluvioli. *Crayeſteyn* Toparchia celebris olim, conſtans trecentis terræ jugeribus, nunc tota aquis tecta, paulatim tamen caput ex undis extollens, aliqua ſui parte ſe viſendam præbet, poſſidetur à familia cognomine. *Lang-Ambacht*; quod olim continebat octingenta jugera, & *Kort-Ambacht* ambo ſub aquis ſunt, è patrimonio Comitatus. *Houweninge* ſeptingentorum quinquaginta jugerum pagus, majori jam ſua parte ex aquis rurſum emerſit, poſſidetur à gente Cotteia. *Werkendam* ad Werkam foſſam, ad angulum Septentrionalem agri Altenatenſis, pagus eſt admodum frequens; & quamvis bis incendio poſt hominum memoriam exu-

exustus sit, bis tamen ob opportunitatem piscationis & aucupii, quibus incolæ victum quæritant, pulchrior evasit, possidetur à Wyngaerdia gente. *Werkenmonde* pagus est aquis tectus, cujus meminit Wilhelmus Hæda hisce verbis: *De Thuredrecht ad Orientem usque Godlines Hofstadt, quod est juxta Werkenmunde. Dubbeldam* prope Dordracum cum reliquis pagis injurias aquæ passus, usque ad annum 1603 sub eis latuit, quo ejus pars aggeribus septa, & ex aquis producta; ei accessit altera pars meridionalior anno 1617. & postmodum non exiguum terræ spatium; feudum est Comitatus Hollandiæ quod Mylii possident. *Wolbrantskerk, Kruyskercken, de Nesse, Aloeysen, Tolloysen, Almsvoet, Eemkerk, Eemesteyn, Almsteyn, Wt Alm*, pagi toti sub undis latent, nec fere quicquam de iis superest, nisi jus piscationis, quod præfecti dominiorum Comitatensium locant. *Aersbergen, Opalm, Dussen Munsterkerke*, cum arce non contemnenda, feudum est Comitatus Hollandiæ, possessum ab Axeliis dictis Iacot, *Dussen Muylkerke* feudum est satrapiæ Meruwedæ. *Myl* pagi pars vi aggerum & molarum rursus ex aquis emersit. *Leyder-Ambacht* & *Poelwijck* sub aquis latent. *Puttershoeck*, olim viculus, nunc pagus inter insignes numerandus, ædificiis pulcherrimis & portu sat commodo ornatus, cataractam habet, ex qua navigia in Mosam emittit, magno cum incolarum insulam incolentium commodo. *Mijns Heren lant van Moerkerke* feudum est Comitatus, possessum à Dublettiis. *Heynkens-oort* Assendelfiorum peculium, pro magna sui parte, anno Domini 1578 aquis eductum est. *Godschalks-oort* est dynastia allodialis possessa à Berkiis. Cæterum in tractu Brabantiæ vulgariter dicto de *Langestraete*, sex numerantur pagi sub Zuidhollandia comprehensi: *Besoyen* in feudum à Comitatu Hollandiæ tenetur à Wytenhorstiis. *Sprang* pagus valde amœnus, undique arboribus proceris consitus, sylvula, in qua domicilium Toparchi, ornatus. Itidem feudum est Comitatus, à Iongiis hodie possessum. *Cappel* Raveschottii in feudum possident. *Zydewijn* Nusenburgii. *Nederveen. Kleynwaspick* Principis Arausionensis patrimonium. *Groot Waspijck* Raveschottiorum est. *'s Gravenmoer* Duynii in feudum tenent. *Raemsdonck*. Ad Occidentem à Geertrudisberga pagi sunt *Driemylen* & *Zwaluwe inferior* & *superior*; olim Civitatis Geertrudisbergæ, nunc ex donatione Ordinum Hollandiæ, anno 1611 facta, Principis Auriaci proprii pagi. *Stanthasen, Houckenesse, Dubbelmonde* & *Twintig hoeven* sub aquis sunt. Et nihil Domino eorum, qui est dictus Princeps Arausionensis, de iis reliquum, nisi jus piscationis, quod piscatoribus locare solet. *Wieldrecht* & ejus pars *Achthoeven*, in qua olim Zyla amnis, cujus ditentio, vi diplomatis à Guilielmo VI Comite Hollandiæ anno 1414 Dynastæ Sevenbergensi concessi, inundationem illam deplorandam causasse ferunt, quod hi significant versiculi:

Perdidit hoc diploma homines, armenta, gregesque,
Septuaginta duos pagos, & florida rura.

Weede & *Wedenbroeck*, aquis obruti. *Maesdam*, Dorpiorum toparchia. Præterea erant & sequentes pagi, nunc ab aquis eversi, ita ut nequidem memoria extet, quo in loco insulæ Majoris siti fuerint. *Geraert Monnen stryen, Heer Geermans polder, Muytwijck, Nieukerk, Thiedradeskerk, S. Andries Kerk.*

Insula Thysselingensis. Eidem Insulæ majori veluti appendix annumerari solent, Insula Thysselingensis, vulgo *de Thijsselings waert*, Majori olim, antequam & hæc aquis obrueretur, ad occidentem contigua, suis tamen statutis utens, unam ex septuaginta duabus parochiis submersis ambitu suo continebat. Nec non alius ager *het Vrylant* dictus, qui eadem inundatione aquis tectus est. *Stryen* præterea olim Comitatus, sive territorium amplissimum, sub quo Bredam, Bergas ad Zomam & plurima alia Brabantiæ loca fuisse, fert Oudenhovius in sua Zuythollandiæ descriptione. Cæterum anno 1421 eandem cum circumvicinis agris sortem expertus est, sed quo tempore exsiccata sit ejus pars, quæ nunc extat, incertum est. Pagus in hodiernum diem nomen servans, sat pulcher est, sub cujus districtu & Baillivatu (quem peculiarem & à Zuythollandico separatum habet) sequentes sunt pagi, *Cielis houck, S. Anthonis polder, de Westmaes, de Group, Claes Wael, Cromstrien* & *'s Gravendeel.*

't Vrylant. Stryen Comitatus.

Swyndrechtensis insula. Swyndrechtensis insula, vulgo *de Swyndrechtse Waert*, nomen à pago *Swyndrecht* accepit, duos habet canales, Vahalim, & Develam, ex quibus incolis non contemnenda commoda: cæterum privilegiis dotata est hæc insula ditissimis, idque quod ob exiguum terræ spatium, quod continet, proferendorum & tutandorum limitum suorum impensis alioquin sit impar. continet vero pagos sequentes, *Heer Ians Dam*, feudum Comitatense possessum ab Hardenbrouckiis. *De Lindt*, à gente Lindana (è qua Wilhelmus Damasi Lindanus, dum viveret, Ruræmondensis Episcopus, originem trahit) nomen habet: dividitur in majorem & minorem, & possidetur à Beveris, qui illud in feudum à nobilissima apud Hollandos gente Wassenaria tenent. *Kijfhoeck* feudum Comitatus possidetur à Renessiis: *Heer-Oude-Lants-Ambacht*, feudum itidem Comitatus, Merodiorum est. *Schobbelant-Ambacht*. *Swyndrecht* pagus est è regione urbis Dordracenæ in adversa Merruwæ ripa situs, toti Insulæ nomen tribuens, fluminis trajectu & equorum nundinis celebris. *Meerdervoort* & *Kortambacht* Satrapia est antiquitate conspicua, longo tempore à Meerdervoordiis nobilissima gente, post ab aliis, nunc à Pompiis possessa. *Develsteyn* arce antiqua spectandus, patrimonium allodiale Beverorum est: ab iisdem tenentur quoque in feudum à Comitatu, *Rysoort* & *Strevelshoeck*. Sunt præterea *Sandeling* & *Hendrick-Iden Ambacht*.

Insula Riederensis. Insula Riederensis, vulgo *de Rieder-Waert*, Insulæ prædictæ Swyndrechtensi contigua, eodem aggere includitur, & simul junctæ unam è quatuor Zuythollandiæ Insulis constituunt. Vnicum habet pagum *Riederkerke* dictum, cujus dominus est Marchio Westerloæ è gente Merodia; in ejus districtu olim fuit arx Wouda, & hodie conspicitur Donk arx, Donkiorum domicilium. Hujus insulæ quasi appendices sunt Ambacta aliquot aggeri ejus inclusa, quæ nihilominus suo peculiari jure gaudent, & utuntur: sunt vero hæc: *Isselmonda*, cujus notandæ antiquitatis est nomen, ejus enim meminerunt Annales Hollandici circa annum 1076, ast il-



ZVYDHOLLANDIA
stricte sumta.
TRAIECTENSIS PARS.
GELDRIÆ
T BIES BOS
BRABANTIAE
PARS.
Bommel
Leerdam
Buren
Kulenborch
Gorkum
Woudrichem
'S Hertogenbosch
Amsterdami
Guiljelmus Blaeu
excudit.
Miliare Hollandicum, sive 2000 Virgæ Rijnlandicæ.
500
1000
1500
2000

aſt illius, injuria temporum, aquarum, fluminum, jam ipſæ perierunt ruinæ : pagus vero ejus nominis ſe oſtentat ex adverſo ejus loci, ubi Yſſela aquas ſuas in Merruwam exonerat, diviſus in partes Orientalem & Occidentalem, vulgo *Ooſt en Weſt Yſſelmonde*, quæ ſingulæ, Dominium & Ambactum ſingulare conſtituunt : illa arce ſpectabili ornata Dominum agnoſcit Excellentiſſimum Baronem Weſterloæ è gente Merodia ; hæc Strevelshouckii Dominum è Beverorum familia. *Barendrecht* Beverorum quoque eſt. *Carniſſe*.

Alblaſenſis Inſula. Alblaſſenſis Inſula vulgo de *Alblaſſer Waert*, ſita inter Leccam & Merruwam fluvios, nomen ſortitur à pago Alblas. Duos habet canales ſive fluvios, Gieſſam & Alblas. Aggeribus vero tribus immenſæ molis concluditur : *Den Hoogendyck*, *den Souwendyck* & *den Diefdyck*. Pagi quos comprehendit ſequentes ſunt, ordine alphabetico exhibiti : *Alblas* nomen à fluvio jam dicto accepit, idque rurſus genti nobiliſſimæ Alblaſſiæ communicavit. In tabulis Peutingerianis Tablas nominari credunt nonnulli, quod in iis Tablas in inferiori Bataviæ parte collocetur. Ambacto ejus potitur nobiliſſima Myliorum gens. *Alblaſſerdam* pagus eſt inſignis, portu commodo ornatus, ubi Alblas fluvius in Merruwam exit, nundinis equorum D. Iacobi ſacro die celebrari ſolitis celebris. Aula Souburgenſis arx eſt perantiqua, cujus rudera & fundamenta magnificentiam ſpectabilem demonſtrant : feudum eſt Comitatus Hollandiæ. *Ameyde* ad Leccam, olim oppidum inſigni arce munitum. *Blocklant* dividitur in Superiorem & Inferiorem. Hic feudum eſt Dynaſtæ Gieſſenburgenſis. Ille Comitatus Hollandiæ. *Brandwyck*, & ſub eo comprehenſus *Gybelant* pagus, Dynaſtia eſt Iacobi Weſterbanii Equitis, Viri Doctiſſimi. *Gieſſen Nieuwerkerk* arcem habet adjunctam, Gieſſemburgum, perantiquam & Brederodiorum olim ſedem & domicilium, poſſidetur nunc ab Amerongiis. *Gieſſen Oudekerk* & *Gieſſendam* feuda ſunt Comitatus Hollandiæ. *Goudriaen* à Schagiorum nobiliſſima apud Hollandos gente tenetur. *Hardinxvelt*, Roveriæ gentis. *Hofwegen* Caroli Manmakerii eſt. *Hoornaer. Langerack* Dynaſtia eſt celeberrima nobiliſſimæ Boetzelariorum gentis. *Liesvelt* Baronatus titulo ſuperbit, arcem habet vicinam, paret Illuſtriſſimo Guiljelmo Frederico Naſſavio, Friſiæ Gubernatori. *Molenaersgrave. Meerkerk* pagus admodum lautus. *Nieuleckerlant* arcem quondam habuit capaciſſimam, Leckiorum Dynaſtarum olim ſedem, ab ædificii pulchritudine Schoonenburg dictam, cujus nunc ſola reſtat ſedes, Reneſſiorum eſt patrimonium. *Noordeloos* Dynaſtia ad Brederodios ſpectat. *Ottelant* & *Puerſſem* ſupra laudati Principis Guiljemi Naſſavii ſunt. *Papendrecht* ad Muylwyckios ſpectat. *Slingelant* Pompiæ gentis eſt. *Sliedrecht* complectitur Toparchias tres, *Naeltwicum* Blyenburgicæ familiæ; *Lockhorſt*, *Niemantsvrient*; *Streefkerk*, Reneſſiæ gentis. *Thienoven*, *Wyngaerden*, à quo nobiliſſima Wyngaerdiorum gens nomen accepit.

Crimpenſis Inſula. Inſulæ Crimpenſi Ambactum Crimpenſe nomen communicavit, includitur Merruwa, Lecca & Iſela fluviis ad Orientem Territorio Bloiſenſi contigua, & magnum terræ tractum occupat. Situ eſt admodum humili, paſcuis lætis abundans. Pagi & Dynaſtiæ hujus inſulæ ſequentes ſunt : *Crimpa* ad Leccam, cujus ſæpiſſime in hiſtoriis Belli Belgici meminerunt ſcriptores ; præter hanc alia ſpectatur *Crimpa* ad Iſelam. *Ouderkerk* ad Iſelam, pagus nomine & re antiquiſſimus. *Leckerkerk* ſalmonum piſcatu celebris. *Zuytbroek*, nec non *Stormpolder* poſſidentur à Ludovico Naſſavio Beverweertii Toparchâ. *Bergh-Ambacht*. In cujus territorio arx eſt conſpicua. *Aertsbergen. Kleyn Amers*, cujus incolæ ſalmonum piſcatu victum quærunt. *Bercou. Stolwyck*, hic caſei conficiuntur per circumvicinas regiones laudatiſſimi.

Nomina Arcium, ac Illuſtrium domorum, quæ in Zuydhollandia etiamnum ſuperſunt, vel deſtructæ periere, ſunt : *Aertsbergen*, *Almſteyn*, *Beſoyen*, *Blocklant*, *Boncquet*, *Boshuyſen*, *Crajeſteyn*, *Develſteyn*, *Donck*, *Duyveſteyn*, *Duſſen*, *Heer-Ians-Dam*, *Gieſſenburg*, *Harlaer*, *Laer*, *Langerack*, *Meerdervoort*, *Merwede*, *Nederhoven*, *Noordeloos*, *Papendrecht*, *Putteſteyn*, *Rhiedæ*, *Schonenburg*, *Souburg*, *Stryen* nunc *Ooſterhout*, *Werkendam*, *Wouder*, *Yſelmonde*.

Cœnobia Zuyd-Hollandiæ, *Heyſterbach*, *Eemſteyn*, *Onſe lieve Vrouwe ten Donck*, *Cathuſers* ſive *Chartroyſen*, ſub Geertrudisbergæ territorio. At horum nomina ſolummodo reliqua nobis fecit temporum injuria.

Peculiares ſupradictorum locorum deſcriptiones vide in Deſcriptione Zuydhollandiæ Belgico ſermone edita per Iacobum vander Eyk, anno 1628.

Dortrechtum. Nos relictis pagis urbium præcipuarum laudes proſequamur. Eminet inter illas Durdrechtum, de cujus etymo alii aliter judicant. At *Trecht* trajectum ſignificat, uti videre eſt in Maeſtricht, Vtrecht, Swyndrecht, Papendrecht : *Dortia* aut *Dort* flumen fluit urbem hanc alluens, ut Durdrechtum ſit quaſi Dortiæ fluminis trajectus. Hinc & nomen pago fuit *Dortsmunda*, quaſi *Dortæ os* dicas. Iam flumen illud Moſa abſorptum disparuit. Vrbs ſitu maxime opportuno jacet, & ad commercia idonea, ob fluminum Moſæ, Vahalis, Lingæ & Mervæ concurſum. Forma illi oblonga ad modum triremis. Nec tam mœnibus aut vallo, quam ſitu & loci natura firma. Vix alia urbs tota Hollandia magnifica magis, & Agrippinenſium fere æmula habet ædificia, quæ verticibus altiſſimis aſſurgunt. Stapulæ jus ſibi vendicat, id eſt privilegium ſiſtendi & ab inſtituto curſu retrahendi merces exoticas, quas negotiator importat, ut nimirum eo loco ſtabulentur & conquieſcant, quo venum proſtituantur, quavis tandem conditione, niſi damnoſam venditionem cauſatus, vel meliorem aliunde lucri auram olfaciens inſtitor, vectorve, malit recurrere, unde venerat, vel ubi ipſe domicilium habet ; quod illi licet etiam, non ſoluto ſtato portorio : venditas autem non niſi oppidanorum navibus alio traducere licet. Huic ſoli inter Auſtralis Hollandiæ urbes datum Principis monetam cudere, auream argenteamque : deinde ut iſthic Hollandiæ Comitum inauguratio fiat, nec alibi ſolenni Sacramento adigantur in mutuam fidem cum Principes, tum Ordines : Vrbis regimen, à cæteris Hollandiæ urbibus plurimum diverſum, ita ſe habet : Vniverſæ urbis cura eſt penes Scultetum, Conſulem ſive civium Magi-

ſtrum,

ſtrum, Scabinos, Senatores, Ex-ſenatores, (vulgo *Oud-Raden*) & Octoviros, quos ipſi vocant *goede Luyden van achte*. Scultetus, qui Principem repræſentat, à Gubernatore Hollandiæ eligitur ex tribus à Senatu denominatis. Conſul, qui hic unicus tantum, ter quotannis eligitur ab Ex-Senatoribus (quorum ipſum unum eſſe neceſſe eſt) & octo-viris à Prætore ad id citatis & juratis. Si vero octo-viri omnes ſuffragiis in unum conveniant, VIII illorum pro XII computantur. Scabini & Senatores ſunt, qui quotidie jus dicunt: Scabini nimirum novem, & Senatores quinque. Eorum dimidia pars quotannis mutatur. nimirum uno anno quatuor Scabini & Senatores tres, altero quinque Scabini & duo Senatores. Nominantur autem duplo numero à 40-viris. Ii ſunt omnes illi, qui Magiſtratu funguntur, & qui à Magiſtratu fungentibus, è cæteris civibus ad juſtum numerum ſubleguntur, quorum XL virorum nullæ aliæ partes ſunt, quam ſemel quotannis Scabinos & Senatores nominare, aut iterum, ſi quis intermedio tempore vita functus fuerit, alium in demortui locum ſurrogare: è duplo porro numero à XL viris nominato, Præfectus Hollandiæ ſingularum numerum eligit: Scabini denique & Senatores ita electi munus ſuum auſpicantur pridie feſto S. Michaelis, & munere ſuo per biennium defuncti, deinceps pro Ex-Senatoribus habentur, quorum numerus incertus eſt. Octo-viri communium, ſive plebis vicem obeunt. Ii quotannis à *Gildarum*, ut vocant, præfectis, ſive decurionibus artificum mechanicorum, triplo numero nominantur, nimirum è quatuor urbis regionibus ſeni: è quibus dein à Præfecto Hollandiæ octo eliguntur: qui feſto S. Simonis & Iudæ munus ſuum auſpicantur.

Geertrudisberga.

Terminat Zuyd-hollandiam verſus Auſtrum: ultra eas aquas, quas *Biesbos* vocant, *Geertrudisberga*, in ſiniſtra Mervæ ripa ſitum oppidum, piſcatu nobile: ubi tanta, tamque felix eſt clupearum captura, Martio ferme menſe, ut die uno ſupra decem & octo aloſarum millia retibus & ſagenis capta, in cenſum piſcatorium relata tradatur. Neque infelix eſt in iiſdem aquis piſcatio ſalmonum & accipenſerum. De hujus oppidi dominio magna fuit majorum noſtrorum temporibus controverſia, Hollandis hinc, illinc Brabantis illud ſibi vendicantibus, ob ſitus opportunitatem. eoque res proceſſit, ut Hollandiæ Ordines ſolenni ſacramento Principes ſuos adegerint, ad illius retentionem, contra Brabanti ad recuperationem. Paret Arauſino Principi, qui oppidum ab hoſtibus dolo interceptum, & poſtliminio ſingulari virtute recuperatum, operibus, propugnaculis, foſſiſque ita communivit, ut hodie inter inexpugnabiles urbes merito cenſeatur.

Schoonhovia.

Verſus Septentrionem ultra Leccam *Schoonhovia* eſt, felice quoque ſalmonum captura nobilitatum. creditur è Neoporti oppidi, quod in adverſa ripa ſtetit, ruinis creviſſe: perlabitur oppidum elix ex Iſala derivatus: itaque magna illi commoditas ex amnibus, altero præterfluente, altero medium perlabente.

Gorichemum.

Gorichemum agrum Alblaſſium verſus Ortum terminat, oppidum copioſum & opulentum, à Iohanne, ex Arculanis regulis, ejus nominis ſeptimo, muris circumdatum: qui & arcem cultiſſimam, munitiſſimam & elegantis ſtructuræ opus adjecit anno 1230, cujus adhuc rudera viſuntur. Situm eſt ad Lingæ tarde labentis oſtium, ad dextram Vahalis ripam, tribus à Schoonhovia leucis. E ſumma templi turri, inquit Iunius, cœlo ſudo & ſereno, proſpicere & oculis deſignare licet vicena bina oppida muris cincta, præter pagos innumeros & villas. Vrbs hodie propugnaculis ex arte conſtructis hoſtilem vim ſecura deſpicit.

Neoportum.

Schoonhoviæ opponitur ad alteram Leccæ ripam Neoportum, ex oppido factum municipium, mediocre ſatis, agris tamen fertiliſſimis ſuperbiens.

Oppida minora.

Videre hic eſt *Iſelſteinium*, *Aſperam*, *Heuclonum*, *Leerdamum*, minorum gentium oppidula. Etiam *Heuſdenum* verſus ortum, oppidum munitiſſimum, ac limitaneum, uti & *Worcomium*, extra Hollandiæ fines in Gallica ripa, juris tamen Hollandici, ad Vahalim ſitum: è regione Loeveſteyniam arcem proſpectans. Ex adverſo in Brabantiæ ſolo, eſt *Sevenberga*, tribus Bredâ, quatuor Dordrechto & Geertrudisberga, & decem Antverpia leucis diſſita, oppidi gaudens jure & privilegiis, olim magna, ſed ab aquis anno 1421 multum diminuta; ad quam calamitatem anno 1426 acceſſit obſidio, qua Philippus Burgundiæ Dux, cum Dominus Zevenbergæ Gerardus à Stryen Jacobæ Bavaræ Hollandiæ Comitis foveret partes, eam cinxit, & poſt quatuordecim dierum ſpatium cœpit, mœniis & arce, quam habebat validam, ſpoliavit. Sita eſt in agro amœno & fertili, ac poſſidetur à D. Æmilia Solmenſi, Friderici Henrici Arauſionenſium Principis vidua.

Willemſtadium.

Willemſtadium in Brabantiæ ſolo eſt, conditum anno 1583 à Guilielmo Auranſiorum Principe, oppidum à naturâ & arte munitiſſimum, & loco admodum commodo ad tutanda Hollandorum & Zeelandorum mutua commercia ſitum. *Nieuwervaert*, vulgo *Clundert*, eodem anno à dicto Principe munimentis & foſſa in formam oppidi cinctum eſt. Illud vero hic notandum, terras haſce olim agro Strienſi conjunctas fuiſſe, ſed poſt ab aquarum vi divulſas.

DELFLANDIA, SCHIELANDIA, AC INSVLÆ illis objacentes.



Elflandia, à Delpha, urbe Hollandiæ nobili, nomen habens, uti & *Schielandia*, partes insigniores sunt Hollandiæ Australis, Mosa, Oceano, Rhenolandia, & Isala fluvio circumscriptæ. A Mosa, qui magnum ejus latus alluit, Maselandia quoque dicta est. Inter Mosæ ostium, & medium Rheni sita est. Ad Ortum, ubi patentissimus Mosa, pagus occurrit, *Maeslandtsluys*, quasi *Maselandiæ catarracta* dictus, qui piscaturæ studiis in eam magnitudinem excrevit, ut urbibus pluribus par sit. Brilam, terramque Vorniam ex adverso interjecto Mosa adspectat. Sequitur in ora ipsius Mervæ, quem Mosam novum vocant, *Vlaerdinga*, inter oppida muris cincta, multorum judicio antiquitatis prærogativam ferens. Nunc illis viduata, absorptis simul cum arce mœnibus, voragine Mosæ, qui late ripas & littora adedit, succedaneam operam addente mari. Hodie in pagi formam degeneravit, piscatorum sedes. Ab altero vero latere pagi supradicti *Gravesanda* est, Mosæ propemodum faucibus adsita, Delpha, Hagaque trium milliarium spacio dissidens. Oppidum antiquum valde, & olim non mœnibus tantum clausum, verum etiam potens, & Senatus Hollandici sedes ordinaria. Hodie, amisso prorsus veteri splendore, vix tolerabili conditione est. Seminatur in ejus confiniis largior multo frumenti vis, quam in alia ulla Hollandiæ parte, quia nempe feliciter illic & speciosissimum nascitur. Nobilissimorum adhæc caseorum proventu, quos Gravesandos vocant, celebratur, qui secundis mensis avidissime passim per Hollandiam appetuntur. Nec longe hinc abest pagus nobilis Naeldwyck, Principis jam Auriaci dominio illustrior, prope quem regale, magnificumque palatium exstruxit Fredericus Henricus Auransiorum Princeps, Hollandiæ Gubernator, quod à loco *Honselaerdyck* nomen habet. Domus est hortorum circumcirca amœnitate, aditu, vestibuloque splendido, cubiculorumque numero, ac stupendo nitore, picturarum elegantia ac tribunorum equestrium Martiis vultibus, qui pro patria pugnando vulnera mortemque passi, spectabilis, usque adeo, ut Romanorum operum majestatem lacessere videatur. Solebat eo per æstatem, bellique intervalla animi gratia interdum secedere Princeps, & curarum suarum aliquod petere solatium. Agri circumjecti peculiari vocabulo *Westland* vocantur. Celebris quoque hic pagus occurrit *Lausduna*, versus littus collesque arenosos, ubi amplissimum olim Religiosarum nobilium, Ordinis D. Bernardi cœnobium, augusto inprimis Comitis Margaretæ (ut volunt) sepulchro, & miraculo jactatum. Meminere ejus rei in suis commentariis Erasmus & Vives. Occasionem miraculi hanc referunt: Accessisse quondam Margaretam Florentii & Machtildis Hollandiæ, Zelandiæque Principum filiam, mulierem quandam pauperculam, duos unico partu editos infantes ulnis gestantem: cui, ut fit, eleemosynam postulanti, Margareta non solum nihil quicquam porrexerit, sed irrisam insuper & contemptam his verbis dimiserit: *Fieri non potest, ut uno partu nascantur duo, nisi totidem fuerint patres, quare alterum oportet furtivo concubitu esse prognatum:* mulierculam vero contumeliose dimissam, Deum precatam fuisse, ut pudicitiam suam faceret palam, & Comitissæ tunc gravidæ largiretur uno partu liberos numero pares anni diebus; atque isti voto respondisse eventum, editis in lucem trecentis sexaginta quatuor liberis, tam masculis, quam fœmellis: maribusque in Baptismo impositum nomen Iohannis, femellis Elizabethæ. Verba in hujus rei memoriam in templi pariete scripta ita se habent:

Illustris Domini Florentii Comitis Hollandiæ filia, cujus mater fuit Machtildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ, fratrem quoque habuit Guilielmum Alemaniæ regem; hæc præfata Domina Margareta, anno salutis millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ætatis suæ anno quadragesimo secundo, ipso die Parasceues, hora nona ante meridiem, peperit infantes vivos promiscui sexus numero trecentos sexaginta quatuor, qui postquam per venerabilem Episcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, præsentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam Baptismi Sacramentum percepissent, & masculis Ioannes, fœmellis vero Elizabeth nomen impositum fuisset, ipsorum omnium simul cum matre animæ, ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem sub hoc saxo requiescunt. Verum rei historicæ peritis suspecta prorsus habetur ac subtectæ fidei narratio, cum nullo probatæ fidei historico vetere, sed sola traditione ac inveterato rumore nitatur. Præter hæc eminet in hoc agro *Haga-Comitis*, quam

Termini. *Maeslandtsluys.* *Vlaerdinga.* *Gravesanda.* *Naeldwyck.* *Honselaerdyck.* *Westland. Lausduna.* *Haga.*

quam delitiis suis & otio olim destinarunt Principes, & Sanctiori concilio locum, nunc litibus etiam trahendis solvendisque dedicatum. Hic locus opibus, ædificiorum splendore, cultu, magnitudine, hortorum amœnitate, nobilitatis frequentia, nulli urbium cedit, plurimas etiam superat. Palatium habet regiæ magnificentiæ opus, fossis in modum arcis circumdatum, cui piscina perampla ad Septentrionem objecta, Guilielmi Comitis & Romanorum Cæsaris opus: nuper magnifica structura à Principe Mauritio ampliatum. Hic sedes est Principis, Præfectique Hollandiæ. ibidem & sacrarium quoddam juris & legum. hic reliqua Collegia Ordinum tam Generalium, quam Hollandiæ, suis conveniunt locis: uti & Tribuni ærarii. Municipio contiguum est amœnissimum nemus. In meditullio fere Delflandiæ conspicitur cum uberrimis agris *Delpha*, Godefridi Lotharingi, cognomento Gibbosi, ut creditur, opus. Vrbs variam fortunam experta; & sub Alberti Bavari imperio mœnibus nudata: sed postea restituta. anno 1536 fortuito incendio pene tota conflagravit: verum è cineribus, ut solet, multo pulcrior surrexit, ut ædium magnificentia tam publicarum, quam privatarum cum paucis possit comparari. Forma est oblongiori: nec mœnibus aut vallo, prout hodie se res habent bellicæ, satis firma. Cerevisiæ coctura olim, quam nunc celebrior, uti & laneorum pannorum textura. Cives habet opulentos, splendidosque, & qui mercaturam longe lateque exercent. Ager illius pinguis, & inprimis pascuus. Portum habet ad Mosæ ripam valde commodum, *Delphshaviam* vocant, pagus ædificiorum multitudine & incolarum copia nobilis.

Delpha.

Delphshavia.

S C H I E L A N D I A.

Nomen.



Schielandia nomen à Schia canali sortita, ad occidentem Mosâ & Isala fluviis, alluitur, ad Septentriones Delflandia est, ad Orientem Goudâ fluvio & Rhenolandia terminatur. Ad Mosam *Schiedamum* est, ubi fossa sive Canali *Schia* terminatur, qui & oppido nomen dedit, & agro circumjecto, quem *Schielandiam* vocant. Nomen & privilegia urbis accepit demum anno Christi 1274, quo tempore *Novum damum* est dictum, ad annum usque 1300, à quo deinceps tempore Schiedami, quasi *aggeris Schiam sistentis*, nomen obtinuit. Amplius, splendidiusque Schiedamo est *Roterodamum*, ita dictum à Roteræ rivi emissario, quod urbem ingreditur. Emporium est celebre, quippe navigationibus in longinquas regiones non minus notum, quam cetera Hollandiæ emporia, ob oportunitatem fluminis Mosæ, qui mœnia illius lambit, & portus commoditatem. Huic quoque superioribus annis magna accessio facta, mœnibus illius aliquoties prolatis: ut jam, si vastitatem spectes, inter majora oppida numerari possit. Nam quum antea urbs inter ortum & occasum juxta Mosam porrecta, tantum 71 jugera, & 537 perticas occuparet: nunc pomœrio versus meridiem & Mosam prolato, duplo major, occupat 144 jugera, & 435 perticas, quemadmodum è publicis instrumentis sumus edocti. Templum habet structura magnificum, & turri altissima longe conspicuum: forum amplissimum, aliaque publica ædificia splendida; privata quoque structuræ haud inelegantis. Præter mercaturam, quæ hic post Amstelodamum imprimis viget, superioribus quoque annis cerevisiæ coctura celebrari cœpit, quæ jam omnibus magnopere expetitur. Præcipua illi celebritas ab Erasmi natalibus, cujus illic statua ænea in urbis foro conspicitur. Tractum hunc omnem & agrorum periodum terminat versus angulum Orientalem *Gouda*, urbs sita ad Isalam, diverticulum fluminis, fossa perpetua per Trajectenses Vianam versus deducta corrivatum, quod primo Iselsteynium adit, inde Monfortium petit, modo Oudewateram perlabitur, tenui ubique alveo, & qui æstivis mensibus vix cymbas fert: deinde Goudam præterfluit magno aquarum auctu copiosius: demum justo amni par è regione Iselmundæ in Meruwam, sive novum Mosam decurrit.

Schiedamum.

Roterodamum.

Gouda.

Pagi insigniores Schielandiæ sunt, *Overschie* ad Schiam canalem, sat lautus pagus. *Delfshaven*, cujus supra memininus. *Bleyswijck, Moerkapel, Seevenhuysen*, sylva amœnissima & arce, Domini sede, ornatus; *Nieuwerkerk, Kapelle* cum prætorio, *Hilligersberg, Kralingen* & *Schoonreloo*, Delfshaviæ contiguus.

Pagi.

DELFLANDIA, SCHIELANDIA, et Insulæ trans Mosam illis objacentes ut sunt VOORNA, OVERFLACKEA, GOEREA, YSELMONDA, etc.

Milliare Hollandicū sive 2000 Virgæ Rhijnlandicæ

500 1000 1500 2000.

MARE GERMANICVM

Exc. Guilj Blaeuw.

44

INSVLÆ
TRANSMOSANÆ.



Epræſentat inſuper Tabula hæc inſulas aliquot Delflandiæ, Schielandiæque objectas. Prima eſt, quæ Schiedamo, Roterodamoque oppoſita proxime jacet, *Trans-Moſana* dicta, vulgo *Overmaes*, in qua pagi *Portugael*, *Pernis*, *Roon*, *Charloos*, *Iſelmonda*, *Ryderkercka*, &c. agrorum fœcunditate, glebaque ubere nulli Hollandiæ parti cedens. Secunda, & major, *Vorna* dicta, non niſi duabus leucis diſſidet Graveſandâ, *Brielam* habet metropolim, oppidum munitum, ad oſtium Moſæ, ſive ubi Moſæ fluminis alveum Rhenus Oceano affundit. Non nimis populoſum eſt, ob vicinum Roterodamum, & quia ab Hollandiæ continenti avulſum. Hic ſuperiori ſeculo libertatis Belgicæ, qua hodie fruimur, fundamenta jacta ſunt. Ager illius optimum fert triticum, aliaſque fruges. ſed nonnulla hic cœli gravitas ob viciniam maris, quæ tamen aſſuetos minus afficit. Superioribus annis Eliſabethæ Angliæ Reginæ ab Ill. Ordinibus pignoris loco traditum, & multis annis præſidiis Anglicis occupatum, ſub regno Iacobi I, Angliæ regis, induciarum Belgicarum tempore redemtum ac reſtitutum fuit,& præſidium Anglorum deductum. Nunc â propriis Federatorum præſidiis, magna patrii ſoli ſecuritate, tenetur. Atque hæc quidem res, incredibili patriæ commodo, prudenti conſilio ac moderamine D. Iohannis Barneveldii Hollandiæ Advocati, transacta creditur. quo nomine ſibi, ſuiſque, Batavos, poſteritatemque omnem æternum obſtrinxit. Pagi hic *Helvoeten*, Helvoetſluys, ob commoditatem trajectûs in Angliam admodum frequentatus; Oudhoorn, Nieuwenhoorn, Burg, Rekainge, Swartewael & Suijdlant. Tertia eſt ager Puttenus, exiguis aquarum ſpaciis â Vorna & Beyerlandia diſtinctus, in quo primarium oppidum *Geervlieta*. Ager ejus optimus, & cum tritici laudabilis, tum & aliarum egregiæ bonitatis ſegetum fertiliſſimus. Hoc tempore Ruardus Puttenſis, ſive Præfectus excubitorum, vulgo **de Rooproe**/ qui litus marinum contra prædones, latrones & hoſtium incurſum tutantur, eſt D. N. â Schoonhoven, qui ab aliquot annis Præfecturam eam emit â D. Iohanne Polyandro Kerckhovio, qui eamdem obtinuerat ab Ordinibus Hollandiæ, & Principe Arauſiæ. Pagi huic agro incluſi ſunt Biert, Spijkenis, Symonshave, Hekelinge & Tol.

Trans-Moſana. *Vorna.* *Briela.* *Putten.* *Geervlieta.*

Intra Voornam & Putten ad rivum Berniam ſunt dominia Heenvlieta & Abbenbroecka, quæ ſingula proprios habent dominos & Ballivos, hoc eſt, Præfectos rerum capitalium, ſeparantque ditiunculas Voornenſem & Puttenſem.

Henvlieta jacet ad os Berniæ, & juxta flumen Moſam, eſtque pars Voornæ, unumque ex præcipuis Hollandiæ Dominiis privilegiatis, obtinetque jus oppidi. Hic aliquot diebus hoſpitio fuit excepta anno 1638 Galliarum regina, Maria de Medicis, ſecundum in Angliam ventum operiens.

Dominus Heenvlietæ in frontiſpicio poſuerat, ante Reginæ adventum, lapidem hac inſcriptione inciſum:

POSTERITATI
HEENVLIETÆ DOMINVS.

Sed quia indicabat domum poſſe eſſe durabilem, non æternam; & quia videbatur ex Majeſtatis ſuæ, & Celſitudinis ſuæ Æmiliæ Principis Arauſienſis, hoſpitio, memoriam perpetuam conſecuta; priori lapidi alterum adjunxit cum hac epigraphe,

POSTERITAS DISCE.

Porro Dominus Heenvlietæ nuper erat,prænobilis D. Iohannes Polyander Kerckhovius, Saltuarius, ſive Præfectus ſaltuum ſilvarumque Hollandiæ, Curator ſupremus domus Regiæ Principis Mariæ, filiæ Caroli I, Anglorum regis, & Henricæ Mariæ, Henrici IV, Gallorum regis filiæ. Quarta, Beyerlandia nova & veteri aliiſque pagis, ſed non totam, ſe conſpicuam præbet;pagum habet cognominem oppidi potius ſpeciem præferentem, ædificiis ſplendidis ornatum, & nundinis annalibus celebrem: annexa *Pierſchilla*, & vicina *Corendica*. Quinta verſus Zephyrum tota mari innatans *Goeræa*, ab oppiduſo cognomine ſic dicta. Mœnibus hodie valliſque deſtituitur, licet eorum hic illic veſtigia manifeſta adhuc ſuperſint. Turrim oſtentat excelſam, quæ Phari officium navigantibus, Moſæque oſtium ſubire volentibus præſtat. Incolæ tum piſcatura, tum conficiendis retibus vitam tenuiter tolerant. Nomen loco â re, qui fidam illic ſtationem, hoc eſt noſtrate lingua, *goe ree*, navibus præbet. Vnicum præterea habet pagum *Outdorp*. Vltima ſpectatur, interfuſo maris emiſſario, inſula, *Vltra-Flackæana* appellata. Maris enim illa mediterranei pars *Flackæa* vulgo, unde inſulæ nomen. Nec tamen tota eſt juris Hollandici, cum Somersdicium cum annexis ſibi agris Zelandiæ Ordinibus pareat, ſicuti contra *Bomenæa* in agro Zelandiæ ſita, ad Hollandicum regimen ſpectat. Habet inſula hæc pagos amplos, oppidiſque non abſimiles, *Dirckslandiam*, *Somersdicium*, *Middelharnis*, *Oude Tonghe*, & *Oeltjens Plaat*: minores, *Niewwe Tonghe*, & *Stadt*. Ager omnis ubere tritici proventu agricolam beat, quin & *milio* hic *venit annua cura*. Paſcua rara. Talpam hactenus non vidit.

Beyerlandia. *Pierſchilla.* *Corendica.* *Goeræa.* *Vltra-Flackæana.*

RHE-

RHENOLANDIA.

Rhenolandia quid propriè.



Rhenolandia certum tractum agrorum Hollandiæ Auſtralis potiſſimum ſignificat, qui quidem communi jure legibuſque tum exonerandi vel ſiſtendi aquas, tum muniendi aggeres adſtricti ſunt: conſtituto in eam rem jam olim Collegio ac Senatu, qui ex aggerum Præfectis, ac Septem viris juratis conſtat; *Dyckgraven & Heemraden* vocant. Atque his quidem aggerum muniendorum ac conſervandorum, adverſus maris ac fluminum exæſtuantium inundationem cura commiſſa eſt. Ex perpetuis Principum edictis, quum res poſcit, obequitantes aggeres, aquæductus ac cataractas perluſtrant: ſi quid diſſipatum, convulſum, concuſſum, vel obturatum ſit, inſtant, omnibus inſtaurandis incumbunt, mulctas indicunt, prædia neglectis aggeribus obnoxia evincunt, ac publica licitatione, ac omni reliquo clientelari, cenſuali, vel hypothecæ onere libera ac penitus purgata minimum exigenti addicunt. Suntque hæc aggerum muniendorum jura in multis admodum rigida atque exorbitantia, idque ob publicam ſecuritatem: quamvis non deſint, qui conquerantur, eorum jurium obſervatione atque acceptione, ſive per rationum ignorantiam, ſive conſulto, cum ſubditorum pernicie ſæpe aberrari. Eſt & cenſualis juriſdictio qua plerique prædii ſolario jure, vectigalis poſſeſſorem ad ejus profeſſionem cenſuumque ceſſorum præſtationem ſibi faciendam adigunt, ex Parium iſtius curiæ cognitione ac decreto.

Termini.

Termini Rhenolandiæ ſunt ab Occidente littora Hollandiæ, qua parte Hagam inter & Beverwicum excurrunt: ab Oriente pars Diœceſeos Vltrajectinæ & Amſtelodamenſis agri confinia: à Septentrione Tyæ pars, aggerem, qui Harlemo Amſtelodamum ducit, alluens, & vadoſa inſuper loca Beverwicum uſque: ab Auſtro linea illa, quæ à Montfortio, Oudewateram, hinc Goudam præter ducitur verſus Hagienſem agrum.

Rhenus.

Nomen accepit à Rheno, qui communis eſt Galliæ Germaniæque terminus. Is circa initium ſoli Batavici diviſus, qua Gallicam ripam contingit, Vahalis; qua Germanicam, Rhenus vocatur: media inter duos veluti amnes relicta inſula Batavorum. quo fit, ut Batavos in duarum potentiſſimarum gentium confinio poſitos, alii Germanis, alii Gallis adſcribant. Duobus hiſce alveis Druſus tertium addidit, perfoſſo ob ſuas commoditates ſpatio, quod Rhenum inter & Iſalam interjectum eſt, & flumine majore per alienum alveum in lacus admiſſo. Hinc ortum eſt nomen foſſæ Druſianæ.

Tria Rheni oſtia.

Habemus ergo tria nunc Rheni cornua, dextrorſum Flevum, qui Ptolemæo eſt ἀνατολικὸν ϛόμα: lævorſum Vahalim, qui Plinio Helius, Græcis τὸ δυτικὸν ϛόμα dicitur: & medium inter hæc cornua Rhenum, qui per Lugdunum & caſtra Romanorum levi agmine fluens, in Oceanum Germanicum ſeſe olim exoneravit, ad vicum Cattorum, littore, quod, quia Britanniam reſpicit, Britannicum olim vocari potuit. Nec mirabitur nomen Britannicum in Batavia, qui ſciet poſteriore ævo hoc omne littus etiam ultra Sequanam vocatum fuiſſe Saxonicum. Tria illa oſtia deſignavit Plinius, quum dixit, Rhenum à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargere, ac medio inter hæc ore modicum nomini ſuo cuſtodire alveum. Merito quidem ille modicum dixit, nam abactis per divergium Druſianum aquis, factus eſt Rhenus multo quam antea anguſtior & exilior; adeo, ut quibus religio fuit plura Rheno, quam duo cornua adſcribere, ii præterito medio, Flevum tantum & Vahalim commemorent. Tandem vero obſtructo etiam arenis ore iſto, quum non ſufficerent hauriendis aquis duo illi alvei, eoque perpetuis inundationibus eſſent expoſiti, quotquot Batavorum Inſulam, & extra eam loca depreſſiora habitabant; viſum fuit è republica, Rhenum effoſſis novis aliquot alveis, præſertim, qua jam ipſe ſe exoneraverat, abducere, & aggeribus admotis, intra alveos illos conſtringere.

Lecca & Iſala elices Rheni.

Sic deducta eſt Lecca, ſic Iſala; ſic elices illi qui inter Flevum & medium Rheni oſtium fuiſſe olim perhibentur Egmundæ, Schoreli, Crabbedami, quorum adhuc ſpectantur veſtigia, niſi quis poſteriora iſta non niſi naturæ opera fuiſſe malit. Petrus Nannius, *Hollandiam*, inquit, *à Friſia æſtuaria Oceani aut Rheni dividebant, cujus etiam alveus ſiccus videtur non longe à pago, cui Schorel, vetuſque ſuum nomen obtinet.* Et rurſum: *Egmunda ab anguſto Rheni oſtio* Egmondt *etiam nunc dicitur, credo quod ſtagna Rheni ibi ſuum emiſſarium in Oceanum haberent. Certe intra ſecundum lapidem ad viculum nomine Crabbendam, viſitur alveus Rheni, qui nomen ſuum antiquum retinuit, licet à Rheno deſtitutus.* Ac ſuſpicor, quo tempore accolæ effoſſionem Leccæ moliebantur, eodem quoque Rhenum abductum in alteram partem trium illorum oppidorum, quæ Tacitus, omneſque veteres ſemper in oppoſita, hoc eſt, læva Rheni ripa locant, Arenaci inquam, Vadæ & Grinnium. Quando autem medium illud oſtium Rheni obſtructum, & quando Lecca effoſſa fuerint, Cornelius Aurelius refert, & graphice in Annalibus ſuis depingit Ianus Douza. Habuit tamen ea res illud incommodi, quod qui ad medium Rheni alveum magna jam parte obſtructo oſtio arefactum ſiti erant, non haberent viam, qua merces ſuas poſſent in Oceanum, ex quo ingens quæſtus, exportare, vel inde ad ſe admittere. Quocirca ſtatuerunt effoſſo tranſverſo meatu huic incommodo mederi.

Gouda, Wonda, rivuli.

Placuit ei rei Goudam & Woudam, exiguos rivos deducere, & cum Iſala, Rhenoque conjungere. Sed quum periculum eſſet, ne ſi id adgrederentur, aquæ ex Iſala in agros ſuos effunderentur, natura humiliores, occurrerunt etiam huic malo oppoſitis ad primam Iſalæ admiſſionem ingentibus obicum

RHENOLANDIÆ et AMSTELLANDIÆ exactissima Tabula.

MARE GERMANICUM

HAERLEMMER MEER

LEYTSCHE MEER

Milliare Hollandicum, sive 2000 Virgæ Rÿnladicæ.

500 1000 1500 2000

Namen eeniger Plaetsen in dese Kaert met cÿfers aengeteyckent.

1. Assendelver wech
2. Aelberts bergh
3. Pÿls Laen
4. SÿmeKrelis Laen
5. Aerdenhouts Laen
6. Gast-huys Laen
7. Kamp Laen
8. Munneke Laen
9. Hoff Laen
10. Man-pats Laen
11. Margriete Laen
12. Willighen-dam en Kluys Laen
13. Langhevelder Laen
14. Bree-lester wech
15. Laege wech
16. Klinckan-burger brugh
17. Molegat
18. Wÿe Sloot
19. Jan Swanne brugh

Exc. Guilj. Blaeuw

repagulis, quibus naves ex Isala in Goudam tuto adveherentur, observata ea fluminis æstu marino sese attollentis aut subsidentis altitudine, quæ interiori fossæ esset æqualis, quod & Corbulonem olim in fossa illa, quam à Mosa ad Rhenum duxit, ubi illa sita fuerint, observasse, verisimile est. Fossa illa ab Isala ad medium usque Rheni alveum vocatur *Gouda*, inde ad lacum usque Harlemensem *Wouda*. Cataractis ad Isalam additum est telonium, & telonio arx à Florentio Comite, Guilielmi Romanorum regis filio. Illexit autem loci oportunitas multos, ut etiam in aggere, vel propter eum sedes figerent, crevitque paulatim frequentia in justam civitatem, templo etiam ex vicino loco, ubi ligneum steterat, in mediam civitatem translato. Deprehensum est tamen, Isalæ aquas, intumescentibus supra Trajectum Rheni undis, ita interdum attolli, ut ipsas quoque aggerum moles perfringeret. Itaque consensu Iohannis Nassovii Episcopi Trajectensis, obex etiam impositus est Rheno, ex adverso Viennæ, loco qui à Frisiis (nam Frisiorum hæ olim sedes fuere sub Radbodo) vocatus est *Vrieswyck*, quasi Frisiorum vicus. Ex eo igitur tempore contractus est admodum, imminutusque Isalæ alveus, adeo ut jam inter primos illos aggeres lata cernatur camporum planities, circa Iselstenium, Montfortium, Oudewatriam.

Lugdunum Batavorum. Metropolis Rhenolandiæ est Lugdunum Batavorum, vulgo *Leyda*: revera urbium Hollandiæ ocellus, sive urbis ipsius nitorem, structuramque, situs opportunitatem juxta atque amœnitatem spectes; sive civium & incolarum frequentiam, omniumque artium mechanicarum, & præsertim lanificii, cultum. Sita est in medio fere ceterarum urbium, quippe distans à Delphis tria, ab Harlemo, Gouda, Roterodamo quinque, Amstelodamo, Durdrechto, Trajecto septem milliaria communia. Medius Rheni alveus ab Vltrajecto descendens, sed oblimato ostio & cursu aliò retorto, jam restagnans, paulum supra urbem in duo velut brachia divaricatus, urbem ab oriente ingressus, postquam bonam illius partem bifido alveo pervagatus est, rursus in unum alveum conjunctus ad occidentem egreditur, & mare petit. In angulo hujus confluentis, super acclivem undique tumulum pyrgus exstat, (Burgum patria lingua vocant) circinato mœnium ambitu, fornicibus arcuatis, quod Normannorum opus creditur. Ab hoc Burggravii nomen habuere, olim quoque urbis potentes, quod imperium & jus quondam penes Wassenarios dynastas fuit. Vrbs aliquoties ampliata est mœnibus productis. *Lugduni capacitas.* Primum anno 1249, secundo 1355, tertio 1389, quarto denique 1611: Ita ut nunc forma pene orbiculari 172 jugera Rhenolandica occupet; quum superioribus seculis, quando primum muro cincta fuit, vix triginta contineret. Cincta est autem partim muris vallo terreo firmatis, quibus ingentia propugnacula terrea sunt adjecta: partim, qua nuper dilatata sunt pomœria, firmissimo & crassissimo terreo vallo, & validis propugnaculis, fossaque undiquaque amplissima. Hæc urbs, uno Amstelodamo excepto, universæ Hollandiæ civitatum populosissima est: quippe advenis è Flandria, Artesia, Hannonia, & Leodiensi agro, aliisque in immensum aucta: unde & opibus quoque supra modum crevit, & ædificiorum numero ac splendore. Iter à *Lugduno capite Germaniarum* Argentoratum usque notavit Antoninus per Albiniana, Trajectum, Mannaricium, Caruonea, Harenacium, Burginacium, Coloniam Trajanam, Vetera, Calonem, Novesium, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Autunnacum, Confluentes, Bingium, Noviomagum, Treveros, Divodorum, Pontem Sarvi. Extra urbem, *Rhenoburgum.* Oceanum versus, est Rhenoburgum, non ignobilis pagus, ubi cœnobium illud amplissimum ordinis Divi Benedicti, eleganti imprimis templo, aliisque pulcherrimi operis ædificiis concinnum. Ejus conditores quatuor feruntur: Didericus videlicet & Florentius Comites: Petronella Hollandiæ Comitis uxor, & Princeps quædam illustrissima Domûs Saxoniæ. Verum cœnobii hujus non nisi miseranda jam videas rudera, minasque murorum ingentes. Non admittebantur in hoc nisi virgines domo ac sanguine nobiles, ejusque antistes femina seculari simul & ecclesiastica dignitate pollebat. Sepulcra habet non Comitum solum supra enumeratorum, sed & aliorum Hollandiæ Comitum, & Zelandiæ. Est & aliud quoddam cœnobium celebre, non longe à mari, Ordinis D. Bernardi, vulgo dicitur *Ter Lee*, duobus Leida milliaribus, prope *Ter Lee.* Nortwicum, fundatum à Comite quodam, & amplissimo censu dotatum. Sed & hoc bellorum incendiis conflagravit. Parte altera urbis, Woerdam versus, ad decem millia passuum Lugduno *Alphen.* dissident Albiniana Castra, notata ab Antonino in Itinerario, nisi quis Alpheniana dici malit, ab Alpheno Varo Batavorum ductore, cujus meminere Tacitus, lib. 18, & Plurarchus in Othone, nostri vocant *Alphen*. Inter hæc & urbem est *Roomburch*, quod Romanorum sonat Burgum. *Roomburgh.* Velseri tabula vocat prætorium Agrippinæ, estque is locus erutis variis antiquitatum monumentis clarus. In his duo fuere leonum signa, cum Palladis simulacro, & numismatis argenteis æneisque Antonini, Neronis, aliorumque. Fuere & imbrices ita inscripti: *Ex Germ. Inf.* cum nummis Imper. Domitiani, Germ. Cos. 12. item Nervæ, Trajani, Tiberii, Claudii, Anastasii. Cessit postea locus Vestalibus virginibus, quibus bello exactis omnia diruta sunt. Sustinuit hæc urbs, anno 1574, gravem & memorabilem obsidionem, fame, dissidiis, morbis intus grassantibus, foris castellis, arcibusque plurimis arcte clausa, sed divina ope, immisso per aggeres Mosæ mari, ventisque aquas huc devolventibus, miraculo liberata est. Quare & propter belli gloriam, & antiquitatis decora & loci situm, amœnitatemque, Academiæ privilegio donata est, cujus nomen clarissimorum Professorum eruditione, studiosorum numero, Curatorum & Consulum autoritate, Ordinumque liberalitate, jam toto orbe celebratissimum est. Huic accessit Ill. Ord. magnificentiâ exstructum Collegium Theologicum. Vrbem hanc his versibus celebravit C. Barlæus:

Crevit ab Ausoniis olim mihi fama triumphis,
Et victrix de me præmia Roma tulit.

Reddidit

Reddidit ereptos fugiens Hispanus honores ,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famem, querulos discordia cives ,
Et falces acuit mors furibunda suas.
Vix nocuit securus Iber. quas struxerat arces ,
Deserit , & pavidos excipit unda pedes.
Dum patriæ pars magna perit , conservor ab illa ;
Totaque ne pereat , sic periisse cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit sors ista recessus ,
Martiaque imbellis mœnia Phœbus habet.
Præ lituis pax alma placet ; præ milite Pallas ;
Linguaque Romanos apta referre modos.
Sit bellum sensisse satis , jam prælia dicto ,
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet pietas : dum pellitur exul
Flandria , & hoc gaudet vivere tuta sinu.
Hospitium cum dem profugis , atque otia Musis ,
Vis dici doctam me magis , anne piam ?

Woerda. Facit & huc *Woerda* , Leida dissidens milliaribus quinque , oppidulum non inelegans , arce valida munitum , ad Rheni alveum : nec non *Oudewater.* *Oudewatera* , ad Isalam , ubi ingens vis laudatissimæ cannabis colligitur. Unde quidquid fere rudentum & retium ad maximas illas Hollandorum , Zelandorumque piscationes requiritur , solet elaborari : quæ tanti momenti res est , ut in ea consistat fundus & columen fortunarum ejus.

Pagi. Sunt autem in Rhenolandiæ tractu pagi quinquaginta septem , quorum plerique agrestes suas opes in urbem Leidam venales important ; unde summa hic rerum è terra nascentium copia : sicut & maris vicinitas maximam ei suppeditat marinorum piscium copiam. Maxime vicini pagi sunt: *Wassenaria* Baronatus antiquissimus, cujus Toparchi olim fuere Burggravii Leidenses, *Rhenoburgum*, exigua tantum leucâ Lugduno distat , non ignobilis pagus , ubi olim cœnobium illud amplissimum Ordinis D. Benedicti à Theodorico & Florentio Hollandiæ Comitibus & Petronella Principis uxore conditum : fuit autem donatum lato in pagos & agros circumjectos imperio , ita quidem ut ejus Antistita sæculari simul & ecclesiastica jurisdictione præpolleret , & luculento gauderet censu : non admittebantur vero in id nisi virgines domi nobiles ; & inter alia opera pia , ternis in hebdomada diebus tam multæ distribuebantur eleëmosynæ , ut bina & eo amplius millia pauperum ex vicinis locis undique accurrerent : nunc una cum templo Hollandiæ Comitum aliorumque Regulorum Mausolæo belli injuriis destructum nil tanti operis , quam quædam insignia fragmenta ostentat. *Valkenburgum* , quod Leidâ unius tantummodo leucæ spatio dissidet , pagus haud equidem magnus , sed equorum mercatu , quotannis in eo Septembri mense haberi solito , admodum memorabilis , nec innumera tantum omne genus equorum copia , sed & hominum undique confluentium multitudine frequentatus. *Catwicum ad Rhenum* pagus est mari vicinus eo adeo loci, ut quidam asserunt , positus, ubi ostium illud veteris Rheni , quod Trajectum perlabitur , rapido cursu in Oceanum olim solebat influere. Locus equidem valde antiquus , ut quem conditum velint Annales Hollandiæ , denominatumque à Cattis , populis olim Germaniæ , qui cum Batone jam dicto in has oras delati , præcipuam isthic sibi delegerint sedem : quæ , ob maris juxta & fluminis opportunitatem , brevi in magnam & momentosam admodum urbem excrevit. sed postea sæpius diruta , vix reliquias modo & rudera , sui ad posteros monumentum , transmiserit. *Catwicum ad Oceanum* , *Nortwicum littorale* & *mediterraneum* , patrimonium Dousarum *Oostgeesta*, *Warmonda* , *Voorthouta* , *Leyderdorpia* , *Couderkerka* , *Voorschota* , *Soeterwouda*. Cæteri sunt, *Lisse*, *Sassenhem* , *Noortwijckerhout* , *Haserswoude* , *Alphen*, *Kaech*, *Hoemade*, *Heer Iacobs Wou*, *Leimuyen &c.* Arces proximiores urbi sunt : Warmonda, Bochorsta, Doesa , Poelgeesta , Sweta , Cronestena , Sudwica, Engeesta , Roomburga , prorsus diruta , Rosenberga , Santhorsta , Duvenwoorda , Rucopia , Wingarda. Olim & hæ fuerunt : Alcmada, Boshusia , Ceubela , Berendrechta , Torenvlieta , Sonnevelta , & Teilinga domus Hollandiæ Comitatus Saltuarii sedes, nuper restaurata. *Arces.*

Arx Britannica. *Arx Britannica* mille circiter & sexcentis passibus ab hoc pago , ad mare Oceanum , & quod diximus ostium Rheni , ædificarunt olim Romani , & nominatim Cajus Cæsar Caligula , superbam inprimis arcem , & pulcherrimum portum. unde brevissimus sane & commodissimus erat in Angliam , tunc Britanniam dictam , trajectus. eam autem ab ipso situ dixerunt Britannicam. quæ , Imperio declinante , à Normannis occupata , atque ex parte etiam diruta tandem , quia non sarciretur, neque aggeribus aliisque id genus operibus , sicut aliæ quædam communiretur , prorsus ab mari absorpta est. sic ut aliquot sæculis nec vola inde nec vestigium apparuerit. Ab annis vero ducentis retro regresso plus solito versus veterem alveum Oceano, etiam aliquæ hujus castri partes emerserunt. quod anno salutis vicesimo supra sesquimillesimum continuo biduo pæne totum sese ostendit: cum accolæ,inter alia,septem inde eximerent lapides,quorum aliqui notas præferrent inscriptiones Romanas. hi translati fuere ad nobilissimam illam Hagam , & aulam inibi Domini Wassenaræ , ubi & hactenus eos est visere. Emersit hinc iterum, & ad fundamenta usque detecta est arx anno 1552 , quo tempore compererunt eam esse quadratam , & ab uno ad alterum angulum , ducentos & quadraginta , in circuitum vero , patere nongentos & sexaginta pedes Romanos. visa tunc autem & facies quædam muri , Meridiem versus porrecta. unde porro ad magis mediterranea pertinuisse videbantur præcipuæ hujus propugnaculi domus , arenosis hodie collibus, *Dunas* vulgo indigetant, obrutæ. eruerunt etiam accolæ plurimos lapides leucophæos , quorum, qui strati in fundamento , ternis pedibus alti , quaternis lati. item lateres quosdam terra coctos pedali in quadrum mole , adeo sanos quidem & integros , ut viderentur recentes ab officina. præferebant autem has litteras EX. G. I. quæ denotare videntur *Ex Germania Inferiori*. Est quidem hic in propinquo admirabile quoddam & coquendis lateribus, aliisque id genus figlinis aptissimum terræ genus. sed Batavis nondum satis est explorata figlina Hollandica , & nihil ad Romano-

manorum vaſa & lateres terræ iſtius temperandæ ratio. unde liquet, veteres illos Romanos multis in rebus nos præcurriſſe. ſicuti nos quoque in compluribus aliis, temporis demum lapſu inventis, ſine controverſia eos præcellimus. Inventa fuerunt & vaſa quædam operis priſci, ex metallo conflata; item nummi, & alia quædam antiquitatis Romanæ veſtigia. Omnium vero clariſſime ſeſe oſtendit hæc arx, anno 1562. quo per viginti & amplius dies manſit detecta. ſic ut accolæ vel millenos aliquot lapides paſſim eruerint, & complures invenerint nummos, tum & vaſa quædam pulcherrima, quibus itidem eſſet inciſum *Ex Ger. Inf.* Iugera agrorum ambitu ſuo complectitur Rhenolandia 80 millia, quæ ſingula quotannis cenſum ſolvunt in faciendis impenſis publicis ad aggerum ſecuritatem, & aquarum tempeſtivas exaggerationes.

Iugera quot contineat Rhenolandia.

KENNEMARIA.

Kennemerlandia.

Kennemaria, vulgo *Kennemerland*, antiquorum Caninefatum ſedes eſt, ejus partem exiguam circa Harlemum oſtentat hæc tabula, reliquam Noort-Hollandiæ mappa exhibet; uſque ad Zypam verò, lacum exſiccatum, & Waterlandiam in Hollandia Boreali ejus excurrit juriſdictio. Caput ejus eſt *Harlemum*, urbs ædificiorum cultu, amplitudine, ſitus amœnitate & opportunitate, cæli denique ſalubritate inter primas cenſenda. Ager quippe illius editior, & à lacuum mariſque offenſa ſecretus. Templum habet pulcherrimum architectorum judicio, quod foro ſpatioſiſſimo imminet. E regione Curia eſt, operis haud vulgaris. Vrbem interlabitur Spara, olim è Rheno corrivatus, ſed qui jam ex immenſo lacu incrementum accepit. Ante urbem amœniſſimus lucus eſt, civium voluptati & juventutis exercitiis dicatus. Linearum telarum candoris & tenuitatis eximiæ, aliorumque pannorum textura ſatis celebris eſt urbs, & populoſa admodum, ob advenarum numerum: magno quippe incolarum numero aucta eſt, poſtquam Hiſpanus Flandria & Brabantia potitus eſt: ita ut ſuperioribus annis hic ſupra viginti quinque millia hominum numerata fuerint, eorum qui & ſexagenariis minores erant, & tamen pubertatis annos egreſſi, qui artes varias mechanicas & mercaturam exercent. Quo factum eſt, ut non modo ædes, ſuperioris belli clade incendio deformatæ aut collapſæ, pulchrius longe reædificatæ fuerint, ſed etiam omnibus locis vacuis eleganter ſuperſtructum ſit. Muro lateritio cincta eſt utrinque firmo, & foſſa ſatis lata. Abeſt ab Oceano circiter 5 mill. paſſuum, qui marinorum piſcium genus omne abunde ſubminiſtrat. Ad Euronotum lacus eſt ampliſſimus, *Harlemenſis* dictus, verſus Aquilonem ſinus *Y.e.* Exſtructa creditur urbs à Friſiis, circiter ann. 506. Arcem habuit non procul ab Heemskerka, quæ nunc diruta, ſoloque æquata eſt, quum ejus arcis dominus vi & effrenata violentia juſtum in ſe populi odium concitaſſet: quo tempore memorabile fertur accidiſſe conjugalis amoris documentum; nam quum jam deditio pararetur, fertur uxor tyranni ad eam cum hoſte pactionis formulam deſcendiſſe, ut ſemel exportandi ſibi, quæ chariſſima haberet, daretur facultas: quo conceſſo, maritum bajulans exportavit, pari laude efferenda, cum Guelphi Bajoariæ Ducis pientiſſima uxore. Huic urbi inventæ Typographicæ artis laus debetur. Ante annos enim ducentos & plures Laurentius Iohannis Coſterus, qui in ædibus ſatis ſplendidis foroque imminentibus, è regione palatii regalis habitabat, forte quum in ſuburbano nemore ſpaciaretur, cœpit faginos cortices in literarum typos conformare, quibus chartæ impreſſis verſiculum unum atque alterum animi gratia ducebat. Hoc primum fuit maximæ artis rudimentum; quod ubi feliciter ſucceſſit, cœpit altiora animo concipere. Primum omnium atramenti ſcriptorii genus glutinoſius tenaciuſque excogitavit, adhibito in conſilium & partem curæ Thoma Petro genero ſuo. Inde totos pinacas characteribus expreſſit. Exſtant hodieque illius operis adverſaria paginis tantum adverſis impreſſa, quæ paginæ glutine commiſſæ inter ſe cohærent, ut videantur eſſe opiſtographæ. Liber eſt conſcriptus vernaculo ſermone, auctore anonymo, titulum præferens: *Speculum noſtræ ſalutis.* Poſtea faginas formas plumbeis commutavit, has deinde ſtanneis, quo ſolidior eſſet materia. Ex horum typorum reliquiis conflata ſunt œnophora, quæ hodie adhuc viſuntur in Laurentianis illis, quas commemoravi, ædibus. Manſiſſetque diutius apud Harlemenſes tam præclari inventi gloria, niſi Iohannes quidam, ſive ut fert ſuſpicio, Fauſtus, hero ſuo infidus & infauſtus, à quo artem omnem fuerat edoctus, ipſo pervigilio natalis Dominici, omne typorum choragium involaſſet, aſportaſſetque primum Amſtelodamum, inde Coloniam Agrippinam, denique Moguntiacum. Vbi huc trifurcifer, & ſeſquilavernio ſibi inventionis novæ laudem arrogans, intra vertentis anni ſpacium ad annum à nato Chriſto 1452, iis ipſis typis, quos hero ſuo fuerat ſuffuratus, in lucem edidit *Alexandri Galli Doctrinale*, cum Petri Hiſpani tractatibus. Eſt & altera hujus urbis gloria, capti novo conſilio Peluſii, quam Damiatam vocant, cujus rei ſymbolum habent nolas duas ex ære Corinthio, quæ à loco, unde ſublatæ, *Damiatæ* appellantur. Arces circa eam plures ſunt, *Brederodia*, *Aſſenburgum*, *Heemskerkia*, *Mereſteinum*, *Foreſtum*, *Reewyckum*, *Velſena*, *Polenbrugum*, *Harlemum prope Beverwicum*, *ſtirpis Harlemæ* olim domicilium, *Heemſtedium* lacui imminens. Sunt & arcium rudera, *Clevia*, *Tetrode*, *Baenjaert*, *Berckenroede* nunc reſtaurata, *Hillegum*, &c. Pagos in Noort-Hollandia videas.

Harlemum.

Arces.

Pagi.

AMSTELLANDIA.

Amſtellandia, olim Menapiorum ſedes, ab Auſtrali parte Rhenolandia; à Septentrionali, Trajectenſi diœceſi & Goedelandia terminatur. Solum hujus territorii depreſſius & paludoſum eſt, in quo terræ uſtibilis, *turven* vocant indigenæ, magna effoditur copia. Vrbs in eo eſt *Amſtelodamum*, nobiliſſimum hodie totius orbis

Amſtelodamum.

bis emporium. Vrbs haud ita vetusta est, quippe cujus levis aut nulla ante annum 1299 mentio in historiis reperiatur. Et primum anno 1482 muris cingi cœpit. Hi muri lateritii fuere firmi & egregii operis; sed hodie omnes solo adæquati, duabus tantum portis exceptis, quæ in alium usum conversæ fuere, & elegantiam operis hodieque testantur. Prodiit superioribus annis accuratissima urbis delineatio, à qua magnitudo illius conspicua est, quæ mensuratur jugeribus 530, & 362 perticis. Habetque in circuitu 2789 perticas, sive passus 13945, mensura excurrente ad extimos fluminis Yæ palos. Incredibilis est civium, atque accolarum frequentia, & longe major quotidie advenarum concursus. Opes inde æstimari possunt, quod anno 1601 ædes plus quam sexcentæ privatorum opibus à fundamentis exstructæ fuerint; è publico autem duo magna & sumtuosa templa perfecta, quibus tertium longe utroque majus & magnificentius jam accessit: ut innumera alia ædificia publica prætercam, & tantum lapideorum & subliciorum pontium numerum, ut vix iniri posset. Nunc non Hollandiæ solum, sed omnium vicinarum regionum ad Sarmatas usque, Gothos & Cimbros est apotheca. In hac urbe mercantur Itali, Hispani, Lusitani, Britanni, Scoti, Galli, Sarmatæ, Cimbri, Sueci, Norvagi, Livones, Germani. Indi etiam, Americani, Orientales, Mauri, aliique ex omnibus pene orbis plagis. Eam tali encomio prosecutus est C. Barlæus:

Vrbs spaciosa, potens opibus, tectisque superba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis nunquam stat finibus iisdem,
Latius expansis mœnibus hospes abit.
Invertas, fit tota nemus. quo condita fundo est,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quidquid mortalis fingit solertia curæ,
Vel natura suo parturit alma sinu,
Illa dabit, totoque parans commercia mundo,
Nunc emere, & totam vendere semet amat.
Has adfert, has trudit opes, sic lucra parantur.
Quid valeat fraus, sors, ars, mare, terra, docet.
Moschus, Arabs, Persæ, Maurus, Iudæus, uterque
Quod ferat huc, rursusque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumque hæc ipsa pererrat,
Non urbs fixa loco, sed vagus orbis erit.

Plura qui de hoc Orbis compendio desiderat, nostrum Fœderati Belgii Vrbium Theatrum adeat.

GOEDELANDIA.

GOedelandia, extima & Orientalior Hollandiæ pars, unde nomen consequuta sit non satis liquet: aliqui à Cauchis antiquis incolis dictam credunt, quasi *Cauchlant*, dulciori pronuntiatu *Goylant*. Probabilior vero mihi eorum opinio videtur, nomen huic tractui inditum à Goedela Abbatissa Monasterii Altenatensis, quæ eum dono ab Othone Primo Imp. acceperat; & Comites Hollandiæ rursum eum in beneficii alicujus remunerationem à Cœnobio consequutos. Includitur Goedelandia Amstellandiâ, Vltrajectinâ diœcesi & sinu maris Australi, quem *de Zuyderzee* vocant. Ager ejus quam cæteræ Hollandiæ partes elevatior, & non paucis in locis in colles & monticulos assurgens, nullis pene aquis irriguus, frumenti satis, at fagopyri (*Boeckwijt* nobis dicitur) insigniter ferax. Incolæ ejus statura proceri, fortes, moribus agrestes à cæteris Hollandis multum discrepant, nec ea civilitate præditi sunt. Oppida complectitur tria; Naerdam, Wesopum & Mudam. *Naerda* Goedelandiæ caput est. Olim ad sinum Australem situm erat oppidum ejusdem nominis, quod nunc penitus ab ejus aquis est obrutum, adeo ut hodieque humiliore earum discessu videantur rudera oppidi demersi. Postea Wilhelmus V Hollandiæ Comes concessit oppidanis novum oppidum exstruere. Nunc leucæ majoris intercapedine Muda pariter & Wesopo distat. Cæterum oppidum est nitidum, amœnum; vallis in hodiernum usum egregie munitum. *Wesopum* semileuca duntaxat distat Mudâ, Amstelædamo verò duobus milliaribus; pascua in pastum armenti circumvicina habet egregia; hinc muro cingitur, inde Vecta fluvio alluitur, ædificia habet satis splendida; oppidani opulenti, utpote qui olim quidem pannificio rem fecerint, nunc cerevisia toti Hollandiæ & vicinis Provinciis expetita. *Muda* ad Australis sinus fauces, ubi Tyam recipit, situm occupat, pari ac Wesopum Amstelædamo intervallo dissita, secatur in partes duas à Vecta fluvio, qui vix oppidum egressus aquas suas in Australem sinum effundit: oppidani piscatu, & sale coquendo rem faciunt. Oppidum ipsum arce egregia, antiqui admodum operis, conspicuum: est vero hæc Baillivi Goedelandiæ ordinariæ habitationi inserviens. Pagos Goedelandia comprehendit, *Bussum*, *Huysen*, *Blaricum*, *Laren*, *Hilversum*, *Loosdrecht* & *Oukerck*.

Naerda. *Wesopum.* *Muda.* *Pagi.*

WEST-

WEST-FRISIA,

SIVE

HOLLANDIA BOREALIS.



HOllandia in plures partes dividitur, quæ peculiaria nomina ſortiuntur, ut Kennemariam, Waterlandiam, Amſtelandiam, Goelandiam, & ſimiles. Sed maxime communis & alicujus uſus diviſio eſt in Auſtralem & Septentrionalem, quarum hæc etiam *Weſt-Friſia* dicitur. Nam hæ partes nonnihil moribus & inſtitutis variant, incolarumque ingenia & habitus plurimum diſcrepant.

Nomen. Dicitur *Septentrionalis* Hollandia, reſpectu ſitus, quia ad Septentrionem vergit, ſi cum reliqua Hollandiæ parte compares. Dicitur *Weſt-Friſia*, reſpectu Friſiæ, quæ hodie ſpecialiter ac proprie Friſia nuncupatur. Hæc enim ad Orientem jacet, ſi cum hac parte compares. Friſiæ nomen habet, quia hic ſedes olim fuit Friſiorum minorum, qui trans Rhenum ad Oceanum habitabant & Flevum. Ita ut Trajectenſis provinciæ ac urbis pars Trans-Rhenana, Velavia omnis, etiam Amſtelodamum & Harlemum Friſiæ nomine venerint.

Termini. Septentrionalis vero ac Auſtralis Hollandiæ limites ratione regiminis politici & Eccleſiaſtici diverſi ſunt. Nam politici ratione, Auſtrali accenſentur Harlemum & Amſtelædamum: Eccleſiaſtici vero, hæc oppida cum ſuis pagis & claſſibus Synodo Septentrionalis Hollandiæ accedunt. Cæterum hæc Hollandiæ pars peculiari Ordinum gaudet conſeſſu, nec non peculiari Deputatorum Conſilio, quamvis ad Hollandiæ Ordinum conventum Legatos mittere, iiſque accenſeri ſoleant; hinc eſt quod Ordines ſeſe Hollandiæ Weſt-Friſiæque in publicis diplomatibus nominent.

Vrbes. Sunt autem Septentrionalis Hollandiæ urbes hæ: *Alcmaria, Horna, Enckhuſa, Edamum, Monachodamum, Medenblicum, Purmerenda.*

Alcmaria. *Alcmaria* tribus Horna milliaribus abeſt, urbs nitida, olim undique lacubus & ſtagnis circundata: quorum jam aliquot incolarum induſtria exhauſtis aquis in paſcua ſunt converſa. Antiquitatem ſuam ab anno Iↄ c xxx accerſit. Conſtat ſane, ante annos quadringentos & quinquaginta à Weſt-Friſiis incenſam; nunc ab inſultu & impreſſione hoſtium vallo egregie tutam, ædificiis ſplendidis ornatam, populoſam, & omni genere commeatuum abundantem eſſe. Nomen meruit, ſuperioribus annis, Hiſpanorum exercitu poſt Harlemi deditionem à mœnibus ſuis fortiter repulſo.

Veronæ rudera. Prope Alcmariam ſpectantur ruinæ & rudera Veronæ, urbis Hollandiæ Septentrionalis quondam præcipuæ, opibus & divitiis olim affluentis: hanc à Conſule Foppone traditam funditus delevit Ioannes Primus, Hollandiæ Comes, Florentii Quinti filius, quemadmodum verſiculus refert; *eCCe CadIt Mater FrIsIæ:* vetuitque ne unquam reſtaurari poſſit, execratus ipſam Vrbis florentiſſimæ memoriam; quam nihilominus agri circumvicini in hunc uſque diem Veronenſes, vulgo *de Vroon landen* dicti, referunt.

Horna. *Horna* circa annum Domini 800 primum ædificari cœpit, quum in ſinum illum Danica navigia crebrius appellerent, cum bubulo pecore ad mercatum, ſub Aprilem menſem. Hæc Friſiæ Occiduæ metropolis audit, habetque monetam Weſt-Friſiæ. Oppidum eſt copioſum, quod ex ſemiſſe mari, ſive freto Auſtrali, (olim Flevus erat) alluitur: reliquam partem amœni agri & læta paſcua cum pagis minime obſcuris & locupletibus cingunt. Plateas habet peramplas, portum tutum & tranquillum in interiori ſinu. Et licet nunc commercium illud Danicum fere Enchuſam tranſlatum ſit, tamen urbs navigationibus in omnes pene orbis partes, & navium ſtruendarum ſingulari peritia, in ſummam frequentiam & opulentiam evaſit.

Enchuſa in Septentrionali Hollandiæ parte oppidum elegans, & natura loci admodum munitum, maris furori objectum, quod in extremo terræ margine ſitum deſpicit: opibus mari partis inſigne, lateritiis pleriſque ædibus ornatum; paucioribus ligneis, ob incendiorum periculum, quæ ſemel iterumque olim expertum metuit. qua mare reſpicit, muro; qua terram, vallo terreo cingitur. Oppidum hoc factitii ſalis gloriam affectat, numeroſis admodum longo ſecundum aggerem tractu extructis tectis ſalariis, in quibus ſtrues ſalinarum aggeſtas videre eſt, ſudantibus noctes dieſque operis: quæ olim extra vallum, nunc intra illud recepta ſunt. Oppidani homines gnavi & induſtrii, ex Armoricis civitatibus atque aliunde ſalem aſperum & pullum devectum, cortinis amplis excoquunt, affuſa marina, quæ nonnihil inertem mitemque guſtus ſalis ſaporem corrigendo exhibet, ac candorem menſis cibiſque gratum arte conciliat. Hoc oppidum Neptunium dici jure queat, quod fatali illa (inquit *Iunius*) & haud ſcio qua immutabili ſempiterni ordinis lege, maris quoddam imperium & claſſium agitaverit, propitio Caroli Cæſaris & Philippi Regis ſtudio atque favore, quando uterque non aliis temere navibus vitam ſuam, hic in transmittendo Oceano, ille in ſuſcipiendis expeditionibus, commiſerint. Ampliatum id oppidum anno 1591, pomœriis longe lateque productis, & vaſto terrarum ſpatio intra vallum accepto, ita ut nunc extra vallum vix ſeſqui horæ ſpatio ambiri poſſit.

Edamum. *Edamum*, Borealis itidem Hollandiæ oppidum, non inamœnum, tum navium ſtruendarum ſingulari induſtria, tum præſtan-

ſtantiſſimi caſei copia celebre : muro & foſſa cinctum. Diſtat Horna terra marique ſpatio pene æquali duorum milliarium. Situm ad interiorem freti auſtralis ſinum ab una parte : ad permagnum lacum ab altera : qui hodie exhauſtis undis & aggere ſeptus in paſcua & arva converſus eſt. *Monachodamum.* *Monachodamum* milliari uno diſſidet ab Edamo. Ad Eurum illi objecta Marca inſula tranquilliorem maris ſinum patitur. Oppidum exiguum eſt, vallo, & aliqua parte muro cinctum: jam anno 1237 extitiſſe ex annalibus conſtat. *Medenblicum.* *Medenblicum*, Iunio inter municipia maritima commemoratum, nunc oppidulum ſatis munitum, quodque arcem habet pervetuſtam. Firmiſſimi hic omnium ſunt aggeres, qui ſuo oppoſitu maris Septentrionalis furias intrepide excipiunt, quos alga (maris ejectamentum eſt) prætexunt: materia ubi conſederit, tam firma & ſolida, ut moles ſaxeæ vix denſius firmamentum coagmentumve præbere poſſint; tantopere illa ſævientis fluctus proterviam reſpuit. Ager vicinus per foſſas inciles in prata herbida, bubus opimandis peroportuna, diviſus eſt. *Purmerenda.* *Purmerenda*, municipium quondam cum arce non inelegant[i], nunc oppidi in modum vallo cinctum & latis foſſis. Plurimum illi ſplendoris & opum acceſſit, poſtquam ſuperioribus annis Beemſtriæ lacus, magno ſtudio & molimine exſiccatus, agrorum, paſcuorumque officium præſtare cœpit.

Sunt & hic loca celebriora, Scaga, Egmonda, Pettemum. *Beverwijck.* *Beverwijck* poſitum eſt ad fluvium Tyam. Harlemo duabus leucis abjunctum, municipium oppidi privilegiis & nomine gaudens, amœniſſimo in loco, prædiis, villis, prætoriis undique cinctum; celebre eſt nundinis coriaceis bis quotannis celebrari ſolitis. *Scaga* ſita eſt in extrema Septentrionalis Hollandiæ parte, & Alcmaria ſimul ac Medenblica pari trium leucarum intervallo abjuncta: municipium elegans & copioſum, oppidi inſtar contiguis ædificiis habitatum. Solum habet tota Hollandia fertiliſſimum, herbidiſſimumque, arcem non inelegantem, quam toparcha loci poſſidet. *Egmonda.* *Egmonda* Oceano mari ad Occaſum propinqua eſt, & Alcmaria quidem ſeſquileuca, Bevervico duabus leucis abjuncta: pulcher profecto & concinnus admodum pagus, juxta quem & cœnobium olim, longe hercle ampliſſimum, quod, teſte Irenico, conditum fuit ab Adelberto. Habuit vero & locus iſte arcem ſatis inſignem, ita ut Comitatus dignitate præfulgeat: ſumente ab eo cognomen Illuſtriſſima & antiqua gente Egmondana.

Pettemum. *Pettemum*, pagus eſt ad ipſum Oceani littus, ubi cum rerum parens natura non continuaverit arenoſos illos montes & colles, quos vulgo *Duynen* vocant incolæ, ne admiſſo Oceano interiora abſorberentur, molem immanem exſtruxere ardui montis caput ſuperantem, quam à canino & Scylleam rabiem imitante latratu vocaverunt *'t Hontsboſch*, quaſi ſylvam caninam. Pali ſunt valide conſibulati, & fiſtucis alte depacti, quorum ſpatia intermedia grandibus ſaxis marmoribuſque acervantur, ſtipanturque: hæc moles ad aliquot centenos paſſus ſecundum mare porrigitur, definitque apud Pettemum. Anniverſariæ fabrorum atque opificum operæ aſſidue illam communiunt, delectis viris ex optimatum numero pro magiſtratu illic agentibus. Hi operas inſpiciunt, imperantque, ut trabes convehantur, ſaxa comportentur: ubi quid vacillans eſt & infirmum, muniatur ac corroboretur. Eſt autem tam magni momenti hoc opus, tamque efficacis præſidii, ut ſi caſu fortaſſe, vel Oceani aliqua intemperie id perfringi contingat, potiorem Hollandiæ partem undarum violentia cooperiendam adfirment. Verum aliquot retro annis, ob ingentes qui in hanc molem ſarciendam quotannis impendebantur ſumtus, permiſſa ea fuit maris ac procellarum arbitrio, ut jam pendentes ex alto trabes, & hiatus ingentes paſſim appareant, & veſtigia priſci operis. Objecto autem mari ingenti agrorum ſpatio, ne arctius preſſum perrumperet obſtantia, aggeres terreſtres in ſummam altitudinem unus & alter aggeſti ſunt, qui ob incolarum hodie ſecuritatem, *Slapers* vocantur. Ipſe pagus Pettemum maris ludibrium eſt, cujus aliquot adhuc ædes reliquæ obortis per hyemem tempeſtatibus abſorbentur. Novum vero pagum cis aggeres exſtruere incipiunt pagani, ſedibus non longe tranſlatis.

Pagi reliqui. *Saenredam* inſignis pagus eſt ad Sanam fluvium & Tyæ ſinum ſitus, ubi ingentes navium quotidie fabricantur claſſes; hinc incolæ opulenti & ditiſſimi. Ad Occidentem Sanæ fluvii pagus eſt, à ſitu *Weſtſanen* dictus, & ab Oriente alter, quem *Ooſtſanen* nominant, uterque longa domorum ſerie conſpicuus. Prope Purmerendam *Purmerlant* eſt pagus & Toparchia inſignis, cui adjacet alter non minoris momenti *Ilpendam* Purmeræ lacui adjacens: ad Tyam ſunt *Vdoornickerdam*, *Schellingswouw*, *Nieuwendam*, *Buyckſloot* oppoſitum Amſtelædamum reſpiciens. *Wormer* pagus inſignis, & ob panes bis coctos optimos celebratus, Beemſtram & Wormeram lacus interjacet. Contiguus ei eſt *Ihiſp* non minus opulentus; hinc non longe tractus eſt quem Schermerenſem Inſulam vocant, non adeo magnus, ſed opulentus, quinque comprehendens pagos pulcherrimos, nitore, & commerciis, quæ inprimis halecum hic vigent, & incolarum divitiis ne civitatibus quidem cedentes; nomina eorum ſunt *Graft*, *Rijp*, miſerabili incendio non ita pridem deformatus, ſed qui pulchrior è cineribus ſuis reſurgit; *Graftdijck*, *Schermer* & *Schermerhorn*. Præterea in Kennemaria pagi ſunt *Aſſendelft*, *Krommenye*, *Vytgeeſt*, *Heemskerk*, *Akerſloot*, *Heyloo*, *Bergen*, cujus peculiarem poſt ſubjungam deſcriptionem; *Schoorel*, *Groet* & *Sanegeeſt*. In Waterlandia prope Monachodamum ſunt, præter eos quos ſuperius ad Tyam ſitos memoravi, *Broeck*, *Hooleſloot*, *Raerdorp*, *Sindeldorp*, & *Lanſmeer*. in tractu quem Septentrionalem nominant, vulgo *het Noorder Quartier*, ſunt, Edamum, Purmerendam Hornamque inter, ſiti, *Middelly*, *Haxwijck*, *Hoobreet*, *Quadijck*, *Werder*, *Ooſthuyſen*, *de Koch*, *Schaerdam*, *Beets*, *Oudendijck*, *Schaerwout*. Schermenſem Hugenſemque lacus nec non Hornam inter, pagi ſunt *Berkhout*, *Spierdijck*, *Avenhorn*, *Mijſen*, *Vrſſem*, *Hensbroeck*, *Opdam*, Toparchia Baronis Waſſenarii, & *Spanbroeck*. Inter Hornam, Medemelacum & Enchuſam ſunt prope Hornam *Schellingshout*, ad ſinum maris *de*

HOLLANDIÆ
PARS SEPTENTRIONALIS,
Vulgo
WESTVRIESLAND en
'TNOORDER QVARTIER.

MARIS GERMANICI

NOORD ZEE

ZUYDER ZEE

PAMPUS

HET YE

De Kille

Miliare Hollandicum, sive 2000 Virgæ Rÿnlandicæ

500 1000 1500 2000

Amsterdami
Apud Guiljelmum et Ioannem Blaeu.

Zuyder Zee dictum, *Westerblocker*, *Oosterblocker*, *Swaegh*, *Venhuysen*. Enchusa Hornam versus via est quam *de Streeck* vocant, in duorum milliarium longitudinem extensa, quæ domibus contiguis habitata, unius pagi speciem refert, quamvis plures sint diversis nominibus distincti; nomina autem hæc sunt, *Westeynt*, *Bouc Kerspel*, *Grooten broeck*, *Lutkenbroeck* & *Hooge Kerspel*: ulterius versus dictos supra lacus tendenti occurrunt *Westwout*, *Hauwert*, *Nubixwout*, *Wognum*, *Watweyde*. Medemelacum versus sunt, *Opperdoes*, *Almerdorp Twisk*, *Oosterwout*, *Benninkbroeck*, *Midwout*. Vlterius Schagam versus progrediens spectabit pagos *Abbekerk*, *Lammerschage*, *Opmeer*, *Sybekarspel*, *Hoogwout*, *Eerswout*, *Winckel*, *Nierop*, *Oud Nierop*, *Bersingerhorn* & *Harinkhuysen*. Schagam & Alcmariam interjacent, *Burchoorn*, *S. Marten*, *Dirkshoorn*, *Harenkarspel*, *Eenigenburg*, *Warmenhuysen*, *Schermwouw* duplex, septentrionale & Australe, *Broeck*, *S. Pancratii* & *Koedijck*.

Totus hic terrarum tractus aquis mirum in modum distinguitur, adeo ut eam cum plurimis insulis constare recte dixeris: lacus in eo complures & magni, quorum aliqui industriâ & labore improbo ex aquis educti, fœcundam agricolis proferunt segetem, lætaque armentis præbent pascua.

INSVLÆ
HOLLANDIÆ SEPTENTRIONALIS.

Texela. AD Borealem Hollandiam pertinent aliquot insulæ, quarum maxima est *Texela*, partim arenariis tumulis, partim aggeribus adversus Oceani furorem munita; magna parte compascua est, & ingentes ovium greges nutrit, quarum ex lacte ingens premi solet quotannis præstantium caseorum vis; nulla hic oppida muris clausa, sed municipium habet amplissimum & pulcherrimum, eodem cum oppidis jure & magistratibus gaudens, *de Burg* dictum, & aliquot pagos: *Hoorn*, *Coog*, *Westeynt* & *Oosteynt*. Superioribus annis hic munimentum ab Illustr. Ordinibus decretum, in quo jugiter præsidiarii excubant. Insulani, agriculturæ potissimum dediti, navigationi, piscationibus & halecum capturæ quoque invigilant. *Eyerlandia.* Secunda est *Eyerlandia*, inhabitata, & ubi æstus marinus recesserit Texelæ annexa; *Flielandia.* Tertia *Flielandia*, Flevi nomen servans, oblonga & angusta, & duobus tantum vicis ad utrumque cornu habitata *West-ende* & *Oostende*; Insulam myrtili, seu musculi marini, Belgis *Mosselen* dicti, vel imprimis commendant. *Schellinga.* Quarta *Schellinga*, superiore paulo longior, & duplo pene latior, ac quinque pagis habitata, *West-eynde*, *Middelland*, *Formare*, *Hoorn*, & *Ooster-eynd*: quorum duo, *Middelland* & *Hoorn*, templa habent.

Atque hæ quidem tres insulæ patenti Oceano versus Septentrionem objectæ sunt, & fretum maris interni veluti occludunt, duosque celebratissimos portus efficiunt, Texelensem, & Flielandicum, quorum ille oportunus in Angliam, Galliamque abituris, hic in Germaniam, Daniam, &c.

Wieringa. In interiori sinu jacet *Wieringa*, ab alga marina, quam nostrates *Wier* vocant, ita dicta, fertili admodum solo & culto, ubi & plurimæ oves aluntur. *Vrk & Ens.* Tum *Vrck* & *Ens*, in interiori freto sitæ, ambitu exiguo, & indigenis cultæ, moris antiqui & peregrini; qui facile ab aliis morum inurbanitate discernuntur, præsertim Ensii, licet Transisalanæ continenti propriores sint, & quotidie ad Campensem urbem commeent. Idioma illorum barbarum quiddam sonat, licet sermo sit Belgicus, at Frisio propior. *Ens* duobus vicis incolitur, *Ens* & *Emeloort*. Incolæ piscatu fere quæstum faciunt.

Z I P A.



Vm memorabilis sit imprimis majorum industria, & digna Hollandorum gloria, qua prospexerunt accretioni agrorum extra aggeres, quos iis locis erexere, quibus regurgitans æstus alluvione quadam incrementum gigneret: nequaquam illa à nobis silentio prætereunda. Agros autem ejuscemodi gentili vocabulo *Poldros* proprie appellarunt, qui è fluvio aut mari, cui loco æstuariorum postea fiunt, educti aggestis pontibus longis aggeribusque ab aquarum injuria obsepiuntur; Forte quod è stagnis, qui *Poli* vulgariter dicuntur, recuperati fuerint, quæ melior etymi ratio Hadriano Iunio esse videtur, quam à *Volis*, hoc est, equorum pullis (πῶλυς Græci vocant) quæ Meieri sententia est. Cum autem ejuscemodi Poldri imprimis duo sint memorabiles, *Zipa* nimirum & *Beemstra*, qui patrum memoria aggerum indagine cincti, hominum cultum admittunt, seminiumque cum magno fœnore reddunt, ubi piscium ludebant agmina: In quibus & Dei Optimi Maximi bonitatem ac munificentiam singularem, & Batavorum incredibilem pene industriam luce meridiana clarius cernimus: Illud indignum fuerit, quod silentio à me transmittatur de Hollandia loquente, eam habere clarum sævitia & periculi magnitudine formidolosum monstrum, alteram Scyllam, ut si quid divinitatis inesse immanibus rebus, pestibus, monstris censendum sit (quod ideo fortassis finxit antiquitas, quod per ea plecti punirique scelera divinitus crediderint) huic, de quo dicemus, loco eam quoque opinionem affingamus. Quemadmodum enim Natura, vel potius Deus ipse Naturæ Conditor, dedit Siculo freto Charybdin & Scyllam, quam sævis canibus succinctam latrare fabulantur Poëtæ, utramque naufragiis infamem: ut dedit Euboiæ Caphareum importuosum & procurrentibus cautibus formidabilem montem: dedit & Libyæ Syrtium metuenda vada: sic addidit Hollandiæ eam quam Caninam Sylvam accolæ nominarunt, quod murmurantis maris fremitus & undarum fragor perpetuis latratibus eum locum circumsonet; & continuatis nocte dieque assultibus tundat, convellat, dissipet. Cujus furori opposita surgit moles immanis, mortalium manibus laborata, quam vere Cyclopeam dicas, ardui montis caput superans, propugnaculum infirmum futurum adversum canes illos, nisi assiduis operis confirmaretur, & cresceret semper decrescendo; quando mare illud prodigum, quod ludit sub mole illa depressum amplius, quam quo telum robusto lacerto excussum adjici possit, cuncta aut haurit & absumit, aut in tempestate ejectat. Vidisse namque se, memoriæ prodit Hadrianus Iunius, ducenaria Marmora pilarum instar fuisse evibrata decumanis fluctibus in planiciem moli subjectam. Eam vero molem ordines palorum inter se valide confibulatorum alte depacti & fistucis adacti dissepiunt, spacia intermedia farcturis opplentur acervanturque, quæ constat immensi ponderis saxis aggestis. Anniversariæ fabrorum atque opificum operæ assidue illam communiunt, delectis ex optimatum numero viris industriis, pro magistratu illic quodammodo agentibus. Hi trabes convehi, saxa & marmorum pondera comportari, ubi res & usus postulaverit, sedulo imperant. Moles autem illa ad tria passuum millia secundum mare littoris loco exporrigitur, Cauri furori imprimis obnoxia, desinitque apud Pettemum tribus milliaribus Almeria dissitum, pagum captura musculorum nobilem, quos è conchyliaceo genere delicatissimos candidissimosque inter omnia littora educat, in furiosissimi Oceani salebris natos, & saxis trabibusque adhærescentes; præ quibus facile Lucrina conchylia despuas. Isthic initium capit *Zipa*, cui æstuarium cognomine nomen dedit, tractus terrarum undecim Hollandicorum jugerum (quæ 600 virgis 12 pedum constant) millia ambitu complectens à Pettemo videlicet & silva Canina quæ dixi, Orientem versus. Ejus fines, ad Occidentem Oceanus, ad Ortum agger qui Pettemum à Medemblico municipio maritimo pertendit: ad Septentrionem etiam Oceanus & *Tusenland* veterum Tusiorum sedes, ut censet Iunius, cum Insulis Texelia, sive, ut nunc scribimus, Tessalia (*Tessel*) Wieringia, &c. Hic omnis tractus quum diu vadoso mari, & intercursantibus tenui alveo æstuariis desertus jacuisset, primum (ut in Chronico Batavico legimus) à Guilielmo Domino Scagensi aggerum indagine cinctus est: dictusque *dat Nieuwe Landt*. Postea iterum Nicolaus Nicolaius vir divina ingenii vena præditus, frater Ioannis Secundi, cinxit aggeribus immensum illud agrorum spatium, munitque contra incursantis Oceani impetum anno 1552. In eodem spatio salinas, sive tecta salaria instituit virtutibus non minus quam gentilitiis imaginibus clarissimus Heros Bucholdius, destinatis ad conficiendum salem concreto coactoque humore lacubus, iisque summa industria ita comparatis, ut injuriam aëris prævisam non sentirent. Itaque jam hominum cultura mansuefactus ager, salsugine partim imbribus percolata, partim Sole & ventis excocta, partim etiam fossis & canalibus educta, magno cum fœnore semina cœperat reddere: cum anni 1570 Cal. Novembris, turbulentissimi Autumni tempestas, ceu fatalis quædam calamitas immani diluvio adobruit hoc territorium, & quicquid immani sumptu & summis laboribus hactenus effectum fuerat, id subito perruptis tempestate aggeribus consumtum, cum magna proh dolor, jactura hominum, jumentorum, pecorum, ædiumque plurimarum, aliquot jam locis exstructarum. Quo tempore etiam eandem calamitatem pleræque Belgii terræ maritimæ passæ sunt; quando quicquid illic culti fuit, & fœcun-

Zipa unde dicta.

Situs.

AGRI ZYPANI Nova Descript.


SeVen en tWIntICh Iaer
door de Zeebaren kLaer
Was t'ZIIpLant beLast,
geLt en handen te gaer
MaeCten Weder daer
een LangedIICk Vast.

De Zyp door storm en hooge vloet van de Zee overloopen in t'jaer 1570, is wederom bedÿckt int jaer 1597. en omvanght binnen sijne Dÿckaje 9060 Morgen Lants ider morgen tot 600 Roeden van 12 voeten.

fœcundæ glebæ, aut altis arenarum pulvinis tectum, aut salsugine maris enectum & sterile redditum fuit. Et quamvis irreparabile damnum territorii Zipani videretur, multique desperarent de illius restitutione, tamen Optimatum aliquot opera, Ordinumque Hollandiæ prudentia & cura, tentata est nova obvallatio: quæ nunc quidem temporis eo perducta est, ut res extra discrimen posita deinceps videatur, spesque adeo certa sit, facile posse aggeres tempestatibus resistere. Fundus alias fertilitate vix ulli Hollandiæ parti concedit, nisi ubi arenis omnia obsita sunt. Porro experientia certissima compertum est, molibus istis non tantum Zipam conservari, sed etiam universam Hollandiam, quum silva illa Canina earum beneficio minus Oceani fluctibus tundatur: ut in posterum interiorum aggerum præsidio (qui quia securitatem Hollandiæ adferunt, à dormiendo nomen habent *die Slapers*, ac veteris & novi nominibus distinguuntur) non videatur tantopere opus esse. Moles illæ ex sabulo adgesto constant, depactis per intervalla juncis, ad quos adactæ Cauri flabris arenæ sistuntur, & nulla alia humana ope in summam altitudinem totum illum aggerem paullatim extollunt. Mirabili invento, eoque magis stupendo, quod sine impensa ulla maximæ impensæ evitantur. Antea enim flante Cauro si mare adflueret, videre erat omnia contecta salsis Neptuni undis; si reflueret, arenis. Nunc opposito tam ingenti munimento, tuto ager colitur, structa ubi id locorum permittit oportunitas, ædificia, villæque rusticæ: omnia vel pratis, vel arvis, vel segete rident, ordine ad usum cultumque aptato. Paucis ibi hydromylis sive molis aquariis ad aquas educendas opus est, propter soli altitudinem. Sed & Chomarchi, (quos promiscuum vulgus *Dijckgravios*, ceu aggerum Comites vocat) quorum vigili cura loca illa antehac defendebantur, vix habent deinceps quod de irruptione maris aquarumque inundatione sint soliciti; quippe cum coloni his locis tutius degant, quam in multis aliis Bataviæ locis, ubi ipsis quotannis præscribitur, quantum ad moles illas aggerendum sit, in quam altitudinem omnia revocanda; quanta imi pedis, quanta supremi aggeris latitudo esse debeat; ubi postquam hæc mandata sunt, operas ipsos exigere à singulis necesse est, & rebelles aut negligentes mulctis onerare; præclaro instituto & necessario, quod publica salus ab illis aggeribus pendeat, & è neglectu incuriaque hominum in discrimen venire possit ac periclitari. Quare multa ad rei tantæ conservationem à Guilielmo Romanorum Rege aliisque Hollandiæ Principibus privilegia concessa. Sed de Zipa quæ dicta sunt hactenus sufficiunt, ad Beemstram alterum Hollandiæ Poldrum transitum faciamus.

Soli fertilitas.

B E E M S T R A.



INsula (quam *Beemstram*, *Bamestram*, vulgo *de Beemster*, Haemrodius *Bohemstriam* nominat,) post hominum memoriam, usque ad annum 1608, cum primum aggerum indagine cingi cœpit lacus in Waterlandia trans Yam juxta Purmerendam collocatus fuit, longitudinem, ut eam olim Haemrodius supra laudatus definivit, 5 millia pass. latitud. mille quingentorum; & pedum denique quinque aut sex profunditatem habens. Hic nostro tempore annorum decursu haustis agris circumjacentibus in eam vastitatem & magnitudinem exiverat, ut amplius 12. mill. virgarum mensuræ Rhenolandicæ in ambitu complecteretur, ad 5, 6, 7, atque ubi profundior, 8 & 9 pedes aquis coopertus, trajectus commodus multarum navium, tam earum quas *Busas* vocant, quam aliarum, imo septuaginta aut octoginta lastarum seu onerum nauticorum capacium, quæ locis vicinis fabricatæ per eumdem hunc lacum, in mare deducebantur. Adeo ut Beemstram aggeribus cingere, fere impossibile ab omnibus judicaretur. Legitimi quondam fluminis cognomento honoratum apud Egmondensis Monasterii Archiva, reperisse se attestatur in Annalibus suis nobilissimus & accuratissimus Douza Nordovix pater. Præcipui & primi authores, quibus Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ indultu mense Majo anno 1607 concessum, constituto Chomarcho, lacus aggeres ac moles artificibus ac mechanicis muniendas addicere, fuere Theodorus & Henricus ab Os, Arnoldus Grotenhusius & Ioannes Nicolaus Crocus cives Amstelodamenses: iisque mox adsociati Rembertus Hogerbetius & Ioannes à Santen, Consiliarii Senatus Hollandici; itemque Nicolaus Cromhoutius & Ioannes Buys, Senatores Provincialis Concilii: nec non Ioannes Basius, rationum Hollandiæ præfectus, & Bartholomæus Cromhoutius, Amstelodamensis urbis Consularis, & Ordinum Generalium à consiliis: Elias ab Oldenbarnevelt Syndicus Roterodamensis, Adrianus Tieding Berckhout, Monekedamensis Syndicus: Petrus Boom, Consul Amstelodamensis (in cujus locum postea successit filius Abrahamus Boom Scabinus) Nicolaus Veen Consul Hornanus, cum Scabinis Amstelodamensibus Ioanne Grotenhusio I. V. D. & Iacobo Poppen. Hi primo omnium cum Lamberto à Vinea Vollenhovio, ut qui se diceret habere jus & actionem Comitissæ Arenbergicæ in Beemstram, quum transegissent, eumdem legerunt Comarchum, huicque negotio præfecerunt: cui addiderunt *Heimrados* hos novem sequentes, nimirum Ioannem Nicolaum Crocum prædictum, Ioannem Hermannum (cui postea Thomas Blommaert Harlemensis successit) Nicolaum Bambeeckium, & Cornelium Arnoldum Amstelodamenses; Iacobum Ryperdum & Franciscum Ioannem cognomento Molenwerf, Hornanos; Philippum Lantscotum Leydensem, Cornelium Ioannem Melcknay, Alcmariensem, & Theodoricum Franciscum Monickedamensem.

Secre-

Secretarius constitutus fuit Riewerdus Nicolaus Allen, civitati Purmerendæ à Secretis; Quæstor creatus fuit initio Theodoricus Beugelius Alcmariensis: post inundationem Michael Poppen Amstelodamensis. Decempedator electus fuit M. Lucas Sinck Amstelodamensis, qui postea una cum M. Augustino Bas Finitore Alcmariensi omnia fere opera decempeda mensus & metatus est, tandem cum eodem, adhibito tertio Geometra M. Ioanne Petro Douw Leydensi, omnes terras (ut in Chartis videre est) in Vias Regias, fossas, & sortes sive ratas portiones partitus est. His omnibus ad eum modum constitutis, præcipui hujus agri possessores, adhibito in consilium Comarcho supradicto & *Heemradis*, adhæc compluribus fabris ac hydromylarum magistris, primo omnium locarunt faciendas 26 hydromylas, easque iis locis constituerunt, quæ tunc temporis aquis exonerandis maxime idonea deprehendebantur. Adhæc postquam cum vicinis oppidis, vicis, proprietariis & dominis agrorum aliisque quorum intererat transegerant de compensandis damnis & taxationibus agrorum, qui effodiendi erant, ubique meatus & aditus aquarum in hunc lacum se exonerantium, obstruere cœperunt, atque aggerem exteriorem munire sunt aggressi. Quæ res cum annis 1608 & 1609 eo perducta esset, ut aggeres circumducti essent, non tamen ea altitudine & robore quibus eos post exsiccationem ex ipso Beemstræ fundo stabilire constituerant: inundatione, quæ exorta initio anni 1610, exterioribus aggeribus & cataractis (ut etiam variarum terrarum & Poldrorum variis in locis) perruptis 20 Ianuarii, lacus iste Beemstræ, qui jam ad tres & quatuor pedes exhaustus erat, rursus aquis repletus fuit, atque omnes pene aggeres, iique potissimum qui aquis excludendis erecti fuerant, aquarum internarum vi disjecti & dissipati sunt, non sine ingenti damno atque detrimento. Nam auri non unam tonnam impensam jam tum fuisse, certo perhibent. Hinc cum hoc tam egregium opus male audire cœpisset, atque hoc tam ingens damnum irreparabile videretur, multique desperarent de hujus territorii restitutione, tamen tam inter præcipuos quam vulgares illius possessores convenit, ut rem denuo novo studio & alacritate aggrederentur. Suntque operi huic promovendo denuo Præfecti lecti præter 16 priores, Laurentius Ioannes Spiegelius, Scabinus civitatis Amstelodamensis, M. Tobias de Coene ibidem Advocatus, post Beemstræ Chomarchus, Wibrandus à Warwyck, Ioannes Hellinx, Nicolaus Bambekius, & Augustinus van Peyn, ejusdem urbis mercatores; Theodoricus Gerardus Meermannus Scabinus Delfensis, M. Ioannes Binnenblijf Consul Hornanus, (in cujus locum postmodo successit Wilhelmus Petrus Hases Consul) unus ex Purmerendæ Consulibus, M. Thomas Blommart Harlemensis, & Ioannes Pellicorn Leydensis. Hi præter Comarchum supra nominatum (quem ad biennium ad hoc munus legerant) *Heemrados* crearunt Cornelium Arnoldum jam dictum, Franciscum Ioannem Molenwerf, & Theodoricum Franciscum, atque etiam Cornelium Canterum Amstelodamensem, possessorem quoque Agri Beemsterani.

Horum opera, assidua diligentia, providaque cura, ut nonnullorum possessorum, & inprimis supra nominatorum Theodorici van Os & Ioannis Nicolai Croci, tentata est nova obvallatio, eoque perducta ut omnes aggeres exteriores usque ad amplius 12 millia virgarum mensuræ Rhenolandicæ, 4 mensium spatio fere perfecti & ordine debito constituti fuerint, atque etiam intervallo 11 mensium, nimirum à 24 Iunii anni 1610 (quo tempore primum alæ hydromylis affixæ sunt) usque ad finem Maji, aut initium Iunii anni 1611, omnis aqua sufficienter exhausta, resque eousque producta fuerit (præter spem & opinionem omnem intuentium, aut audientium,) ut etiam eo ipso anno multæ fossæ sint confectæ, totumque opus ad colophonem perduci potuisset, nisi limosum solum, atque ingruens autumnus & hyems illud impedivissent: unde factum est ut inferiora quæque iterum fere ad duos pedes cum dimidio aquis tecta fuerint: sed exterioribus operibus interea magis magisque confirmatis instauratisque, omnis aqua tempestive ineunte anno 1612 hydromylis (quarum numerus ad 36 auctus fuerat) iterum exhausta est, totusque Beemstræ Lacus 19 Maji anno 1612 omnino exsiccatus ac sine aquis deprehensus. Ex quo interiora opera (quæ aquarum vis pene disjecerat) denuo in manus sumpta, minus quadrimestri spatio consummata sunt, omnesque terræ perfecte in fossas, vias, aquas & ratas portiones divisæ, ita ut 30 Iulii sortitio in arce Purmerendæ inter omnes Beemstræ possessores facta sit, & cuique sui agri per chartam evidenter demonstrati. Qui porro suos agros acceperunt, in iisque ædes exstruxerunt, & unusquisque arbitratu suo ita consevit, meliores reddidit, coluit, ut jam ingens copia seminis enata, multa millia pecoris pasta, multæque & quidem optimæ fruges sint collectæ, singulari omnium accolarum bono, qui tam terribilis & quotannis terras abradentis lacus loco, nunc tam insignem agri portionem usque ad amplius 7 mill. 500 Iugera Hollandica amplum (præter aggeres, æquabilitates, fossas & vias, simul amplius 10000 jugera conficientes) ædibus suis & domiciliis in annos singulos magis magisque periclitantibus nacti sunt: unde etiam reliqua Hollandia in posterum magnum emolumentum ac beneficium consequi poterit. Quod ad situm hujus lacus, qui nunc in Insulam mutatus est, ut quæ habeat circumquaque Fossam 4, 5, 6, 7, ac nonnullis locis 8 & 10 virgas latam, altitudine 5, 6, 7 pedum, quæ sint tanquam sinus ac latiores aquæ ductus tum aquæ propriæ, cujus hydromylæ ea circumaguntur, quam agrorum exteriorum & trajectus omnium navium & lenunculorum quæ ante per dictum lacum navigare solebant: Sciendum est Beemstram sitam esse loco commodissimo & circumquaque populoso, utpote in medio plurimorum magnorum insignium ac divitum pagorum, Purmerendam ad Austrum ponte jam adnexam habens, ac non longe illinc duos illos celebres & opulentos pagos *Wormer* & *Iisp*, ut & vicum Neckensem, ad Ortum *Oosthuysen*, *Quadijck* & *Obrede*, ad Septemtrionem *Beets*, *Somerdijck*, Vicum *Vierhuysen*, *Audendijck* & *Avenhoorn*, ad Occasum

Situs Beemstræ.

AGRI BIEMSTRANI Descriptio a L.I.S.

DE SCHERMER

De Ryp

Schermerhorn

Mysen

Oostmysen

Avenhorn

Ursem

GRAEFLYCKHEYDS

MIDDEL POLDER

GRAEFLYCKHEYDS

ONDER POLDER

GRAEFLYCK HEYP S BOVEN POLDER

AREN BERG SCHE POLDER

HAVER MEER

Vierhuysen

Oudendyck

Cruysoort

Beets

Scaerdam

Nek

Purmer endt

Quadyck

Hobree

Odhuysen

Rylantsche Roeden

sum duos illos divites pagos *Rijp* & *Gracht*, ad Meridiem & Septentrionem *Schermer*, ad Ortum & Occasum *Misen*, cum vico dicto *Volgeres* & *Vuyle Gracht*. Imi pedis aggeris latitudo 8 virgarum mensuræ Rhenolandicæ est, cui agger duarum virgarum alibi superstructus est, alibi virgæ unius cum dimidia, alicubi & duarum etiam duarum cum dimidia & 3 virgarum, septem pedes Zypicos aut 7 silvæ Caninæ altus, interiorem fossam habens, ad aggeris & agrorum secretionem duarum virgarum, ac nonnullis locis duas cum dimidia, & alicubi tres virgas latam.

Aggeres.


Viæ.

Intra aggerem decem amplæ & ad perpendiculum rectæ viæ, æquali spatio distantes ductæ sunt, singulæ tribus virgis latæ, longæ nonnullæ 2900, aliæ 2000 & 2100: at media via amplius 2900 virgis. Iam viæ istæ utrimque fossam latitudine virgæ cum dimidia, ex qua viæ formatæ sunt, habent, præter varias vias transversim procurrentes, quæ ad proximos pagos deducant, ac sint compendiariæ. Inter unamquamque viam æquali distantia, ductæ sunt octo magnæ perviæ & in modum crucis in se coëuntes inciles fossæ sive euripi, latitudine 11 virgarum, 5 pedum altitudine, præter alios nonnullos aquæ ductus & fossas, ad subvectationis commoditatem, utque lenunculis commode ad omnes terras appellere possent, inprimis vero aquam pluvialem ex fossis in hydromylarum aquagia derivare. Inter aquas istas ac vias omnes terræ ad eum modum in quadratos agros centum jugerum Hollandicorum distributæ sunt, ac rursum in 20 Iugerum portiones longitudine 250, latitudine 50 virgarum, & fossis terminalibus 12 pedes latis inter se junctæ, ut copia seu partes anteriores omnium agrorum aliquam viam, ac partes posteriores unum dictorum aquagiorum vel aquæductuum contingant. Et quoniam omnes terræ non ejusdem sunt altitudinis, universa Beemstra in 4 Poldros distributa est, quorum singuli tot hydromylis instructi, ut commode ac tempestive aquis liberari queant, in quem finem hydromylarum numerus usque ad 45 auctus est. Horum qui Arenbergicus cognominatus, amplus circiter 2000 Iugera Hollandica 12 hydromylis instructus est: Superior, (vulgo de *Boven-polder*) amplius 1900 similibus jugeribus major, 10: Medius cum Inferiori 33. Ad hanc mensurationem jam dictam commode faciendam, Beemstræ fundum etiamnum aquis opertum bis accurate per glaciem demensi sunt, explorarunt, ac perforarunt, & postea exsiccatum & decempeda mensum, omnibus in partibus variis locis pastinarunt & explorarunt, ut terras quoad ejus fieri poterat æqualiter dividerent, & viliores cum melioribus conjungerent: prout plenius videre est ex sortitionis conditionibus antehac in lucem emissis. In qua inter alia 5 loca ædibus sacris, & cœmiteriis, ac porro diversæ areæ foris in compitis destinatæ sunt. Libet autem priusquam ab hac Insula discedam opus istud admirabile cum Claudii Romanorum Principis emissario Fucini Lacus, quod inter ejus operum maxime memoranda recenset Plinius, contendere. Merito enim dubitet aliquis, utrum aut operosius aut memorabilius habendum. Fucinum enim Claudius aggressus, non minus compendii spe, quam gloriæ, cum quidam privato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Et aggressus est partim effosso monte, partim exciso; cum aut corrivatio aquarum qua terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis; aut, ubi lapideus erat, silex cæderetur; ut ita canalem absolverit post 11 annos, continuis 30 hominum millibus sine intermissione operantibus. Vbi sane, quemadmodum operarum multitudo & temporis spatium magnum operi momentum & admirationem adferunt; ita vicissim loci in sublimi ac solido situs & ratio, modo sumptus atque operum assiduitas non desint, rem factu possibilem ostendunt, minuuntque admirationem. At hoc in opere non tantum operantium assiduitas & sumptus spectantur, sed ingenium & artificium in aggerum molibus jaciendis, cataractis & machinis collocandis, atque aqua corrivanda; cum undiquaque eadem sit non modo planicies, sed ingentes lacus alii, aggeribus tantum ab invicem seclusi, ut omittam cœli, hiemali præsertim tempore imbres, & in proximo maris inundationes; adversus quæ omnia opus muniri, & ingenio atque arte singulari, dum æstas præcipue anni durat promoveri assidue necessum fuerit: nisi aquam indies alias renascentem perpetuo haurire, & saxum quod dicitur, volvere voluerint.


Divisio.


Reliqui lacus jam Hollandorum industria exsiccati sunt, *Den Heer Huygen waert* prope Alcmariam situs, exsiccatus anno 1631, continet jugera Hollandica ultra tria millia & trecenta, aggeribus suis inclusa; ager vero ejus non admodum fertilis, pascua non adeo pinguia, spem possessorum quodammodo fefellerunt: huic lacui adjacet alter non minoris circuitus, vulgo *de Schermer* dictus, ex aquis eductus anno 1635; adjacet autem Alcmariæ, Beemstræ contiguus, magnum terrarum tractum occupans. Inter Edamum, Purmerendam, & Monachodamum urbes situs est lacus *de Purmer* dictus, hic pascuis lætissimis, & fere totius Hollandiæ optimis luxurians, continet ambitu suo jugera Hollandica 2982. Inter Sanam fluvium & Purmerendam alius est, quem *de Wormer* vocant, non adeo extensus, ut præcedentes, continens terræ jugera 1792. Minoris molis & extensionis Amstelædamum & Purmerendam interjacent tres lacus, quos *de Broecker*, *Buyckslooter*, & *Belmer-meeren* nominant. Cæteri sunt, *de Stermeer*, non longe à Beemstrensi situs. *Egmonder-meer*, *Berger-meer* à pagis quibus adjacent nomen sortientes; *Boeckeler-meer* prope Alcmariam, *Geestmeer*, *Dieps-meer*, *'t Iaerlinger-meer*. *Wogmeer*, *Wognummer-meer*, *Binnebroecker-meer*, aliique.


Cæteri lacus exsiccati.






CAERTE VAN DE
SCHER-MEER,
Alsoo de selve is Bedyckt, ende by Cavels van 15 Morgen suyver landt door lotinge uytgedelt, op den 25 October Anno 1635. ende aldus met groote verbeteringe int licht gegeuen
De Beemster met 40 Molens drooch gemalen synde, is in syne Weeghen Wateringen Polders ende Cavelen van Morgen afgeleyt, op den 30 Iuly 1612, derhalven Iaerlyx in de selve eē generale Danck ofte Bede dach wert gehouden op den selven dach, ende de 2 volgende dagen een trefelycken Iaermarckt.
Dit Schermer Eyland is wel in sich selven kleyn van omvangh, maer effen wel een ryck en seer gesegent Eylandt vervatende vyff treffelycke en (door der Inwoonderen Handel) vermaerde dorpen, als Graft Ryp Graftdyck, Schermer ende Schermer horn be: halven noch enige voorneme Buerten, de Inwoon: deren generen haer wel ten dele met de landt: bouwerye maer aldermeest met de Rederye ter Zee insondrheyt met de Buys ofte Haringh vangst.
De Heerhuygenwaert Bedyckt ende drooch gemalen synde is in syne Weghen, Wateringhen ende Cavelen van 15 Morgen suyver landt, afgedeylt, ende by lotinge den Ingelanden toe geleyt op den 20 Iuny Anno 1631.
West DE BEEMSTER Polder
t' Schermer Eylandt
MYSER COOGHE
Schermer horn
Ursem
Mysen
Rustenburch
Otterlyck
HEER HUYGEN WAERDT
Oude Schermer kerck
Noorder Meer
Wester ofte Groote Meer
Cornelis Ianallers Boogaert
De Moor
Grafstdyck
Vinchuysen
Volger
Ryp
Kamer Hop
Cosster buert
DE STER MEER
De Matten
De Wouden
Stierp
Langhe Meer
Menichweer
De Wout-huysen
De Laen
Driehuysen
De Blokkers
Oudorp
Boeckel
Boeckler Sluys
St. Panckras
GEESTMER AMBA
Nieuburch
Munke Brugh
Middelburgh
Swyn meer
Overtoom
Butterhuysen
De Ooster Dyck
ALCKMAER
Ackersloot
Schermeer Lant Roeden.
Schermeer Dyck Roeden.








Kaarte vande Buyck-slooter,
Broecker ende Belmer Meeren
in Water-land.
Gemeten door Mr. S.Boonacker.
Mate van vijf hondert Rhijn-landsche Roeden.
De landen buyten de Ring-slooten gelegen
en Aldus geteyckent o.
sorteeren onder de bedyckinge als eygen
Kaerte van Water land
Vertonende de gelegentheyt der Meeren onlangs
bedyckt. als Purmer, Buyck-slooter, Broecker en
Belmer Meer met de naest ghelegen Steeden
Het Y
Poppendam
Poppen dammer Die
Nieuwen dam
Sunnerdorp
Belmer Meer
Burch-moer-meer
Buyck slooter Meer
Broecker Meer
De wagen wech
Der mied
Broek
Buyck sloot
De Voole wyck
Dyck Sloot
Water ganger Sloot
't Noordt Meer


Caerte van de
Purmer,
Gemeten ende getekent,
door Mr. Luycas Ianss Sinck.
Anno 1622.
Pur mer achter Dichting Ladt
Purmerent
Ilpedam
De Nes
Waterlandt
Zee vanc
Cadtwou
Broeck-landen
Edam
Monnekedam
Groot Overleeck
Kleyn Overleeck


Byllemer Meer
C. D. de Ry. 1626



TRACTUS HOLLANDIÆ SEPTENTRIONALIS, Quem vulgo HET KOEGRAS vocant.



Xtrema & Septentrionalior Hollandiæ pars, quæ Texelam Insulam respicit, à dicta insula maris freto, quod vulgo *'t Marsdiep* dicitur, separatur, versus Occidentem vero Oceani alluitur fluctibus; ipsum promontorium, quod editius ex undis eminet, duos pagos Huysduynen & Heldera dictos, complectitur: quos ab injuriis Maris colles arenarii à provida natura positi defendunt; reliquus ingens sane versus Hollandiæ continentem sinumque Australem tractus ex alluvione paullatim coacervatus, quamvis caput ex aquis extollebat, crebris tamen fluctibus æstuque tundebatur, Oceanoque extumescente fluctibus obruebatur, donec ingeniosus Batavorum genius aggerem ex arena à collibus dictis usque ad continentem ducere ausus, rapidos furentis Oceani conatus represserit, agrumque illum totum, quem indigenæ *'t Koegras* vocant, quodammodo ab aquarum furoribus vindicaverit. Hinc major, ut semper, Batavis animus, primo videlicet partem non paucis jugeribus constantem, & promontorio viciniorem, quæ in mappa *le Mairy Poldrus* dicitur, aggeribus inter collium arenaceorum crepidines extructis, munire aggressi sunt; Dein totum illum longe lateque extensum tractum Insulamque Wieringen ab Alga marina, quæ ibi frequens, sic dictam, non procul illinc in sinu australi sitam, soloque maris æstuario, quod *de Wieringer Balg* dicitur, ab hoc tractu divisam, aggeribus includere, & continenti adjicere non semel deliberatum est: Oceanus enim ipse colles arenaceos sponte sua ad aggerem supra dictum adjiciens, illustribus Batavorum ausis favere, & æquo animo hanc terræ portionem sibi eripi aspicere videtur. Jamque executioni mandatum fuisset, nisi partium quarundam infœcunditas & sterilitas obstitisset, quòd minus optatum lucrum ex hoc conatu sperarent fundorum possessores. Illa enim tractus hujus pars, quæ Oceano proximior, arenis obsita, minoremque dominis fructum promittere videtur, quam illa quæ sinui Australi adjacens, multis incurvis voraginibus & verticosis fossis, per quas maris æstus penetrat, impedita est. Hac ratione moti, quamvis hucusque rem exequi differant possessores, nolui tamen posteritatem raro hoc Hollandici adversum ipsam naturam obluctantis ingenii exemplo fraudari.



WIERINGER WAERT

DE ZYP

WIERINGEN

t'Nieuwe Landt

Wieringer Balch

HET VOGEL SANDT

DE BALCH

HET BALCH SANDT

Koegras

LE MAIRS POLDER

t'Nieuwe landt

t'Oude landt


Huysduynen

T'MARS DIEP

t'LANDT DIEP

TEXEL

1000 Rynlantsche Roeden synde een halve duytsche Myle



BERGÆ IN KENNEMARIA.



Toparchia Bergensis in Kennemaria Septentrionalis Hollandiæ parte non procul Alcmariâ sita, priscis temporibus ab ipsis Hollandiæ Comitibus possideri, & reditus ejus uni ex junioribus cujuscunque sexus liberis, in appennagium concedi solebat. Ex hisce originem duxit multis majorum imaginibus illustris Bergensium familia, ab hac Toparchia nomen mutuata; inter eos autem qui familiæ huic ortum debuere, maxime celebrati fuerunt, Hugo Bergensis, Philippi Burgundiæ Ducis Consiliarius; qui integris Hollandiæ insignibus adjunctis tribus trabibus cæruleis campo argenteo superimpositis (quæ Montigniaci stemmatis gentilitia sunt insignia) usus fertur: hic Dominæ Catharinæ Catziæ matrimonii vinculo copulatus, procreavit Corneliam Bergensem, nuptam perillustri Domino Petro à Serooskerke, supra memorati Ducis Philippi ad Angliæ Regem Legato. E gente vero Bergensi per matrimonium Dominium Toparchiæ hujus ad Haemstedios devolutum est. Anno autem 1428 Iacoba Bavara Hollandiæ Comes, Florentio Haemstedio, qui hucusque solo *Ambachti* dominio potens fuerat, ut vocant dominium plenum territorii Bergensis, una cum saltu omnibusque ad dictum dominium pertinentibus, nullis reservatis juribus, singulari benevolentia in præmium fidelitatis concessit, utque id in feudum nunquam moriturum possideret, diplomate in eum finem Hagæ Comitis XVII Augusti, dicti anni dato. E familia vero Haemstediâ Dominium hoc, omnimodâ jurisdictione præditum, transiit ad Borsaliorum Veræ in Selandia Marchionum nobilissimam gentem; deinceps vero per matrimonium inter Margaretam Borsaliam & Walravium Brederodium anno 1507 consequutum, Brederodii eo potiti sunt. Donec Henricus Brederodius id anno 1568 testamento reliquerit Henrico Comiti Holsatiæ Schauwenburgico, & Sterrenbergensi, Domino Ghemensi & Bergensi, &c; cujus familiâ sine masculis extinctâ per obitum Othonis Comitis Schauwenburgici, anno 1637 subsecutum; dominium hoc pervenit anno 1641 ad nobilissimum virum D. Antonium Studler à Surck, Equitem, Toparcham Bergensem & Swyburgensem, qui hodie id possidet.

Territorium Bergense ad Orientem Alcmariam habet vicinam; ad Meridiem Egmondano terminatur lacu exsiccato, & Dominii Wimmenumensis parte; ad Occidentem alluitur Oceano Septentrionali; ad Septentriones vero respicit pagos Schorel, Warmenhuysen, Out Caspel & Coedijck. Constat vero quatuor diversis vicis & Scabinatibus, videlicet *Outburg, Sanegeest, Oostdorp* & *Westdorp*, sub quo etiam comprehenditur *Wimmenum Septentrionale*; hi loci & Scabinatus unico & communi nomine Bergæ in Kennemaria dicuntur; comprehendunt autem ambitu suo ultra 4000 terræ jugera Hollandica. Constat autem territorium partim ex arvis, partim è pascuis & saltu, collibusque arenariis, quos *Duynen* vocant incolæ.


Decimæ hujus territorii, fructusque capellarum, Canonicis S. Iohannis Vltrajectensibus concessæ fuerunt anno 1094 à Conrado Vltrajectensium Præsule, quemadmodum ex diplomate in eum finem promulgato constat. Verum postea temporis pecunia parata decimarum harum jus ablatum, adeo ut hodie eo jure territorium hoc sit exemtum; verum tamen fundus Toparchæ est vectigalis, & vectigal primo cujuscunque anni die inter Solis ortum & occasum sub pœna amissionis pendere tenetur, exceptis iis proprietariis, qui in ipso territorio habitant, & censum solvere solent.

Regimen constat ex Baillivo, Prætore, Consulibus binis, & octo Scabinis, qui quotannis die Veneris Paschatis festum præcedente à Domino loci constituuntur. Consules assumunt sibi binos ex honoratioribus incolis, qui sibi vice Consiliariorum in administratione rerumpublicarum adsint. Baillivus in criminalibus, iisque causis, quæ vitam concernunt, cum Kennemariæ Feudatariis (*Leenmannen* vulgo dicuntur) tribunali assidet. In iis vero, quæ ad jus Saltuarii pertinent, Iudices ei adsunt ii quos vulgari & proprio ad id vocabulo *Meestersknapen* appellamus. Baillivo præterea rerum derelictarum, & in littus ejectarum administratio, jam ab antiquis temporibus semper competiit. Qua de re limites inter Comitatum Egmondanum hancque Toparchiam anno 1581 constituti sunt. Prætor, qui Bergensis lacus quoque est Comarchus, cum Scabinis tribunal constituit.

Templum Bergense antiquis temporibus spatiosum, turrique altissimâ, quæ phari instar mare sulcantibus erat, conspicuum, incendio deletum est anno 1574. postmodum vero ex parte restauratum anno 1597. Præter Ecclesiam duæ quondam hic erant Capellæ, quarum quæ Meridiem versus sita, in scholam conversa est: altera Septentrionalior destructa, sed cujus ruinæ à Catholicis Romanis ob miraculum, quod ibi anno 1421 accidisse ferunt, maxima devotione coluntur. Miraculum ipsum refert Hollandiæ Chronicon Delphis anno Domini 1581 typis excusum, hoc fere modo: Anno Domini 1421, in ipsa

TERRITORII BERGENSIS ACCVRATISSIMA DESCRIPTIO.

Nob.mo & Gen.so Dno,
D. ANTONIO STVDLER
EQVITI,
Bergarum in Kennemaria
TOPARCHÆ,
Sweyburgii Domino &c.
Tab. hanc D.D.
J. Blaeu.



DE SCHOREL DUYNEN

DE BERGHER DUYNEN

WIMMENVMMER DUYNEN

DE EGMONDER MEER.

OUDT KARSPEL.

COEDYCKER BAN.

Coedyck

Coedycker Ban.

Munnicke Polder.

HUYS WAERTS POLDER.

WEESEN POLDER.

ALCKMAER

100 200 300 400 500

Mate van vijfhondert Rynlantsche Roede op dese Caerte.

Joannes Dou, Geometra Lugduno-Batavus mensuravit & delineavit.

52.

ipſa S. Eliſabethæ vigilia, tanta ventorum oborta tempeſtas, ut parem ei vix noverit Poſteritas: tam præcipites namque altæque fluctuum ingruere exundationes, tantus rigidiſſimorum ventorum exortus fragor, ut ne fortiſſimi ipſis poſſent reniti aggeres; quin diffringerentur, maximâ cum hominum, pecudumque ſtrage. Teſte, præter ceterorum, Pettenſis aggeris irruptione, in Hollandia Boreali; quæ, ſi inſignem ſtragem loco huic intulit: non minorem ei nominis celebritatem contuliſſe videri poſſit, ſacrâ, ſcilicet, Hoſtiâ in ſanguinem versâ; (quæ quidem jam Bergæ viſitur, ſacri Bergæ ſanguinis nomine famoſiſſima:) Pettenſi namque aggere jam irrumpente, ipſa etiam ſacra ædes, ei proxima, ſimul concidit, marinis obruta fluctibus; in quam quadringentis plures mortalium confugerant; quos poſtera lux, miſerando plane ſpectaculo, littori exanimes, aquiſque abſorptos exhibuit. Accidit verò, ut, remittente tempeſtate, Prætor Bergenſis, dictus Iohannes à Pruchen, ad littus maris obambulans, bona, ſi quæ forte mare Terræ reddidiſſet, domino loci acquiſiturus, eorumve Proprietariis, ſi qui eſſent, redditurus, inter cetera, arculam conſpiceret ligneam, fluctibus ripæ adpelli, quam ſuſcipiens, aperuit; quâ ciborium aliudque S. Eccleſiæ reperit vaſculum; quod ubi in vicinam viduæ domum deferri mandaſſet, loci Paſtorem, Dominum Æmilium, ædituumque, qui & ipſe dein in Presbyterum evaſit, accerſit; quibus totum negotium pandit, qui ilicet reliquias, Eccleſiæ theſauros venerabiles, tollentes, Ciborium, aliaque vaſa reverenter admodum, & devotiſſimè ſuſcepere: etiamque Dominus Æmilius, Paſtor, ædituum juſſit arculam eburneam ſecum ut deferret: qui, veritus, ne quæ hoſtiæ, aliaque ſacramenta eâ includerentur, manu vix contingere auſus, ligneæ patellæ impoſuit; itáque ambo in præcipuum ſe oppidum, Bergam, recipientes, crucibus, vexilliſque prælatis, cum omnium applauſu, quàm honorificentiſſimè excepti ſunt; eoque loci, ubi arcula adnatare littori viſa, ſacellum, in tanti miraculi memoriam perennem, exſtructum fuit. His ita geſtis, Dominus Iohannes, Paſtor Pettenſis, oborta primùm tempeſtate, fortè abſens, Eccleſiæ ſuæ vaſtatione comperta, ſuorumque parœcorum ſtragibus, & ruinis funeſtiſſimis auditis, Bergam ſe contulit, ſacramenta, aliaque reliquiarum vaſa repetiturus. Peractâ Miſſâ, à loci Paſtore, Domino Æmilio, & ædituo comitatus, tendit ad locum, quo ſacramenta erant recondita, ubi ciborio aperto, hoſtias omninò incorruptas reperit; quas ubi benedixerat, comedit ipſe, vaſculum eburneum requirens, quòd & ipſum aliquas contineret ſacramentales hoſtias. Re auditâ Dominus Æmilius, conſternatus, totus timuit, ut qui vaſculum quidem aperuiſſet, nullas autem eo incluſas hoſtias animadvertiſſet. Quod Dominus Iohannes aperiens, hoſtias aquarum illapſu madidas, ſibique invicem agglutinatas, farinæ ſubactæ inſtar, informes, nec quidquam panis præferentes, linteolo involutas, offendit. Quas ipſas Dominus Iohannes benedictione ſuâ ſacras, comedit. At verò, aquæ, vaſculo, quo hoſtiæ recluſæ erant, illapſæ, circiter pintam, periculi, inde fortè emerſuri, metu, bibere veritus, in ligneam, cui vaſculum impoſitum fuiſſe diximus, effudit patellam, quid facto eâ opus eſſet, eruditos viros conſulturus. Contigit verò, ſex poſt exactis menſibus, ut ſupradictus æditus, Presbyter factus, in eandem hanc patellam incideret; quam ubi animadvertit, protinus libido eum inceſſit, curioſum, videndi, quei ſe res, cum aquâ in pateram hanc aliquando infusâ, haberet: ecce autem, aquam hanc in conglobatum exſiccumque ſanguinem miraculosè transmutatum comperit. Quo viſo, exhorruit ipſe; & attonitus, pateram ſummâ cum curâ & veneratione reſeravit. Et hæc quidem ea ipſa patera eſt, quæ etiamnum hodiè argento obducta oſtenditur. Cujus quidem miraculi fama protinus per totam provinciam adeò percrebuit, ut hominum innumeri ex omnibus circumcirca civitatibus, oppidis, aliiſque locis utriuſque ſexus, ordiniſque, tàm Eccleſiaſtici, quam ſæcularis, viri, hoc viſuri miraculum, confluxerint: frequentaturque locus idem etiamnum, maximè à morbo correptis; nec raro, ut ferunt, niſi perpetrato miraculo inde diſceditur. Hæc Chronici ſcriptor.

In Outburgenſi hujus territorii tractu quondam arx fuit nominata *Haelkeſtein*, cujus etiamnunc extant foſſarum reliquiæ; funduſque, qui Hollandiæ Comitatus feudum eſt. Arx vero hæc fluminis, quod Veronâ per Bergenſe territorium juxta Pettemum pagum in mare ſe exoneravit, Sicheræque nomine vocitatum fuit, ripas occupavit: Territorium vero cum undique gratâ amœnitate beatum ſit, priſci Bergarum Toparchæ prætorium hicce, & domum venatoriam extruxerant, quæ poſtmodum bellis civilibus ſubſecutis vaſtata eſt, & nunc temporis pro magnâ ſui parte arenarum tumulis tegitur; at hodiernus loci Dominus in ea exornanda, & rurſus reſtauranda occupatus, priſtinum ei ſplendorem reſtituere conatur.

Cæterum Bergis, quemadmodum aliis nonnullis in Kennemariâ pagis, à Comitibus Hollandiæ varia privilegia & immunitates conceſſæ ſunt; idque ob fidelem operam Comitibus Hollandiæ ab earum incolis ſæpius, nominatim in bellis contra Weſtfriſios geſtis, præſtitam. Quam obrem fideliſſimi hujus dominii incolæ præ vicinis maximis favoribus honorati ſunt, præſertim in conſervatione aggeris marini, qui tum maximis pro temporum ratione reficiebatur ſumtibus; nam in ſumptibus ferendis minor Bergenſibus, quam vicinis eorum Schorel pagum inhabitantibus aſſignata eſt portio: cujus privilegii immunitate, uſque ad hodiernum diem fruuntur. Præterea in æternam fidelitatis, & fortitudinis memoriam, à Florentio III, Hollandiæ Comite, inſignibus donati fuere, quibus etiam nunc utuntur; ſcilicet merulis ſex candidi coloris in campo rubro, quem trabs traverſa interſecat, quemadmodum in mappa conſpicitur.

Præterea Bergenſes teloniorum per totum Hollandiæ Comitatum immunes ſunt, quod privilegium, negligentia quâdam quodammodo interruptum, iis, non ita pridem, anno ſcilicet 1655, à Dominiorum Præpot. DD. Ordinum Hollandiæ Præfectis reſtitutum eſt.

Z E-

ZELANDIA COMITATVS.

An Zelandi Mattiaci sint.



Vnt qui Zelandos contendant fuisse Mattiacos, Cornelio Tacito celebratos his verbis, libro de moribus Germanorum: *Est in eodem obsequio Mattiacorum gens, Batavis similes, nisi quod ipso terræ suæ solo ac cœlo acrius animantur.* Verum si quis attentius rimari volet Taciti verba antecedentia & subsequentia, inveniet sane, Mattiacos in Germania olim consedisse, & quidem, ut addit ille, trans Rhenum. Quin & illud colligetur, Mattiacos denominatos fuisse à Mattiaco, imo Mattio, urbe Germaniæ & provinciæ Hassiæ, urbe Ptolemæo nota, & calidis fontibus celebri. Vnde Plinius libro 31, cap. 2. *Sunt & Mattiaci in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum haustus triduo fervet, circa marginem vero pumicem faciunt aquæ.* Et Martialis:

Si mutare paras longævos cana capillos,
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Arborici.

At ubi quæso in universa Zelandia mari undique cincta reperias fontes istiusmodi calidos? Sunt qui dicant eas insulas esse, quas prisci *Arboricas* dixerunt. Vide quæ prolixe super hac re disputat Philippus Cluverius in suo de tribus Rheni alveis opere: in quo contendit Zelandos Taxandros esse, & Zelandiam Taxandriam.

Taxandri.

Quidam insulas hasce suspicantur easdem esse, quas Cæsar efficere tradit Rhenum, multis capitibus in Oceanum influentem. Cornelius Battus visa sibi commemorat monumenta quædam antiqua, in quibus proscriptum esset, Zelandiam, anno circiter primo à nato humani generis Redemptore, & aliquamdiu post, aliud nihil fuisse, quam perpusillas aliquot insulas, fossis quidem distinctas, sed cultoribus vacuas. Ioannes Reygersbergius, rerum Zelandicarum chronographus, & cum eo alii quidam recentiores, ostendit plerasque has insulas, aut saltem proximas quasque, cohæsisse olim videri cum Flandria, & ab ea, inusitata quadam maris tempestate, Scaldi novam viam aperiente, anno 938 fuisse avulsas.

Vnde nomen Zelandiæ.

Zelandiæ nomen à Danis fluxisse creditur, qui nomen illud illi indidisse videntur de nomine Selandiæ, primariæ Regni Danici insulæ. Aliàs vocabuli etymologia manifesta est, quæ ex vocibus *Zee* & *land*, quasi *terram marinam* dixeris, componitur. Multis insulis hodie distinguitur, inter Mosæ & Scaldis æstuaria atque ostia sparsis, quæ ad Septentrionem habent Hollandiam, ad Ortum Brabantiam, versus Meridiem Flandriam, cæteris Oceanum Britannicum spectantibus.

Divisio & numerus insularum.

Dividitur Zelandia passim in Cis-Scaldinam, *Bewesterschelt*, & Trans-Scaldinam, vulgo *Beoosterschelt*. Vltra Scaldis ostia Bataviam & Orientem *Belgica Fœderata.* versus, quæ propterea dicuntur Orientales, insulæ sunt, *Scaldia*, *Duvelandia*, *Tola*, *Oresandia*, *Vossemaria nova* Brabantiæ adjacens, & *S. Philippi Insula*. Cis Scaldim, & versus Occidentem sunt, *Walachria*, *Zuytbevelandia*, *Noortbevelandia*, *Wolfersdyck*, & *S. Iusti ager* una cum poldro Middelburgensi insulam constituens. Harum tres præcipuæ cum Oceani æstu continenter luctantur, atque immensis sumtibus adversus barbarum atque indomitum elementum se tuentur.

Cœli solique qualitates.

Aër Zelandiæ asperior, & quam vicinarum gentium minus salubris; præsertim æstate, ob paludum & stagnorum graves halitus, & quod arboribus fere nuda sit. Hinc est quod Zelandorum febres apud Hollandos vicinasque nationes in proverbium abierint. Verum tamen hodie adeo arboribus consitæ sunt Zelandiæ Insulæ, præsertim Walachria, ut silvæ amœnissimæ speciem quandam referre merito dici possit. Zuytbevelandia quoque clementi admodum cœlo fruitur; & in Walachria aër benignior multo atque clementior nostra memoria est factus, sive id frequentibus pomariis & arboribus, quæ hic indies seruntur, sive remotiori alicui causæ asscribendum sit; adeo ut luscinia hodie, contra quam solebat, in Walachria canat. Soli incredibilis est ubertas, pingues ac glutinosæ glebæ, agri feracissimi cum aliarum frugum, tum tritici imprimis, quo nusquam gentium ponderosius & candidius nascitur. Profert item large caules sylvestres, quorum semen magnum usum habet; & rubiam, præsertim Scaldia & Duyvelandia, *Garansam* Gallis, nostratibus *Meedekrappe* dictam; pannis præparandis, ne color deflorescat, eumque intimius imbibat, pernecessariam: nec desunt uberrima saginando pecori pascua, non solum intra aggeres, sed etiam extra, in ipsa ora quæ fluctibus marinis non raro irrigatur. In hac autem aliquot millia ovium, magno negotiatorum lucro, oberrant non solum supra vulgarem magnitudinem, sed saporis etiam delicati atque exquisiti, soli atque graminum beneficio quod saluberrimum iis pabulum suppeditat. Hortos autem & pomaria magno hîc videas numero, fructus non solum cæteris Belgicæ provinciis majores, at etiam melioris saporis proferentia; præter insignes & in immensum fastigiatas lauros perpolitis maturitate baccis onustas, quæ Brabantinis denegatæ sunt, præter efficaces & salubres herbas, cum medendis morbis, tum esui accommodas, præter sal candidissimum, quod indigenarum industria conficitur. Melones, ficus, amygdalos fert solum Italicis vel Hispanicis nequaquam cedentes, ipsius Caroli V Imperatoris testimonio, qui cum anno 1540 Ziriczeæ appositum sibi melonem comedisset, nunquam se meliorem vel in ipsa Hispania gustasse testatus est. Magna vero apud Zelandos quandoque est


ZEELANDIA Comitatus.
MARE GERMANICUM.
Milliaria Germanica communia.
HOLLANDIÆ PARS.
BRABANTIÆ PARS.
FLANDRIÆ PARS.
Magnifico Amplißimo
Doctißimoq; Viro
D. SIMONI
BELLIMONTIO
Reipub. Middelburgensis
Syndico, et in Potentorum.
Ord. Gener. Belg. Fœderatæ
Consessu nomine Ordinum
Zeelandiæ Aßeßori, nuper
ad Poloniæ et Sueciæ Re-
ges Legato D.D.
Guiljelmus Blaeu.
Noort Beve land
Rotterdam
Dordrecht
Middelburg
Bergen op Zoom
Antwerpen
Breda

53

rerum viciſſitudo, ut minimo annorum intervallo magna incrementa recipiat, rurſus maximam jacturam ac detrimenta patiatur. Nulla vero apud ullas nationes annona, aut res frumentaria uberior, ita ut bina jugera Zelandica plus emolumenti cultori adferant, quam quatuor Brabantica; minus tamen tuta eſt fidaque ejus rei poſſeſſio; cum ſingulis momentis præſertim tempore hyberno, flante Coro & Circio ex maris ſævitia periculum immineat. Vnde enatum Proverbium ab iis qui optime rebus ſuis conſultum cupiunt, atque iis tuto frui, exoptant laudati Brabantici aëris clementiam ac ſoli ſtabilitatem, Zelandici vero fundi reditus & annonæ proventum: quod ita efferunt, *Brabantſche lucht Zeeuſche renten.*

Decem in univerſum ſunt Zelandiæ urbes, pagi ſupra centum. Porro inſulis, quas jam attigimus, variis locis interjacent aut adjacent planities herbidæ, quæ licet careant aggeribus, tamen ut plurimum è fluctibus exſtant; quarumque ea conditio eſt, ut modo hinc avellantur & alio adjiciantur, & creſcant decreſcantque; ita ut nunquam in hiſce partibus inſularum cingendarum materies videatur defutura. Horum quædam à virenti gramine ac læta pabutione, *Garſen* indigenæ vocant: quæ vero parcius gramine vireſcunt, nec uberem adhuc pabuli copiam ſuppeditant, *Scorren* vocant. Si autem ex his aliquot jugerum millia conglobari contingat, inſulas efficere indigenæ tentant, eaſque aggeribus munitas paulatim aſſidua cultura & cura in fructiferos agros ac ſpecioſos fundos cultaque novalia redigunt.

Cæterum magnis admodum ſumtibus hæ inſulæ contra Oceani ferociam muniuntur, quibuſdam quidem in locis tumulis arenarum à provida natura contra Neptuni minas diſpoſitis; verum ubi ii deficiunt, incredibilibus impenſis aggeres extructi, immenſæ altitudinis & craſſitiei vim irruentis maris coërcent; non tamen adeo firmiter, quin quandoque tractu temporis & tempeſtatum injuria ab eo ſuperari poſſint; quod damnum, inſulas, è mari caput ſolummodo oſtentantes, vallis cingendo, quotidie reſarciunt incolæ. Hinc ſumtum eſt Ordinum Zelandiæ ſymbolum, Leoni inſigne Zelandiæ ornanti & cum undis luctanti attributum, *Luctor & Emergo.*

Mores incolarum.

Zelandi ingenio ſunt acri, induſtria ſingulari, & callidi vulgo judicantur: fœminarum genus nitori imprimis ſtudet; & utrique moribus ad Brabantinos & Gallos magis, quam ad Hollandos aut Germanos accedunt. Viris præcipuum navigandi ſtudium, in quo ut plurimum excellunt; quippe in bellorum & tempeſtatum periculis fortes & imperterriti, & nauticæ artis ſupra modum gnari: nec minus induſtrios hic agricolas invenias: denique cauti admodum ſunt mercatores, ſed animo ad fraudes minime propenſo, at ſincero & ingenuo, hinc vulgare proverbium emanavit: *Goet rond Goet Zeeuws.* porro libertatis ad mortem uſque ſunt tenaciſſimi.

Scaldis fl.

Scaldis, qui inſulas haſce interſecat, in Veromanduis è geminis fontibus progreſſus, per Tornacum, perque Gandavum, reliquoſque Flandriæ tractus diffunditur, ac mox Antwerpiam delatus, portum ibi inſignem conſtituit: tum paulo longius progreſſus, bipartito curſu Brabantiam ac Flandriam à Zelandia diſcriminat: ſiquidem ſiniſtra in Auſtrum contortus ac deflexus, Flandriæ oras ac litora perſequitur, alioque nomine inſignitus, *de Honte*, à latratu & fremitu undarum, vocatur; quo per Zuytbevelandiam ac Walachriam in Oceanum patet aditus: dextra vero, relictis Brabantiæ finibus, continuato curſu, ſervatoque veteri alveo, ſecundum Scaldiæ inſulæ litora violento vaſtoque gurgite in Oceanum devolvitur, ſine ulla nominis mutatione.

De provinciæ totius regimine politico, tum olim, tum maxime hodierno.

Zelandia olim eoſdem cum Hollandia Comites habuit, ſuis tamen legibus & inſtitutis, neque alteri cuiquam provinciæ obnoxia; niſi quod interdum Flandriæ Comes non minimam illius partem delibavit, præſertim ſub Diederico IV, Hollandiæ & Zelandiæ Comite; cui Balduinus Inſulanus Flandriæ Comes Walachriam abſtulit, ut ſcribit Regersbergius; vel, ut Meyerus memoriæ prodidit, quinque inſulas Zelandicas, Walachriam, Scaldiam, Suydbeveram, Nortbeveram, & Borſaliam; quæ tamen omnes poſtea ab Hollandiæ Comitibus recuperatæ; totaque Zelandia poſt Iacobam una cum aliis provinciis ad Burgundos atque Auſtriacos pervenit. Deinceps Zelandia eandem cum provinciis fortunam ſubiit, & demum, excuſſo feliciter Hiſpani jugo, à ſuis Ordinibus regi cœpit; qui olim quidem tribus membris conſtabant; Abbate nimirum S. Nicolai, ordinis Præmonſtratenſis, qui Middelburgi agebat, totius Eccleſiaſtici ordinis nomine; Marchione Veriæ, Nobilitatis univerſæ vice; & urbium communitate. Nunc Eccleſiaſtico ordine abdicato, duobus tantum membris Ordinum comitia conſtant, Nobilitate nimirum, & communitate urbium. Nobilitatem univerſam, uti olim, ita hodie, repræſentat Marchio Veriæ & Fliſſingæ, qui jam eſt Princeps Auriacus: communitatem autem Deputati urbium Middelburgi, Zirizeæ, Goeſæ, Fliſſingæ, Veriæ, & Tolenæ. Hi, & certis temporibus, aut quum neceſſe eſt, comitia publica celebrant Middelburgi, & ſummum provinciæ imperium moderantur. Præter hæc publica comitia, collegium eſt Deputatorum, ut vocant, Ordinum, quod VII-virorum liceat appellare: conſtat enim ex uno Nobili, quem Princeps Auriacus, Marchio Fliſſingæ & Veriæ, deſignat, qui illius vice ſententiam dicit; & ſex aliis, quos ſex jam dictæ urbes delegant. Delegati autem hi fere perpetui ſunt, ſecus quam in Hollandia, niſi quod Delegatus Middelburgenſis ſingulis trienniis muneris prorogationem teneatur poſtulare à Senatu civitatis. Cæterum munus illorum fere idem eſt, aut parum ab Hollandorum inſtituto diverſum; nimirum in eo, quod iidem etiam maritimarum rerum curam habeant, & in collegio deputatorum Admiralitatis adſideant. His autem ab Ordinibus adjungitur Penſionarius unus, itemque Secretarius. Eſt & collegium rationalium totius provinciæ, VII item viris ad eumdem modum conſtans.

Iudicia & Tribunalia.

In Zelandia, præter tribunalia in ſingulis urbibus, nullum eſt ſuperius tribunal, ſed à ſingularum urbium judiciis ad Senatum Provincialem,

& ab eo ad supremum Senatum (quorum uterque Hagæ Comitis sedem habet) provocatur; eodem quo in Hollandia modo. Sunt tamen in Zelandia duæ prænobiles Quæsturæ, quæ à Scaldi nomen sortiuntur. Qui quum insulas has in duas veluti classes dividat, una quidem Quæstura Cis-Scaldinas insulas, alterea Trans-Scaldinas complectitur: *Beooster & Bewester Scheld* vulgo vocant. Horum Quæstorum olim permagna autoritas fuit, cum Prætoria quadam dignitate juncta. Sed hodie multum ipsorum muneri & dignitati decessit, præsertim Præfecto *Beooster-Scheld*: cujus jurisdictionem pene omnem Balivus Zirizeanus & Toletanus ad se traxerunt.

Leges quædam.

Leges Zelandicæ ab Hollandicis parum discrepant: neque est nostri instituti, speciatim discrimina hic rimari. Hoc tantum dicemus, quoad Successiones ab intestato, jus Scabinicum vetus, de quo supra in Hollandia diximus, hic plene obtinere, licet nomen ipsis insuetum sit, adeo quidem, ut, quum apud Hollandos repræsentatio collateralium post fratrum nepotes cesset, hic in infinitum procedat.

De feudis quoque pauca adjungamus ex D. Frederici à Sande I. C. Commentario. Zelandica (inquit) feuda sunt vel mala, vel bona. Hæc ejusdem conditionis sunt cum Hollandicis, de quibus supra diximus. Illa ad hanc primam feudorum classem pertinent. Nam per vasalli cujusque sine liberis masculis decedentis mortem, domino committuntur. Ea tamen in re horum Zelandicorum quam præcedentium feudorum benignior est conditio, quod in his omnes liberi masculi pariter admittantur. Zelandica mala feuda, deficientibus liberis masculis domino commissa, secundum antiqua Comitum privilegia atque indulta, filiabus, vel his non extantibus, agnatis masculis, aut, si agnati non extent, cognatis masculis, redemtionem intra semestre postulantibus, pretiumque constitutum offerentibus, ex gratia speciali denuo conceduntur. Ad hanc vero redemtionem filiæ pariter admittuntur; sed inter agnatos vel cognatos unus præ reliquis gradus atque ætatis habet prærogativam: admittitur tamen remotior, si præcedens suo jure uti nolit. Hæc autem redemtio decimarum feudalium nomine, solis datur fratribus inter propinquos laterales, nec cuiquam remotiori agnato vel cognato jus illud competit. De pretio redemtionis in singula jugera constituto, videantur Zelandicæ Constitutiones, quas Philippus Burgundus Zelandiæ Comes sanxit. Elapsis sex mensibus, quibus redemtio non fuerit per filias vel laterales propinquos postulata, neque pretium oblatum, hæc feuda plenissimo jure Principi committuntur.





WALACHRIA,
ZELANDIÆ CIS-SCALDINÆ INSVLA.



Xtima Zelandiæ Insula versus Austrum & Occasum est Walachria; non equidem ob extensionem, qua à Zuytbevelandia superatur, sed incolarum frequentiam, opes urbium & pagorum splendorem, Ordinum & Senatus Archithalassici sedem, earum præcipua. Levinus Lemnius Walachriæ nomen inditum existimat à Gallis qui hanc oram frequentabant, quique Belgica voce *Walen* vocantur; aut ab ea Britanniæ parte, in qua versus Occidentem consistunt Walli, à Gallis etiam oriundi. Forte à lacubus & stagnis quibus abundabat, quæque antiquo Belgarum idiomate *Walen* dicuntur, nomen consequuta est; vel potius ab arcendis fluctibus, *Walkeren*. Quidquid sit, illud compertum habeo, nomen Walachriæ jam anno 836 innotuisse: nam à fide dignis historiarum scriptoribus memoriæ proditum est, Normannos tum temporis tributum exactantes (verba sunt ipsius historiographi) in Walachram Insulam venisse, ibique Eggihardum ejus loci Comitem occidisse &c. ex quo conspicua quoque est jam tunc Walachriæ dignitas, utpote quæ Comitatus fuerit, suosque ante Hollandos Comites habuerit. Insula hæc ab Ortu Brabantiæ obversa est (intermedia tamen Zuytbevelandia) à Meridie Flandriæ, à qua Hontæ ostio separatur; ab Aquilone Scaldiam respicit, ab Occasu undis Oceani Germanici alluitur.

Nomen. *Walkeren.* *Termini.*

Ambitus Walachriæ 10 circiter milliarium esse, communiter asseveratur; complectitur in universum jugera Zelandica 43243, virgas 128½. Solum pingui gleba felix, & tritici inprimis optimi & candidissimi fertile, secus ac olim, ubique arboribus consitum; formâ præterea est pene rotunda aut ovali, eamque cingunt partim colles arenacei cuniculis scatentes, partim aggeres immenso labore & incredibili sumtu constructi: hi Walachriam conjunctim contra Oceani injurias defendunt, quas tamen sæpius experta est, præsertim anno 1526, cum furentibus undis prope Westcapellam oppidum tumulos, à provida Natura muniendæ Insulæ dispositos, mare abstulisset: quod damnum ingentibus sumtibus aggere extructo indigenæ resarcire conati sunt. Rursus anno 1530 viam quæ Middelburgo Arnemudam ducit, diversis locis perforatam incredibilibus impensis restauraverunt, ne tota insula aquis marinis obrueretur. Anno quoque 1559 tanta violentia mare aggeres premebat, ut diluvium jam jam toti Insulæ imminens non temere timerent incolæ. Hodie tamen providâ Procerum curâ adeo contra insultus marinos munita est, ut merito Zelandicarum tutissima existimetur. Vrbes majores numerat tres, Middelburgum, Flissingam & Veriam, præter Arnemudam oppidum vallo cinctum; necnon Westcappellam & Domburgum mœnibus carentia, pagosque complures, amœnos, & frequentes.

Extensio. *Qualitas.* *Vrbes.*

Middelburgum præcipua est totius Zelandiæ, ut Walachriæ civitas, primumque inter urbes in Ordinum consessu occupat locum. Nomen ei à Metello conditore inditum nugantur aliqui; ego potius à situ id consequutum, utpote quæ medio fere Insulæ sita, jure merito Medium castrum nuncupari queat. Veriam & Flissingam inter, pari ab utraque unius leucæ intervallo, sita est, medio milliari Arnemudâ sejungitur. Portum olim habuit, prope Arnemudam in Oceanum influentem, flexuosum & strictum: nunc ab anno 1532 Magistratus urbicus alterum recto tramite mare petentem, ea cum latitudine, tum profunditate ut supra quingentorum vehium naves in ipsam urbem transmittat, effodi curavit. Sexaginta annorum spatio bis mœnia ulterius protulit, firmis mœnibus hodierno more constructis, probe communita. Plateas habet elegantes, domos pulcherrimas: cives industrii mercatores in remotissimis orbis partibus commercia exercent. Vrbs ipsa stapulam habet sive forum vini, olei, syrupi, aliarumque mercium liquidarum è Gallia, Lusitania, Hispania huc importari solitarum. Cæterum dives admodum est & opulenta, & secundum ab Amstelædamo in Provinciis Fœderatis Emporium. In Cœnobio Medioburgensi vulgo Abbatia S. Nicolai dicto, Ordines Zelandiæ convenire solent.

Middelburgum.

Flissinga secunda est Walachriæ civitas, in consessu Ordinum inter urbes sextum locum vindicans. A fluxu & refluxu Oceani, quem Dani vetere lingua *Vles* efferebant, nomen habet, unicâ leuca Medioburgo distat, opportuno admodum ad mare situ, ut non injuria clavem hanc Oceani Belgici appellare possis; quare & Carolus V Imp. inter secretiora consilia & præcepta etiam hoc filio Philippo Regi dedit, ut eam quam diligentissime tueretur. Cæterum urbs est longe munitissima, publicis, privatisque ædibus culta, præsertim curia pulcherrimi operis ornata. Floret inter primas navigationibus, navium & navalium sociorum copia. Initio fuit sub imperio Comitum Zelandiæ, sed tenuere postea Borsali, tandem jure & titulo emtionis, consentientibus Ordinibus delata est cum Veriæ Marchionatu ad Guilliel- mum

Flissinga.

WALACHRIA, ZELANDIÆ CISSCALDINÆ INSVLA OCCIDENTALIS.

NOORT ZEE

Bree Sant

Wyzandt

Den Onrust

ROOM-POT

Schotsman

'T VEER GAT

Querens

'T LANDT DIEP

OOSTER GAT

DE VYF AMBACHTEN.

OOST WATERINGE

WEST WATERINGE

ZVYDT WATERINGE

Domburgh

West cappel

Soutelande

VEERE

MIDDELBVRGH

ARMVYDEN

VLISSINGEN

'T VLACKE

Piedt.

Oosterrassen

Den Hoen

De Geer met laegh water vordehalf voet diep.

't Ambacht van Kampen

't Ambacht van Sootelinex kercke

Slicken

Polder

½ Milliare Germanicum.

54

mum Auransiorum Principem, à cujus pronepote Guilielmo Henrico hodie possidetur.

Veria. *Veria* tertia Walachriæ civitas, pari propemodum distantia Medioburgo abest, nomen à freto obtinens, quod ab ea littoris ora in ulteriorem Campæ ripam ac sinum, olim Noortbevelandiæ annexum, nunc aquis mersum, trajicere solebant, unde & Campo-Veriæ nomen est. Tempore Maximiliani Austriaci ad Marchionatus dignitatem evecta est. Ob situs opportunitatem autem & tutam navibus stationem mercimoniis valde floruit; Scotorum quoque frequentia celebris, Scoticarum mercium gaudet stapulâ. Ambitus vero urbis non admodum amplus est, sed publicis privatisque ædificiis satis ornata. Emit Marchionatum hunc unà cum Vlissingensi Guilielmus Auriacus anno 1581. nunc vero sub imperio est supra laudati Principis Guilielmi Henrici.

Arnemuda. *Arnemuda* olim erat oppidum murorum expers, sed quod portum habebat totâ Europâ celebratissimum, & maxime frequentatum, nunc ob pulvinos quos vocant & arenas maris, reciproco fluctuum meatu duratas, veterem illum splendorem fere totum amisit, & importuosa jam prorsus, vixque vectoriis navibus adeunda, in miserabilem plane conditionem redacta est, ac tantumnon deserta. Vsque ad annum 1572 municipium fuit Reipub. Middelburgensis, & iisdem cum ea gavisa est privilegiis, sed obsesso à Principe Auriaco Middelburgo, maluit se victori subjicere, quam extremam belli calamitatem experiri. Middelburgo dein capto, Princeps ex pacto cum Middelburgensibus inito, Arnemudam omni ipsorum imperio liberavit, & sui in posterum juris esse voluit. Anno 1574 vallis undique, propugnaculis, fossis & portis communita, civitatis privilegia & immunitates consecuta est.

Westcapella. *Westcapella* ad Oceani littus situm municipium, jus & privilegia civitatis in hunc usque diem conservans; olim frequens, mercimoniis & commercio florens; sed cum ob Oceani furores & inclementiam, qui vetus oppidum tandem absorpsit, cives quandoque sedes mutarent, & paulatim Flissingam confugerent, Westcapella tandem omni incolarum frequentia orbata est. nunc vix municipium mediocre, nomen & privilegia civitatis tantum conservat: cives aggeres confirmando, vel agriculturam exercendo victum quæritant. Cæterum hic loci Oceanum quam maxime reformidat hujus insulæ populus, ideoque quam gravissimis aggeribus vim ejus hic coërcere magnis sumtibus conantur, ne tota insula marinis fluctibus tegatur. Oppidum hoc paret illustrissimo Aurasionensium Principi; Curiam habet non contemnendi operis, templum sat amplum & altâ turri ornatum, in quo conservatur lapis antiquus hic olim repertus, & hac inscriptione ornatus:

HERCVLI MACVSANO
VIPRIMINIS. TETIVS
V. S. L. M.

Domburgum. *Domburgum* ad colles arenarios, non longe à maris littore, duabus vero & media itineris hora Middelburgo dissita, antiquissimum totius Walachriæ reputatur oppidum, utpote quod ante quingentos & plures annos civitatis privilegiis ornatum sit, cujus cives præsertim piscatu quæstum & victum quærebant. Porro in loco amœnissimo & undique arboribus, pomariis, hortis cincto situm est, adeo ut cives Middelburgenses ut olim, ita nunc quoque maximam ætatis partem hic in delitiis transigere veniant. Cæterum nunc oppidulum est mediocre, vicum potius quam civitatem referens, cives agriculturæ operam dant, & Principem Auriacum Dominum agnoscunt. Non longe ab hoc oppido est Westhovia, locus amœnissimus, quondam Abbatum Middelburgensium prætorium, nunc Boreliorum est.

Rammekens arx. Inter Flissingam & Arnemudam in promontorio Vulturno obversanti, vulgo *Rammekens*, Carolus V arcem Zeburgum construxit, quæ hodieque extat, probe munita, & altissimo muro lateritio, & vallo terreo septa.

Feuda. Feuda, quæ à diversis possidentur dominis, sunt sequentia: *Flissinga* igitur & *Veria* Marchionatus: *Domburgum* & *Westcapella* oppida. *Sandikum* & *Polder* pagi possidentur à Principe Arausionensi. *Brigdamme*, *S. Laurens*, *Schelach*, *Ritthem*, *Nieuwerkercke*, *Cleverskerke*, *Ooster-Souburg*, *Abeele*, *Wester-Souburg*, Civitatis Middelburgensis sunt. Flissinga, *Koudekerke* & *Zoutelande* pagos possidet. *Serooskerke* pagus in patrimonio est Tuyliorum gentis. *Grypskerke* ad Renessios & Grypskerkios pertinet. *Bekerke*, *Meliskerke*, *Mariekerke*, Frisiorum sunt pagi. *S. Agathæ fanum*, Hæredum Dominæ Porrenariæ est. *Buyenskerke* ad Senatorem Tenyns spectat: *Gapinge* ad Wesiorum familiam. *Hoochgelande*, *Bottinge*, *Crommenhouke*.

Poppenkerke & *S. Ians kerke*, Dominam agnoscunt Canoyam.

Nobilium arces. Nobilium arces sunt in Walachria, *Arx Souburgum*, quam Middelburgensis Civitas emtionis jure à Domina Fani S. Aldegundis consequuta est. *Popkensburgum*, Dominus Tourmenoys possidet. *Sandenburg*, ruinatam arcem habet Princeps Auriacus. *Westhovia* prope Domburgum, paret Boreliis.

S. Ioos-lant. Insula. E regione Arnemudæ Zelandi Insulam *S. Ioos-lant* dictam aggeribus cinxerunt anno 1631, eique adjunxerunt Poldrum Middelburgensem anno 1645, adeo ut hodie quamvis exigua, tamen inter Insulas Zelandicas numerari mereatur.

ZELANDIÆ CIS-SCALDINÆ PARS ORIENTALIOR.

ZUYTBEVELANDIA.

Nomen.



Secunda Zelandiæ Cis-Scaldinæ Insula est Zuytbevelandia: nomen nonnulli à tremendo, quod vulgari vocabulo *Beven* dicitur, consequutam existimant, eo quod antequam aggeribus contra aquarum violentiam cingeretur, ad incessum hominis aut equi tremeret: alii Beyerlandiam proprie dici contendunt, idque à Comitibus è Bavarica Domo oriundis, qui privilegiis singularibus hanc insulam incolentes ornarunt, & singulari affectu semper prosequuti sunt. Idque ex insulæ insignibus, quæ insignia Bavariæ referunt, evinci existimant. Cæterum incerta promunt: dicitur Zuytbevelandia, sive Bevelandia Australis, ad differentiam Bevelandiæ Septentrionalis, à solo austro opposito.

Termini. Cingitur undique Scaldis fluvii æstuariis, Walachriam ad Occidentem; ad Orientem Brabantiam respiciens: Flandriam ad Meridiem, versus Septentriones vero Wolfersdijck & Tolensem insulas itidem Zelandicas habens vicinas.

Magnitudo. Olim ambitus ejus viginti horarum itinere vix confici poterat, nunc, mediâ fere parte ab aquis haustâ & perditâ, continet jugera Zelandica 27178, virgasque præterea Geometricas 253.

Qualitas. Insula cælo gaudet admodum salubri ac clementi, solo ultra fidem tritici optimi & candidissimi fertili, pomariis & sylvis quibusdam in locis amœnissimis consita. Præter complures pagos tres olim in ea spectabantur civitates, *Borsala*, quæ jam anno 1532 cum adjacentibus arvis maris inundatione periit: *Rommerswalia* non ita pridem aquis tecta, & *Goesa*, quæ sola hodie extat.

Goesa. *Goesa* in ea insulæ parte sita est, quæ Septentrionem respicit, ad ostium unum Scaldis, quod *Schenge* dicitur, exiguo quidem murorum ambitu, at splendide atque affabre extructa, atque divitiis pollens, quum unica nunc sit in hac insula, & luculentis fruatur privilegiis; tertium vero in Ordinum Zelandiæ consessu locum occupat; nomen ab agro fertili, qui antiqua Danorum & Belgarum lingua *Goes* dicitur, consequutam affirmant nonnulli. Cæterum contra hostiles insultus probe munita est, undique amœnissimis pomariis, hortisque cincta.

Rommerswael. *Rommerswale* quondam hujus civitas Insulæ non ignobilis, olim suis parebat dominis, sed jam ante trecentos annos Zelandiæ fuit annexa: ast anno 1530 à reliquo insulæ corpore fuit ab aquis divulsa, ita ut pòst nullis exculta agris, nullis exornata pomæriis Oceano undique allueretur, & unica salis negotiatione subsisteret. Adeo ut cives anno 1547, Zelandiæ Principi declarare coacti fuerint, nihil sibi ex antiquis divitiis superesse, nisi decem duodecimve salis officinas, quarum optima vix ducentorum Caroleorum valorem æquaret: anno postmodum 1634 à civibus suis relicta, interitum passa est; cum, authoritate Præpotentium Zelandiæ Ordinum prævia, omne quod ex hac florentissima quondam urbe supererat, precio librarum Flandricarum nonaginta & solidorum trium divenderetur.

Dynastia Borsalensis. In eadem hac insula insignis Dynastia Borsalensis quoque conspicitur, partim undis tecta, partim aggeribus cincta, & ex aquis educta: quondam celeberrima, & Dominis suis ex illustri Borsalorum gente oriundis superba; inter quos præcipue monumentis Historicorum celebrari solet Franco Borsalus Ostervantiæ Comes, Zuytbevelandiæ Dominus, quartus Iacobæ Bavaræ, Hollandiæ & Zelandiæ Comitis, maritus: Dynastiam hanc Senatus Populusque Goesensis à Carolo Lalanio Hoochstratæ Comite, ultimo Borsalæ Domino, titulo emtionis acquisivit anno 1615.

Pagi. Præterea insula hæc triginta & uno pulcherrimis habitatur pagis, quorum aliqui templis turribusque præaltis ornati sunt, nonnulli arces habent aquis undique cinctas, Toparcharum domicilia; plerique nundinis annuis celeberrimis frequentati. Inter eos plurimi à diversis dominis, ut feuda, possidentur, sunt autem hi:

Feuda & Toparchiæ. *Borsala* Baronatus est Civitatis Goesensis.

Ellewoutsdijck, *Everinge*, *Drywege*, *Coudorpe* & *Sereynskinderen*: pagi ad Watervlietios spectant, *Serarenskerke*, *Heynkensant*, *Ovesant*, sub quibus etiam comprehenduntur Poldri exteriores & S. Iusti insula Walachriæ propinqua: diversis parent ambactorum Dominis.

Nisse ad Nissiorum, *Wiskerke*, ad Wiskerkiorum familias cognomines pertinent.

Baersdorp & *Synoutskerke*.

Hoedenskerke & *Ostende*, Alberti Ioachimii, dum viveret, Ordinum Provinciarum Fœderatarum ad Serenissimum M. Brittanniæ Regem Legati, heredes possident.

's Gravenpolder Bommiis & Watervlietiis conjunctim paret.

Cloetinge Dominium est Comitis Brederodii.

Capelle & *Blesinge*, ubi quondam nobilium virginum fuit Cœnobium, nec non *Eversdijck* Tuyliorum à Serooskerke est, quemadmodum & *Cattendijcke* pagus.

Wemeldinge, quondam Iohannitarum Equitum Domo


VTRAQVE BEVELANDIA, & WOLFERSDYCK,
INSVLÆ ORIENTALIORES
ZELANDIÆ CISSCALDINÆ;
Vernacule, De Oostelycke Eylanden van
BEWESTER-SCHELD.
DE OOSTER SCHELDE
NOORT BEVELANDT
WOLFERS DYCK
ZUYDT BEVELANDT
DE HONT ofte WESTER SCHELDE.
VERDRON
Milliaria Germanica.

Domo Commendataria celebre, nunc Baerlandiorum est in patrimonio.

Schorrevlaecke à Tuyliis & Baerlandis tenetur.

Cruninge Baronis de Licques est.

Waerde & *Valkenisse* Gentem de la Torre dominam agnoscunt;

Yrseke vero familiam vander Gracht & Catsiam.

Crabbendijcke, Baerland, Oudekerke, Serabskerke.

Nobilium arces. In Cruyningen pago arx est ejusdem nominis, ædificata anno 1361, possidetur ab illustrissimo Barone de Licques.

In eodem pago altera arx nominata *Voorhout*, Ryhoviorum familiæ est.

In Capellâ pago arces sunt, *Maelstede*. Petri van Tuyl à Serooskerken, *Bruwelis* Philiberti Catsii. & *Gistellis* Henrici Tuylii à Serooskerke.

Ellewoutsdijck pagus ad Hontam situs, arcem habet adjunctam quæ Watervlietiis paret.

Prope Sherarentskerke pagum *arcis Schengiæ* ruinæ spectantur, spectat vero ejus dominium ad Schagæ Dominum. In pago Sereynskerke Arx est *Nerf* dicta, cujus possessio est penes Schuylios & Wervios.

Pagi submersi. Magnam & mediam fere Zuytbevelandiæ partem, anno 1532 ab aquarum violentia avulsam, periisse jam supra monuimus; pagos autem, qui jam sub aquis tecti latent, nomina recensere operæ pretium duxi. Fuere autem; *Tolseynde, Nieulande, Kouwerve, Bat, Agger, Inkenoort, Lodijcke, Duvenee, Kreecke, Steenvliet, Everswaert, Schoudee, Vinckenis, Broucke, Maire, Rillant, Swaenshill, S. Ioos-lant, Guwaerdinge.*

NOORTBEVELANDIA.

Bevelandia Septentrionalis tertia Zelandiæ cis-Scaldinæ post Walachriam & Zuytbevelandiam Insula, Scaldiam, Walachriam & Wolfersdyck Insulas interjacet. Quondam tanta amœnitate conspicua, ut jure meritoque Zelandiæ diceretur sumen & deliciæ, donec horribili illa inundatione anni 1532 tota perierit; Verum cum paulatim accrescere inciperet, nonnullis animum eam aquis liberandi, aggeribusque contra earum violentiam muniendi præbuit: anno itaque 1598, pars ejus nominata Noortbevelandia vetus, ab aquarum vindicata vi, aggeribus munita, & insulæ formam adepta est, cui anno 1616 rursus juncta est non contemnenda pars, quam Noortbevelandiam Novam dixere; anno vero 1642 Friderici Poldrus ei rursus adjunctus est, adeo ut tum contineret tota insula terræ jugera 6603, virgasque præterea Geometricas 127. Accessit porro insulæ Poldrus Wissenkerkensis, adeo ut hodie majorem adhuc ambitum complectatur. In hac insula ante inundationem urbs fuit sat celebris *Cortgeene*, Veriæ fere opposita, quam anno 1413 muris cinctam volunt à Philippo Borsalo; ut ut est, Borsalæ Gentis non ignobile fuit dominium; periit cum permultis pagis aquarum inundatione anni 1532. Cortgene.

Pagi. Cæterum hodie in hac insula duo visuntur pagi, *Colijnsplate*, Principis Arausionensis, & Catsium, vulgo *Cats*, qui diversis paret Dominis. hisce tertius paulatim accessit Wissenkerke; verum ii qui aquis tecti sunt olim, hisce nominibus innotuerunt, *Emelisse, Welle, Coninxhem, Vliete, Campe, Geersdijck, Wissenkerke & Saetelinxkerke.*

WOLFERSDYCK.

Qvarta & postrema harum Insularum cis Scaldim est Wolfersdijck, quasi dicas Wolfardi Insulam, omnium minima, & quæ vix tria milliaria ambitu, jam anno 1550, complectebatur. Bevelandiam Australem & Septentrionalem interjacet. Solet autem, qua Walachriam & Arnemudam spectat, agrum possidere longe majorem, sed illum jamdudum fluctus absorbuere, cum oppidulo *Piedt* (cujus turris diu ex aquis eminuit, & demum anno 1512 concidit) & duobus pagis *Termuyen & Zabbingen*. Iidem & reliquæ insulæ exitium hodieque minantur, quippe quæ utrimque à Scaldis æstuario, quod *Schenge* vocant; & altero canali, qui *Zuytvliet* dicitur, quotidie abedatur: unde vulgari proverbio dicitur: Hæc duo æstuaria inter se certare, & jamdudum minari se Wolfardi insulam devoraturа: Zelandi antiquo satis versiculo sic efferunt:

Zuytvliet ende Schengen
Loopen beyde om strengen,
Hebben haer vermeeten
Willen Wolfaertsdijck noch op eten.

ZELANDIA TRANS-SCALDINA, vulgò BEOOSTER-SCHELD.



Rans-Scaldina Zelandia, sive *Beooster-Scheld*, sic dicta est, quod ultra Scaldis fluvii æstuarium orientale (quod eam à Zelandia Cis-Scaldinâ separat) Hollandiam versus sita sit, constatque insulis Scaldia, Tola, Duvelandia, Vossemaria nova, Somelsdico, & S. Philippi insula.

SCALDIA.

Nomen. SCaldia, vulgo *Schouwen*, nomen à Scaldi fluvio mutuata est, aquis undique cincta, ad Occidentem maris Oceani fluctibus alluitur, *Termini.* ad Austrum à Zelandiæ Cis-Scaldinæ insulis à Scaldis æstuario dividitur, ad Orientem Duvelandiam, à qua canali tantum separatur, habet fere contiguam; ad Septentrionem Hollandiam re- *Qualitas.* spicit. Contra Oceani fluctus tumuli arenarii prææalti eam defendunt, ubi desunt ii, aggeres immensi aquarum violentiam reprimunt. Tumuli arenarii prædicti cuniculis scatent, & in Comitatus Zelandici peculio sunt. Insula hæc omnium Zelandicarum maxime fluctuum violentiæ opposita, quæque majori cura & impensis quotidie muniri debet, variis temporibus plurima detrimenta passa est; ideoque quam optime ea in re leges & statuta hic observari solent. Et quoniam Civium Zirizææ quam maxime interest, ut aggeres conserventur, iis à Comitibus magna in rebus ad munitionem insulæ spectantibus accessit authoritas. Cæterum quamvis 50 & plurium abhinc annorum tempore nulla, nisi quædam extra aggeres positæ, Scaldiæ pars interierit, maximo tamen cum periculo conservatur: Nihil tamen hoc discrimen officit agrorum precio. Complectitur vero in universum hæc insula jugera Zelandica 21753, virgasque præterea Geometricas 56. Ziriczæam & Brouwershaviam civitates; nec non complures populosos pagos, rusticorum villas, nobiliumque arces & palatia, post tot clades ab aquâ illatas, continet.

Zirizæa. Zirizæa Scaldiæ Civitas primaria, & in Consessu Ordinum Zelandiæ secundum inter urbes locum occupans, antiquissima urbium totius Zelandiæ Comitatus audit, utpote quæ anno 840 in formam civitatis ædificari cœpta sit. Fuit olim commerciis nobilissima ob pulcherrimum & valde à mercatoribus frequentatum portum, quem cum obstruxisset postea, & arenis oppl evisset Oceanus, magnum civitati intulit damnum; quamvis hodie satis floreat. Civibus enim ex re frumentaria, nivei candoris sale, ex rubia tinctorum, salsamentorum ac piscium copia, armentorum pecudumque immensa vi, quæstus uberrimus est. Vrbs ipsa nitida & perpolita, muro saxeo cincta est; Templum habet pulcherrimum, cui simile in Zelandia non inveneris, etsi multum de veteri illo splendore amiserit, cum de cœlo tactum flagravit. Magistratus porro urbicus non solum in urbe, sed & in tota Scaldia jurisdictionem obtinet; Bailivus civitatis idem quoque omnium pagorum Bailivus censetur, & in singulis pagis vicarios suos constituit; rei tamen coram tribunali opidano citantur, & ibidem judicium subeunt. Idem magistratus & in Duyvelandia jurisdictionem habet in tribus causis, homicidio, pacis ruptura, & fœminarum raptu: in pagis quoque Tolæ insulæ, S. Annenland & Stavenisse in omnibus causis: in Sommelsdyck pago in causis criminalibus. Præterea hic residet Quæstor Zelandiæ Trans-Scaldinæ.

Brouwershaven. Brouwershavia oppidum in eadem insula situm, Zirizæa duabus tantum leucis abjunctum est; ante ultimos belli motus mœnibus & muro caruit, quamvis privilegiis urbicis ornata. Post bello increscente vallis circumdata est. Cives halecum piscatu rem faciunt; tellus circumvicina fertilissima frugum, & pecoris uberrima. Olim hæc urbs suis paruit dominis, Veriæ Vlissingæque Marchionibus, nunc vero sui juris, mediocriter floret.

Pagi, & Arces. Inter pagos eminet *Haemstede* baronatus celeberrimus, arce pulcherrima ornatus, in amœno, & fertilissimo territorio situs, arboribusque undique cinctus, civium Zirizæorum deliciæ. Hanc longo temporis tractu possederunt Haemstedii, gens antiquissima pariter ac nobilissima, è Vito Haemstedio Florentii V, Hollandiæ Zelandiæque Comitis filio notho oriunda; periit autem jam ab anno 1604, cum postremus Haemstediorum Arnoldus ex hac vita migraret.

Renisse pagus vicinam habet arcem Moermond, ab Imanno Zuytlandio loci toparcho restauratam.

Burg pagus est Haemstedio vicinus, portum habens nominatum *Burgsluys*.

Westenschouwen municipium quondam commercio & portu floruit, hodie vix domus aliquæ ex antiqua opulentia supersunt.


ZELANDIÆ
PARS TRANSSCALDINA
Vulgo
BEOOSTER-SCHELD.
Nobiliss. Prudentiss.
D. IODOCO DE HVYBERT,
Syndico Civitatis Ziriceæ,
AD CHRISTIANISS. GALLIARVM REGEM
NOMINE ORDD. BELG. FŒDERATÆ
LEGATO EXTRAORDINARIO
Tabulam hanc D.D. I. BLAEV.
Milliaris Germanici.
T' GOEREESCHE GAT.
GOEREE.
FLACKE.
HARINCK VLIET.
T' LANDT VAN VOOREN.
DE SPRINGER
T' BROUWERS HAVENSE GAT.
DE BIENINGEN ofte GREVELINGE.
SCHOUWEN.
DE CRAMMER.
DE OOSTER SCHELDE.
DEN KEETEN.
DE SYPPE.
HET FAEL.
T'VEER GAT.
NOORT BEVELANDT.
WEST WATERINGE.

Noortwelle ; Zuytwelle ; Serooskerke ; Koudekerke ; Brydorpe ; Clas Kinderkerke ; cum vico dicto *den Osse ; Capelle , Elkerzee* cum vico *Scharendijcke , Ellemeet ,* cum vico *Oudendijck ; Duyvendijcke ; Kerckwerve* vicinam habens arciculam *Werve* dictam. *Rengerskerke , Neukerke. Dreyschor* poldri sui caput, à quo arx *Windenburg* non longe abest , inter Comitatus Dominia existens , fossa circumdata , & ab Anna Burgundica olim ædificata ; cæterum pagus hic portum habet , cui vicus adjacet *de Beldert* dictus. *Noortgouwe.*

In hac insula quoque est Bommenea oppidum, sed cum Hollandici juris sit , de eo scribere supersedebimus.

TOLA.

TOla secunda Zelandiæ Trans-Scaldinæ Insula est , Brabantiæ contermina & exiguo freto ab illa divisa , ambitus illius longe minor quam Scaldiæ , sed par soli ubertas & amœnitas. Ambitus autem illius crevit Martiniano aggere illi paulatim annexo. Oppida habet duo, Tolam & S. Martensdijck, pagos plures amplos ac amœnos.

Tola Oppidum. Tola nomen consecuta est à vernacula ditione Tol , quæ vectigal significat , olim siquidem eo loci telonium , & pendebantur Principi vectigalia , unde & oppidum , tota insula denominata est: vetustum admodum,quartum in Ordinum Zelandiæ conventu locum habet ; nuperis bellis egregie adversus hostiles impetus munitum.

S. Maertensdijck. Alterum oppidum Agger S. Martini , vulgo *S. Maertensdijck,* dicitur, amœnum admodum cum arce sua duabus fossis cincta, ad Principem Arausionensem spectat , cum annexo Scerpenissæ dominio.

Pagi, feuda & dominia. Præterea in hac insula pagi sunt non ignobiles : *Schakerloo. Poortvliet ,* Dominium Comitatus Zelandici , *Scherpenisse* Toparchia Principis Auriaci ; *Westkerke* Dominium familiæ *Lyens. Vosmaria ; S. Anneland ;* & *Hannevosdijck* Doubbletiæ Gentis dynastia. *Stavenisse* ante inundationem anni 1509 Insula , quatuor pagis habitata , & unica arce *ter Doest* dictâ ornata , postmodum aggeribus cincta & una cum poldro dicto *Kempens hofstede* Tolensi Insulæ adjuncta est, ad Tuylios vero, Hannemannios & Turrios conjunctim spectat.

DUYVELANDIA.

TErtia ultra Scaldim Insula, & Scaldiæ proxima , à columbarum, quas Belgæ *Duyven* vocant, copiâ sic dicta est. Circuitus ejus millia passuum quatuor complectitur. In ea urbs nulla , pagi & vici aliquot. Potior hujus insulæ pars , ea nempe , quæ vulgo dicitur *de Vier Bannen,* id est, quatuor fora, sive Conventus Iuridici, quæque totidem pagos Ouderkerkiam , Neokerkiam , Vianam , & Capellam complectitur, emtionis jure ante annos aliquot oppido Zirizææ cessit ; cujus magistratus , interjecto inter Scaldiam & Duyvelandiam aggere , eas conjunxit, adeò ut exiguo tantum canali ab invicem dividantur.

Pagi & arces. Pagi in Duyvelandia sunt præter Nieuwerkerk, Ouwerkerk , Capelle , Vianen , supradictos, *Oosterlant* & *S. Iansland* dominia Senatoris de Ionghe. *Beoosten Duyvelant* sive *Bruynisse.* Arces sunt *Swanenburgh* fere ruinata in Capella pago , & *Oostersteyn* in Oosterlandia pago.

RELIQUÆ INSULÆ ULTRA SCALDIM.

VOSSEMARIA. VOssemaria nova quamvis Brabantiæ continenti ad Orientem annexa , inter Insulas Zelandiæ Trans-Scaldinæ tamen numerari solet , aspicit ad austrum Tolam insulam, & complectitur jugera Zelandica 2475 , virgasque præterea 35. Solum autem admodum fertile est.

SOMELSDICUM. Somelsdicum miræ amœnitatis pagus , & satrapia,sita in Insula Hollandica *Over Flackee* dicta, Zelandici tamen juris est, æque ac Bommenea in Scaldia ad Hollandiam pertinet. Iugera continet Zelandica 3100 , virgasque 109. Dominum agnoscit Cornelium Aertsen Equitem,Spicæ Dominum.

S. PHILIPPI INSULA. S. Philippi Insula Duyvelandiam , Tolam & Vosmariam novam interjacet , aggeribus munita est à Philippo Burgundiæ notho, verum varias inundationes passa , tandem anno 1645 novis aggeribus cincta , frumenti, hordei, avenæ admodum fertilis , ex undis caput extollit, unicum habet, sed amplum, pagum cognominem.

VLTRAIECTINVM DOMINIVM.



Tsi Hollandiæ, Gelriæque arctissime adhæreat Vltrajectina Provincia, peculiari tamen ac distincto gaudet Territorio, quod à Septentrione, Occasu & Meridie, pene omni ex parte Comitatus Hollandiæ finibus terminatur, ab Ortu vero Ducatu Gelriæ. A soli bonitate & fertilitate laudabile est, quod uti editum magis est & minus depressum ac paludosum, ita multo quam Hollandicum ad ferendam segetem aptius. Aër illi salubris, propter eandem causam, qui multos ex vicinis maritimisque locis eo invitat, & domicilium figere suadet. Præter metropolim Vltrajectum, quatuor habet oppida concinna satis & memoratu digna, Amersfortiam scilicet, Batavodurum, Rhenam, Montfortium. Ordines hujus Provinciæ tribus constant membris; Primum constituunt quinque Ecclesiæ collegiatæ, quarum prima est S. Martini, (vulgo *den Dom* vocant:) cujus Decanus reliquos Ordines ad comitia solet vocare, agenda proponere, vota colligere, & concludere. Cætera collegia Canonicorum sive Ecclesiæ sunt S. Salvatoris, (vulgo *Oude Munster*,) B. Mariæ, S. Petri, & S. Ioannis. Secundum membrum Ordinum Nobiles & Equestris ordinis viri; non quidem omnes qui olim hoc jure usi, sed qui in patriæ libertate vindicanda operam navarunt, hodieque illam sartam tectam volunt. Tertium membrum quinque supradictarum civitatum hujus provinciæ Delegati. Atque hi Ordines licet nuperis bellis in Præfectum Provinciæ multum authoritatis contulissent, summam tamen semper sibi potestatem servarunt, atque, ad cæterarum provinciarum modum, in comitiis publicis statis temporibus, libere de omnibus, quæ communem utilitatem & salutem Reipublicæ tangunt, deliberant atque decernunt. Iidem, uti & in aliis provinciis, suos habent delegatos, qui quotidie conveniunt, numero duodecim; quatuor nimirum ex electis, quatuor ex Equestri ordine, duo Consules urbis Trajectinæ, & duo è reliquis oppidis: quibus adsistunt Advocatus provinciæ & Secretarius.

Termini.

Aëris & soli bonitas.

Forma Reguminis.

Olim quidem in hac provincia nepotes ab hæreditate avi & aviæ secludebantur, si patrui aut materteræ illorum superstites essent: itemque ab hæreditate patruorum & materterarum, quamdiu illorum fratres vel sorores supererant: verum Carolus V, Imper. prius jus, sancita repræsentatione in linea recta, mutavit: posterius autem demum ab Ordinibus hujus provinciæ mutatum fuit, anno 1594, in hunc modum: Fratrum & sororum liberi in bona allodialia defunctorum patruorum & materterarum, una cum patruis & materteris, qui supersunt, ad postremum usque, inclusive, posthac ab intestato succedent in stirpes, & loco parentum una manu capient hæreditatem; postremo vero patruorum & materterarum decedente, succedent nepotes in capita, nulla ratione habita utrum unus frater aut soror plures an pauciores liberos reliquerit.

Leges & jura quædam.

Trajecti ad Rhenum in Itinerario suo mentionem facit Antoninus. Belgæ *Vtrecht* vocant. Id Iunius ex eo factum putat, quod ibi Quintæ tricesimæ Legionis stativa essent. Itaque cum barbarum & imperitum vulgus videret scriptum V. TRIG. LEG. STAT. fecit ex eo *Vtric*, quod postea abiit in *Vtrecht*, plane ut in Sueviæ oppido accidit, quod vocant *Ganstat*. Nam cum inscriptio oppidi in marmore incisa haberet LEG. ANT. STAT. hoc est *Legionis Antonianæ Stativa*, vulgus indoctum extritis prioribus duabus literis legit GANSTAT. Quod igitur apud Ammianum Marcellinum exstat Vtrecesima, id (si genuina est lectio) inde natum videtur, quod ex V. TRIC. vulgares homines fecerint Vtricesima. Illud simplicius, *Tricht* vel *trecht* trajectum significare, ut *Mastricht*, *Dordrecht*, ac inde nomen esse urbi vernaculum. Initio Vltrajectum Antoninam dictam quidam volunt, ab Antonio Senatore Romano, qui relicta propter Neronis tyrannidem Roma, & in oras istas delatus, urbem inibi istam condiderit, quam aliis tamen conditam placet à Marco Antonio, Cæsaris Gallos tunc debellantis Legato. Alii nomen sumsisse volunt à Marco Antonino Pio Imperatore, qui collapsam videlicet instauravit. Sed apud doctiores hoc fidem non meretur. Antonius enim C. Cæsaris collega nunquam hucusque penetravit, neque quisquam eorum, quos ipse novit. Et si tam antiquum illud nomen est, cur nulla ejus exstat apud Tacitum aliosque mentio, qui Coloniæ, Bonnæ, Novesii, Grinnium, Tolbiaci, Arenaci, Batavoduri meminere; cur nulla apud Antoninum & alios? Quumque in solo Germanico sit iste Trajectus, non video, quomodo potuerit habere nomen Romanum tam antiquum. Antunacum, quod nunc est *Andernach* ad Rhenum, memorant veteres; Antoniam istam neque summi, neque medii ævi scriptor quisquam novit. Trajectum cur dictum fuerit, ex situ apparet, quia multus illic ad Rhenum commeantium trajectus fuit, & dependendis portoriis telonium. Positum est ad veterem Rheni alveum, qui priusquam in Leccam prorupisset, hac fluebat, & Lugdunum prætervectus in Oceanum se exonerabat. Vrbem perlabunrur duo alvei, eamque per longitudinem secant; nimirum ille quem vulgo *de Vaert* vocant, & alter à Clero & Nobilitate effossus, qui *de Nieuwe gracht* dictus nuncupatur, splendidis ædibus utrimque decoratus, ambo autem quinque & triginta latericiis

Metropolis Vltrajectum.

Nomen unde.

Situs.



VLTRAIECTVM DOMINIVM.
Excudit Guilielmus Blaeuw.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
DE ZVYDER ZEE
GELDRIÆ PARS
HAERLEMER MEER
WESEPPER LANT
Naerder meer
NAERDEN
Bussum
Blaricum
Laren
Horster meer
Vinckeveen
BRUECKELE VEEN
TIEN OVEN
MAERSSEVEEN
WEST BROUCK
VTRECHT
AMERSFOORT
Spakenborch
Bunschooten
Hooge meert
'T HOOCH LANT
Leusden
Zeyst
Doorn
Amerongen
Rhenen
Veennendael
STICHT
MONTFOORT
TLANT VAN MONTFOORT
TLANT VAN YSELSTEYN
YSELSTEYN
Benscoop
Polsbrouck
Houten
Wyck
DUURSTEDE
CVLENBORCH
TGRAEFSCHAP VAN CULENBORCH
LEERDAM
Vianen
GORCVM
ALBLASSER
Tlant van Lievelt

57

tericiis & fornicatis pontibus strati sunt. Illud notatu dignum, eo loco sitam urbem, unde unius diei itinere pedibus adiri possint urbes quinquaginta. Ex eadem quoque mane quis egressus, lentoque gradu inambulans urbes viginti sex adire poterit, inibi epulari, & vespere rursum domi ad cœnam adesse. Pulcherrimam, munitissimamque habuit arcem à Carolo Quinto exstructam, quæ vernacula voce *Vredenburgh*, quasi pacificam arcem dixeris, vocata fuit. Sed hæc funditus jam eversa, ut nonnisi locus appareat. Vrbs tamen hodie mediocriter munita est quatuor ingentibus lateritiis propugnaculis, quinque terreis, & lateritio muro undique cincta, cum amplo vallo terreo, & lata atque profunda fossa. Frequens est hujus urbis memoria apud Marcellinnm presbyterum, qui narrat anno 691 Radbodum Regem Frisiæ Trajecti habitasse, atque inde à Pipino, Majore Domus Franciæ, pulsum, in Fostelandiam Insulam concessisse, ibique S. Wigbertum jugulasse. Castrum Trajectense Frisiis tunc vocatum fuisse Wittenburg: juxta illud castrum exstructam fuisse à Rege Dagoberto Ecclesiam in honorem Thomæ Apostoli, quam cum Frisones destruxissent, superædificatum fuisse à Willebrordo prope ruinam illius Ecclesiæ, Oratorium in honorem sanctæ Crucis an. 695, ut Christiani sub præsidio Trajectensis Castellani haberent aditum ad petendam gratiam Baptismi. Swibertum dein cum Marcellino ejus historiæ scriptore, & Werenfrido profectum duobus milliaribus à Trajecto Orientem versus, venisse in grandem vicum *Duerstadt*, inde per Frisiam & Hollandiam & Teisterbandiam abiisse, & in Orientali parte principatus Hollandiæ, in qua erat villa distans à Trajecto Austrum versus per unum milliare, dicta *Hagensteyn*, prædicasse. Inde missos in Angliam Willebrordum & Swibertum constitutos fuisse à Wilfrido Episcopos: illum quidem Vltrajecti, hunc vero prioris Coëpiscopum, ac præterea præsulem Teisterbandiæ, Westphaliæ & Bructuariorum. Sed & Willebrordum constat præterea à Pipino Romam missum, & à Sergio Papa ordinatum esse, uti legere est apud Bedam lib. 5 de gestis Anglorum cap. 12, qui eo ipso tempore vixit. Sigeberti in Chronico verba hæc sunt: *Willebrordus à Sergio Papa Clemens agnominatus, & ad prædicandum genti Frisonum Episcopus ordinatus, ex dono Pipini Principis sedem Episcopalem statuit in loco Wultaburgh, qui nunc Vltrajectum dicitur, à nomine gentis Vultarum, & Trajecto compositum, quasi Vultarum oppidum. Nam Trajectum lingua Gallica oppidum significat.* Errat quidem Sigebertus in eo, quod, Bedam haud dubie secutus, putet, trajectum vocem esse Gallicam, & significare oppidum, quum vox sit mere Latina; sed in eo non errat, quod à trajectu Vultarum putat dictum Vltrajectum aut Vultrajectum. Vnde enim alioqui fluxerit adjectio vocis, quæ etiam in Germanica appellatione Vtricht auditur? In Frisio solo eam sitam fuisse testantur multa. Primum Beda & Marcellinus: postea Otto Frisingensis, qui Trajectum inferius non semel vocat Frisiæ urbem, denique pagus ad elicem Rheni, qui hodieque *Vrifwijck* quasi Frisiorum vicus appellatur. Postea tamen abiit in propriam & sui juris Diœcesin. Vrbs ampla est, ædibus elegans, quam hypogæa quoque & ædificia subterranea pulcherrimo opere exornant. Templa permulta habet, primaria vero quinque, B. Martini, Salvatoris, Petri, Iohannis & Mariæ. Primum illud cathedrale est: cætera collegiata. Postremum vero Virgini Deiparæ sacrum exstructum est ab Imperatore Frederico Barbarossa, Papæ jussu, ad satisfactionem culpæ à se commissæ in vastatione Mediolani & sacrorum omnium Mediolanensium. Ferunt, cum hujus templi fundamenta jacerentur, inventam fuisse voraginem quandam, sive gurgitem vorticosum, cui cum nihil posset superstrui, nullis injectis cæmentis, nullis molibus, ac ne carbonibus quidem, (quibus tamen Dianæ Ephesinæ templum in palude firmatum legitur) & in fundum subsideret, quicquid injiceretur, tandem solidatus est fundus ingestis taurinis bubulisque pellibus; in cujus rei memoriam exstant ejusdem templi columnæ insculpti hi versus:

Templa.

Accipe posteritas, quod post tua secula narres,
Taurinis cutibus fundo solidata columna est.

Templum D. Martini splendidissimum, sumtuosissimumque, episcopali sede conspicuum est. Dirui illud olim jussit, & in augustam hanc formam restitui Trajectensium præsul Adelboldus, quod prius angustius crederetur, nec pro Cathedræ dignitate magnificum satis. Restitutum vero fuit anno vigesimo tertio supra millesimum, consecrantibus illud Præsulibus duodecim, præsente Serenissimo Imperatore Henrico secundo. Sunt præterea Vltrajecti Cœnobia duo amplissima, alterum Equitum Melitensium, alterum Teutonicorum, suo utrumque templo & superbis admodum ædificiis nobile. Illius præfectus vocatur *Bailivus S. Catharinæ*, hujus *Commendatarius domus Teutonicæ.* Est item egregium & opulentum valde cœnobium Divi Pauli, ordinis olim Benedictini, quod maxime ab incolis accolisque frequentabatur. At inter hæc duo alia potissimum eminent, in nobilium virginum hospitia, *domicellas* vocant, exstructa, alterum ordinis Divi Bernardi, alterum Præmonstratensis.

Cives.
Viri docti.

Cives Vltrajectini humani, industrii, locupletes. Nec defuere hic unquam viri insignes & eruditione clari. Natus in ea urbe fuit Adrianus VI Pontifex Maximus, infimi ordinis parentibus. Is Lovanii linguarum, artium, atque etiam Theologiæ studiis tantum profecit, ut in eadem Academia ad summos honores emerserit, præfectusque fuerit Carolo V Imperatoris institutioni, à quo primum Legatus in Hispaniam, postea Episcopus Dertusensis factus est, inde Cardinalis, ac postremum Papa, quo munere quum 20 menses functus esset, obiit. Mortuo hoc positum est Epitaphium: *Hadrianus* VI *hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret.* Exstat hodie Vltrajecti domus Hadriani, quam Pontifex exstruendam curavit. Sed quod familiam ducit, nobilitatur clarissima civitas perantiquo & potenti imprimis Episcopatu.

Batavodurum.

Diximus de Vltrajecto, de reliquis pauca dicamus. *Batavodurum*, vulgo *Wyck te Duerstede*, oportune admodum situm est ad dexterum Rheni cornu, ubi Leccæ appellatio incipit. Ejus mentionem

tionem facit Tacitus lib. 5 Historiarum, ubi Germanorum, qui postea Franci dicti sunt, manum scribit annixam fuisse, pontem irrumpere, qui Batavoduri recens fuerat inchoatus. Postea etiam nomen habuit *Durostati*. Oppidum fuit potens satis & opibus florens, ob egregiam situs commoditatem. Dirutum legitur à Normannis, qui cuncta ferro & flammis vastabant. Post quam cladem erexit se iterum, licet contractius & minori amplitudine. Culenburgo unius, Vltrajecto trium leucarum itinere abest. *Rhenen* oppidulum est quarto à Trajecto milliari ad Rhenum. Tacitus loco jam citato vocat *Grinnes*, narratque oppugnatum fuisse à Classico, præfecto alæ Trevirorum, defensumque fortiter ab incolis cum multorum cæde, quod in eo, ut & Vadæ, (quod nunc *Wageningen* dicimus) cohortium essent, alarumque castra. Rhena Trajectum petentibus vasti occurrunt campi, & agri, unde cespites eruuntur. Templum habet Salvatori sacrum, cujus primum lapidem jecere Thomas Gramajus, & Ioannes Calvus.

Rhena, olim Grinnes.

Amersfortia sita est ad torrentem Emam, Vltrajecto tribus leucis dissita. Oppidum à situs amœnitate, & civium frequentia laudabile. Aliquoties captum, & mox rursus amissum, pessime autem semper mulctatum fuit à Geldris, ac postremo quidem anno Christi 1543 vi & manu armata invasit Martinus Rossemius, Gelriæ Ducis Archistrategus. Sed restituit brevi is ipse Princeps, ex fœdere cum Carolo V Imperatore Venlonæ inito. Anno 1629, dum celebri obsidione Sylvam Ducis cinxisset Princeps Auriacus, exercitus Hispanorum auctus Cæsareanis cohortibus, trajecto Isala, vastataque Velavia, deditione subita urbem cepit; verum paucis post diebus, occupata à Belgis laudabili strategemate Vesalia, cum minus se tutum in hostili agro videret, præcluso jam & obsepto commeatus itinere, turpi fuga, violatisque quas pepigerant cives conditionibus, eandem deseruit, & juris Belgici fecit. Ema fluvius (vulgo *de Eem*) in Velavia ortus, medium oppidum intermeat, & uno ab illo milliari in sinum freti australis sese exonerat. Oppidum initio parvum fuit, ut ex antiquo vallo & fossa liquet: postea extensis pomœriis amplificatum, & post supradictam cladem, ab D D. Ordinibus muniri cœptum, variaque opera exterius adjecta. Ad Ortum & Meridiem agros habet frumenti fertilissimos, ad Occasum silvas, ad Septentrionem pascua, & interjecto milliari uno, mare.

Amersfortia.

Montfortium flumini Isalæ adjacet, & Woerda, Veteraquinio, Iselsteinioque pari unius leucæ intervallo abjungitur. Natus hic Lambertus Hortensius, vir eruditus & scriptis clarus.

Montfortium.

Fuit olim ditio Vltrajectina amplissima ac potentissima. Sed placuit tandem Carolo Calvo, Gallorum regi, in Episcopatum eam & Comitatum dividere. Ex qua divisione gravissima statim dissidia & diuturna inter Episcopos Trajectenses, & Comites Hollandiæ bella exorta sunt. Illis quidem Imperatorum favore & gratia veterem omnem ditionem recipere: his vero Galliæ regum præsidio portionem recenter partam retinere tentantibus. Cum Batavis, Frisiis, Sicambris acria gessit bella, fortiterque iis omnibus restitit. Verum avorum nostrorum memoria Carolus Dux Gelrorum, bellicosus imprimis & acer militiæ Princeps, tam gravibus eam & continuis bellis impetiit, ut ad incitas fere Episcopos illos redegerit, & præsertim quidem eorum postremum Henricum Bavarum, Comitis Palatini germanum fratrem, quem non minima ditionis parte mulctavit. Cives in Episcopos suos queruli, ignominiose illos non semel excepere: maxime vero jam dictum Bavarum, quem, cum quatuor ipsis jam annos præfuisset, & peregre quodam die reverteretur, male in Dominum suum animati, urbis ingressu prohibuerunt. Mox & intromisere Martinum Rossemium magna militum manu. Quo rerum suarum discrimine Episcopus, Caroli V Imperatoris opem implorans, totum illi temporale imperium transscripsit, ea lege ut se adversus Gelrum & male feriatos cives, in Ecclesiastica dignitate assereret. Interea vero Geldrorum Princeps accepto transactionis istius nuntio, bellum redintegrare, & Vltrajectinos eo in Præsulem suum furore accendere, ut quod in ipsis quidem tunc fuit, Episcopali dignitate virum privaverint. Quare acerrima post bella inter Geldrum ac Vltrajectinos, ac Cæsarem Episcopi partes foventem, eo tandem res devenit, ut conjurati aliquot cives, & in Bavarum proniores, Cæsareanos in urbem admiserint, idque Calendis Iuliis anni 1528, subsecuto post triduum Præsule. Qui ab Ordinibus provinciæ pro Domino agnitus, ac in integrum restitutus, persuasit omnibus, ut ratus esset, habereturque in æternum contractus iste inter ipsum & Cæsarem initus, quo potestas omnis civilis, Dominiumque Provinciæ posthac juris esset Austriaci, & Brabantiæ Duci ac Hollandiæ Comiti pareret, reservata sibi successoribusque suis Ecclesiastica potestate, & censu, cum magnifico illo palatio, quod & condidit olim & Episcopali sedi donavit Carolus Martellus. Quare inita non multo post cum Geldrorum Duce pace, Comes Hoogstratanus Hollandiæ Gubernator jussu Gubernatricis Margaretæ, Caroli Quinti Imperatoris nomine, Vltrajectum se contulit, ac fidei juramento Vltrajectenses novo Domino obstrinxit. Factum & idem ab eodem Rhenæ, Amersfortiæ, Batavoduri ac Montfortii. Publica cessionis & transscripti instrumenta suffragio suo comprobavit Clemens Septimus Pontifex. Et cum S. Imperii feudum esset Trajectina Diœcesis, facile & ejus suffragationem impetravit Cæsar. Atque hoc demum pacto Vltrajectina provincia, quæ supra nongentos annos Episcopis suis paruerat, in alterius Principis potestatem transiit.

Res gestæ.

SERIES EPISCOPORVM TRAIECTENSIVM.

1 Willebrordus, Anglo-Saxo, patre Willigiso natus, anno ætatis trigesimo cum duodecim sociis, Swiberto, Acca, Wigberto, Willibaldo, Winibaldo, Lebuino, duobus Ewaldis, Werenfrido, Marcellino Pres-

Presbyteris, & Adelberto Levita, deserta Anglia venit in Frisiam ad Rheni ostia, ubi adversus Radbodum Pipinus de Herstallo Francorum Dux bellum gerebat: Ibi illi ob Saxonicæ Frisicæque linguæ adfinitatem Euangelium non exiguo cum fructu Gentiles docuerunt. Ex his Willebrordus anno 694 à Pipino Romam missus est ad Sergium Papam, qui eum Episcopum fecit Frisiorum, indito nomine Clementis. Reversus docuit Frisios, Saxones, Danos. Postea Carolus Martellus pulso Radbodo sedem ei dedit Trajecti: Ab hoc ædificatum est templum S. Martini, quod postea destructum est. Sedit annos 40. Sepultus est anno 736 Epternaci, ubi Abbas fuerat. Vitam ejus descripsit Marcellinus Presbyter. Flandri Bierfletani, Hulstani, Axelani, Hasnensesque ab eo quoque docti sunt, atque idcirco ad sedem Trajectensem pertinuerunt.

2 *Bonifacius* Anglo-Saxo, Archiepiscopus Moguntinus, Trajectensem quoque Ecclesiam rexisse dicitur totos annos 15, & condidisse templum S. Salvatoris. Occisus est in pago Doccumensi: sepultus fuit primum Trajecti; inde translatus est Moguntiam, ac tandem Fuldam.

3 *Gregorius* sedit annos 32, excessit anno 784: situs est ad Salvatoris.

4 *Adelbricus Anglicus* Swiberti consanguineus, sedit annos 10, obiit anno 794.

5 *Theodardus Frisius* sedit annos 6: situs in æde Salvatoris anno 800.

6 *Hermacarus Anglus* sedit annos 27: sepultus ad Salvat. an. 827.

7 *Ritfridus Frisius* sedit an. 9.

8 *Fridericus*, hic in Zelandiæ Insula Walachria Christum prædicavit, & Iudithæ Ludovici Imperatoris conjugis suasu à sicariis interfectus est in crypta templi, anno 838: quod incestuosas ejus nuptias non probasset, nec divortium ab Irmgarde.

9 *Adelbricus* II Friderici frater, sedit an. 7.

10 *Ludgerus*, sedit annos 11: defunctus anno 856.

11 *Hungerus*, qui à Normannis incensa urbe pulsus, ad Lotharium profectus est in monasterium Prumiense: obiit anno 866. Sub hoc dicitur medium Rheni ostium arenis obstipatum: Iero Nortvici cæsus.

12 *Odibaldus*. Hic interfuit Synodo Coloniensi coactæ à Carolo Crasso, anno 887.

13 *Egilbertus* sedit menses 10: defunctus an. 901.

14 *Radbodus*. Hic Danis Frisiam & Ecclesiam Trajectensem infestantibus Daventriæ diu moratus est, sedit annos 15: obiit Otmarsiæ, sepultus est Daventriæ.

15 *Baldricus*, filius Comitis Cliviæ, Danos sua diœcesi expulit, & templum à Willebrordo exstructum, quod hostes vastarant, restauravit: sedit annos 59: obiit anno 977.

16 *Volcmarus* sedit annos 13: sepultus in æde S. Salvatoris.

17 *Balduinus*, Comitis Clivensis Arnoldi nepos, sedit annos 4: defunctus an. 994.

18 *Anfridus*, Comes Brabantinus ex stirpe Caroli Magni, post obitum uxoris ordines Ecclesiasticos sequutus, exstruxit monasterium B. Mariæ, & S. Benedicti prope Amersfordiam: defunctus est anno 1008.

19 *Adrobaldus* vel *Adelbodus*, Frisius, qui templum Martini ruinosum destruxit, novumque condidit. Interfuere ejus dedicationi Henricus II Imperator, & Episcopi XII: sedit annos 19: obiit anno 1027: infeliciter cum Theodorico Hollandiæ Comite congressus est; captus enim est, & post triennalem carcerem tandem dimissus.

20 *Bernulphus* ab Imperatore Conrado II promotus, Daventriæ templum S. Lebuini exstruxit, & Trajecti ædes B. Petri & B. Ioannis: defunctus est anno 1054.

21 *Guilielmus Geldrus*, Witikindi filius. Hic Henrico IV Imp. carus fuit, ab eoque obtinuit, ut Hollandia Diœcesi Trajectensi in Ecclesiasticis subjecta esset: Profectus est cum Sigefrido Moguntiacensi Præsule Ierosolymam, & ope Godefridi Gibbosi vicit Robertum Frisium prope Leidam: obiit anno 1075.

22 *Conradus Suevus* promotus ab Henrico IV Imperatore, Helmondæ victus à Theodorico Comite Hollandiæ, coactus est reddere quæ in Hollandia ceperat. Interfectus est à quodam latomo Frisio anno 1099.

23 *Burchardus* sedit an. 13: obiit anno 1112.

24 *Godebaldus* præfuit annos 15: defunctus est anno 1128.

25 *Andreas*, filius Comitis Kuickensis, præfuit annos 10: obiit anno 1138. Decem Canonicos Staverenses ob flagitia dignitate privavit, aliosque substituit.

26 *Eribertus de Beren*, qui Theodoricum Hollandiæ Comitem obsidentem Trajectum placavit: sedit annos 12. Hunc vocat Otto Frinsingensis Hartliebum lib. I. de gestis Friderici Barbarossæ cap. LXII.

27 *Hermannus* Comes de Hoorn, confirmatur à Conrado Roman. Rege, sedit annos 6, obiit anno 1156.

28 *Godefridus Rhenanus* condidit adversus Geldros castrum Horstense; contra Hollandos Monfortense, & Woerdense; contra Frisios Vollenhovense: sedit annos 22, obiit anno 1178.

29 *Balduinus* II filius Comitis Hollandiæ, def. anno 1196.

30 *Arnoldus*, Comes Isenburgius: sedit annos 3, sepultus Romæ.

31 *Theodoricus de Hollandia* ab Innocentio III promotus: obiit Ticini.

32 *Theodoricus de Arck* sedit annos 15: obiit anno 1210.

33 *Otto*, filius Ottonis II Comitis Geldriæ, sedit annos 3.

34 *Otto* II, Comes Lippensis, sedit annos 13, misere ab hostibus obtruncatus periit in obsidione Covordiensi anno 1227. Fratrem habuit Gerardum Archiepiscopum Bremensem.

35 *Willebrandus*, Comes Oldenb. ex Episcopo Paderbornensi, sedit annos 6: obiit anno 1233. exstruxit Monasterium S. Servatii.

36 *Otto* III, filius Guilielmi Comitis Holl. sedit annos 16. Hic fertur baptizasse Hermanni Comitis Hennenbergici liberos CCCLXV ex Machtilde Florentii IV Comitis Hollandiæ filia natos.

37 *Goswi-*

37 *Goswinus de Aemstel*, electus, abdicavit.

38 *Henricus de Vianen* cum D. de Aemstel congressus, ex spoliis ejus condidit arcem Vrelandiam. Hic cœpit exstruere summum templum, sed reliquit opus pendens: obiit anno 1267, sedit annos 17.

39 *Ioannes Nassavius*, gratus suis, invisus Pontifici, sedit annos 20.

40 *Ioannes de Zyrick*, contra Nassavium datus à Bonifacio VIII, translatus Tullum diœceseos Trevirensis, postquam Trajectensi Ecclesiæ novem annos præfuisset.

41 *Guilielmus Mechliniensis*, occubuit cæsus ab Hollandis anno 1301.

42 *Guido Hannoniensis*, sedit annos 16, defunctus anno 1317.

43 *Fridericus de Zyrick*, sedit annos 5: obiit anno 1322. Sub hoc exstructa est turris templi B. Martini.

44 *Iacobus de Outshoren*, obiit anno 1323: contra Iacobum Sudensem.

45 *Ioannes de Bronckhorst*, contra Ioannem de Diest, quem Avenioni ordinarat Ioannes XXII Papa.

46 *Ioannes Diestensis* instituit collegium Amersfordiæ.

47 *Nicolaus Caputius*, nobilis Romanus, à Benedicto XII constitutus, sponte cessit, factus Cardinalis.

48 *Ioannes de Arkel* constitutus à Clemente V: sedit annos 22, translatus est Leodicum ab Vrbano V: obiit anno 1378.

49 *Ioannes de Vernenburg* ex Episcopo Monasteriensi promotus ab Vrbano V: obiit anno 1371.

50 *Arnoldus de Hoorn* promotus ab Vrbano V: sedit annos 7, inde translatus Leodium, bis solvit Papæ annatas.

51 *Florentius de Wevelinckhofen* ex Monasteriensi per Vrbanum V factus Episcopus Trajectinus, sedit annos 15.

52 *Fridericus*, Baro de Blanckenheym, Argentinensem Episcopatum commutavit cum Trajectensi, sedit annos 30: obiit anno 1423.

53 *Rudolpho Diepholdio* contra Walramum Meursanum dissidente, datus est à Pontifice Martino V Rabanus ab Helmstadt Episcopus Spirensis; at is Suederum Culenburgicum commendavit, qui pulsus, Dordrechti sedit annos 5. Rudolphus tamen postea Philippi Burgundi opera à Papa confirmatur. Suederus in Concilio Basileensi, ad quod provocarat, moritur. Rudolphus sedit annos 23: obiit anno 1456.

56 *Gisbertus à Brederode*, contra quem Philippus Burgundiæ Dux Davidem filium suum promovit: qui sedit annos 40: obiit Batavoduri anno 1496.

57 *Fridericus* Marchio Badensis, sedit annos 20: cessitque Philippo de Burgundia, obiit Lyræ Brabantiæ oppido.

58 *Philippus de Burgundia*, sedit annos 6, mense 11: obiit anno 1524. magnus fuit Erasmi Roterodami Mæcenas.

59 *Henricus Bavarus*, Henrici filius, factus quoque Episcopus Frisingensis: sedit annos 5. Hic ditionem suam Carolo V cessit. Ita redacta est Diœcesis in formam Provinciæ.

60 *Guilielmus de Enckefort*, Cardinalis & Pontifex Dertusanus, promotus ab Adriano VI Papa, sedit annos 7.

61 *Gregorius* filius Comitis Egmondani, promotus à Carolo V, sedit annos 25: obiit anno 1559.

62 *Fridericus Tautenburgicus*, sedit annos 20, obiit anno 1580: fuit Consilii Spirensis Præses: sepultus est ad S. Martini.

F R I S I A
OCCIDENTALIS.

Frisiæ termini.


Flevo Frisia incipit, quæ mores nomenque priscum retinet. Flevus quondam fluvius non magnus, etiam inter ostia Rheni à veteribus numeratus, ingens nunc maris sinus, agris eluvione absorptis, influens in lacum illum vel sinum potius magnum, quem Australe mare, *de Zuyderzee* vulgo nuncupant. Hoc sinu primo hodiernæ Frisiæ pars, quam *Occiduam* proprio nomine vocare cœperunt, ab Occidente tota alluitur, Hollandicam oram longo intervallo respiciens. Incepit quondam ab Austro à Vidri fluminis ostio: quanquam tempus fuit, cum ultra Vidrum Geelmuda, Campena, Swolla Frisiæ accenserentur. Iam cis Vidrum Hasseltum, Vollenhoa, Stenovicum, Cunera etiam per Episcopos Vltrajectinos Frisiorum reipublicæ adempta sunt. Sic post Cuneram demum Frisia hodierna initium meridionale capit. Inde secundum littus in Septentrionem modice primum flexa, ubi Stellingwerficus ager, mox velut in Hollandiam excursura, recta in Occidentem longo se spatio porrigit, occursuque Hollandicæ oræ similiter prominentis, æstuaria Flevi ab Austrino sinu quasi secludit.

Figura & magnitudo.

Regio hæc universa quadratæ pene figuræ, ad 8 milliaria magna in longum patens, pari fere latitudine civitates munitas habet 8, oppida pulcherrima sine muris 3, Abbatias 9, Cœnobia in universum 46, præfecturas juridiciales 28, vicos celebriores 331. Divisa usitate in tres partes, quæ jam fœderibus se jungere, communemque Rempublicam tueri; jam seorsim sibi consulere solent. Sunt autem illæ vulgo dictæ *Westergoa*, *Ostergoa*, & Sylvestria, sive Septemsilvæ, vernacule *de Sevenwolden*.

Partes Frisiæ occident. Westergoa.

Prima Westergoa est, à Stavera, Frisiorum quondam metropoli illustri, initium ducens, & majorem longitudinis universæ partem complexa, mari aut æstuariis magna ex parte circumfusa, & multo opulentissima, hominibusque & ædificiis frequentissima. In hac *Franekera* est, civitatum Frisiæ amœnissima, & munditie rara, domibus virorum nobilium peramplis & insignibus ornata, rivo navigabili irrigua, vallo terreo ac fossa probe munita, civium elegantia ac institutis florens, domicilium Musarum hoc tempore. *Sneca* humili loco & aquoso, piscium proventu inprimis felix; *Bolsverdia* vetustate pollens, mediterranea oppida, & jam olim contra hostiles incursus communita: item *Harlinga* in littore, recens mœnibus circumdata cum arce paulo ante firmissima, & peregregio portu, mercatu celebris, velut emporium totius regionis, in annos singulos fortunam adhuc adaugens: tum *Slota* & *Stavera*, quondam Frisiorum regia, superbo cultu, nunc oppidi vix nomen tuens, aut speciem retinens. *Hindelopa* & *Worcumum* in littore Occidentali. *Ilsta* Snecæ vicina, agro humili & irriguo, ut ipsa quoque Sneca, sita, quæ mœnibus carent. Præfecturæ autem recensentur hæ: Wonserana, Franekerana, Barrana, Meinaldana, Baerdana, Hermardana, Wymbritzana, Geestana, quæ postrema inter Slotam & Staveram porrecta, utroque comprehenso oppido, tota ea longitudine fluctibus pulsatur, & Biltana, & in his vici ad 127, Cœnobia monachis, aut sacris virginibus dicata, 24.

Franekera. Sneca. Bolsverdia. Harlinga. Slota. Stavera. Hindelopa. Worcumum. Ilsta. Præfecturæ.

Altera *Oostergoa* à Westergoæ fine in Lavicam flumen, & Gerriconis cœnobium, agri Groningani limitem, porrecta; opibus & viris nobilis, præsertim qua Boream & Occidentem spectat: aut littori vicina est, nam ubi Groninganis contigua est, & meridiem versus procurrens, *Sylvestribus* propinquat, reliquæ parti haud par est. Ad cujus initium *Leovardia* est, civitatum Frisiæ Occidentalis maxima & splendidissima, ædificiis sacris, profanis, publicis, privatis, nobilium præsertim atriis magnificis illustris, rivis profundis per medios vicos præcipuos decurrentibus (ut pleraque Frisiæ oppida) permeabilis, vicis tersa, & sine omni immunditie ac sorde: opulenta, nitida, populosa, cultu & moribus hominum præcellens, munitionibus validis per ambitum cincta, sedes hoc tempore summi Senatus Frisici per ea loca, ad quem ab omnibus reliquis tribunalibus inter Flevum & Lavicam provocatio est: sita prope in umbilico regionis totius, loco uberrimo, & ad quem ex cunctis oris, omnibusque agri partibus navigari lenunculis possit: deinde *Doccumum* portu commodo, quem alveus non contemnendi fluminis in Lavicæ æstuarium se effundentis, quod Doccumanum rivum vocant, efficit, insigne oppidum, ad 4 passuum millia intus ab ortivo latere, ubi flumen exit, pauloque minus à Borea recedens, aggere terreo cum propugnaculis & fossa in circuitu munita. Præfecturas præterea habet 12; Leovardianam, Tyetzercanam, Idaerderanam, Ferverdianam, Rawerdianam, Dongranam duplicem, Dantumanam, Octopagicam, Columanam, Vpsteranam, Smallinganam: vicos 127, Cœnobia 21, arces nobilium vetustas quamplurimas.

Oostergoa. Leovardia. Doccumum. Præfecturæ.

Tertia pars Sylvestres, quos *Sevenwolden* nuncupant, continet, cum agris vicinis Stellingwerfico, & Scoterlandico, qui contermini sunt Vltrajectinæ diœcesi, multumque pro libertate contra Episcopos certamen habuerunt. Hæc pars palustris aut sabulosi soli, sylvas quoque habet modicas, quæ nomen ei dederunt, & lacus nonnullos piscibus copiosos, potissimum ubi Westergoæ conjungitur. Oppidis omnino caret, &

Sylvestres. Sevenwolden.

in

in universum felicitate cæteris multum cedit. Præfecturis continetur 9, sed quæ Westergoæ præfecturas octo haudquaquam æquent: Donyeverstalæa, Lemmerana, Anieverdiana, Scoterlandica, Vttingarana, Hascherana, Stellingwerficæ duæ, Orientalis & Occidentalis, Geestana. Vici in iis numerantur 77, Cœnobium vero unum.

Præfecturæ.

Regionis qualitas.

Tota regio plana & aperta est, sylvis infrequens, & in universum fere humilis: limosa qua littoribus proxima; arenosa aut palustris introrsum vergens. Fere ubique est pari cum aqua superficie, itaque gravi impendio & labore excitatis permagnis è terra aggeribus, velut vallo quodam se cingere ac munire contra influxum maris cogitur. Cæterum tam pingui argilla ager obductus est, ut nihil eo vel ad pascua, vel ad sementem possit haberi uberius, ac sumen quoddam terra dici queat. Et qua pascuus quidem est, non ubere tantum copia gramen, trifolio multo mixtum producit, sed virtute etiam præ regionibus aliis ad saginanda pecora, avenæ vel hordei instar præcipua ac singulari; hinc fælix & copiosus armentorum proventus, & obesa luxuriantium boum corpora; hinc soboles illa generosorum equorum, per totam Europam expetita, hinc lactis incredibilis abundantia, butyri & casei inde confecti immensa vis. Qua parte aratur ager & seritur, tanto cum fœnore reddit quod accepit, ut mediocribus annis impleat plerumque spem avari agricolæ, fælicibus etiam sæpe superet. Nitor vero & pulchritudo regionis exteris omnibus admirationi est, tot enim oppidis, castellis, foris, vicis, pulcherrimis templis & villis ager totus obsitus est, ut multis in locis è longinquo spectans, unam aliquam magnam civitatem te cernere arbitrere. Westergoa universa, & ea, quam dixi, Oostergoæ pars multo maxima fruge, armento, gregibus, piscibus, avibus, quibus culina instrui laute potest, supra quam credi queat, felix est: sed illa humilior, lacubus aut stagnis abundans, & pluribus fluentis irrigua, atque ita piscatu & aucupio melior. Oostergoa vero editior, & pascuis optimis, satisque nobilior. Vtramque tamen rivi percurrunt multi navigabiles. Sed excellit Doccumanus lati & profundi alvei Doccumo Leovardiam ducens, ac illic in duo se brachia scindens; è quibus alterum Franekeram perluens, Harlingam tendit, ibique in mare rursum effunditur: alterum in meridiem se præcipitans, & lacubus aut stagnis se miscens, Snecam, Ilstam, Slotam, Staveram, Worcumum per ambages contingit, & connectit, pluribusque locis in mare effluit. In hunc & alii quoque rivi se insinuant, qui Sylvestrium agrum pererrant, quorum maximus *Cunerus* est, quanquam is proprio ore ad Cuneram vicum cognominem in sinum australem etiam effertur. Atque hinc maxima sane commoda incolis ultro citroque commeantibus proveniunt. Ferarum noxiarum, leonum, ursorum, luporum, aprorum nullum hic est genus: cervi, damæ, capreæ in nemoribus sunt quidem, sed exiguo numero; nec valde desiderant incolæ, propterea quod boum & equorum armentis magis delectantur; lepore universus ager abundat. Piscium omnis generis ubique copia, quos vel ex mari vicino magna vi capiunt, vel ex fluminibus vel ex stagnis. Nec volucres varii generis marinæ, ripaticæ, campestres, domesticæ absunt.

Cæterum alius longe, quam jam est, hujus regionis habitus, aliaque forma quondam fuit. Nam longius extra id, quod nunc exstat, littus agri procurrerunt versus insulas, quæ octonis alibi, alibi senis aut quaternis pass. millibus à continente hoc tempore recedunt (hæ sunt Scellinga, Amalandia, Schiermonicoga) quondam etiam cum iisdem cohæsisse feruntur, quanquam humiles, & rivis stagnisque crebris divisi. Et quæ nunc continentibus agris ubique inter se junctæ sunt Oostergoa & Westergoa, eæ profundo, latoque maris influxu, totis lateribus dirimebantur: ad cujus influxus oram, eo loco ubi Berlecomum est, oppidum fuit, mercatorum frequentia ob insignem portum percelebre: *Vtgongum* dixere, quod nomen in parte vici ejus, ut ampli, ita elegantis, etiam nunc reliquum, vestigiaque oppidi nondum penitus obliterata. Adhæc quidquid fere palustrium aquarum in Ostergoa ac Sylvestribus erat, aut è vicinis lacubus in orientem se effundebat, id collectum per Lavicam in mare efferebatur, amnemque illum, qui jam pene exaruit, vixque rivi nomen, antequam in vadum exeat, tuetur, profundum & magnis classibus navigabilem faciebat.

Alia olim Frisiæ hujus facies.


Lingua usi sunt omnes Frisii una & eadem, quæ ut Germanicam originem satis arguit, sic tamen à vicinorum sermone discrepat, pene ut sui cujusdam generis videri possit. Nec enim intelligi potest ab exteris ullis: nec olim Frisius in patria educatus, exteros etiam vicinos commode intelligebat. In universum tamen cum Anglico sermone tantum cognationis & similitudinis habet, ut ad nullum omnino aliarum gentium, ne finitimarum quidem, propius accedat. Quod sane Frisicæ originis in ea gente argumentum est maximum. Nomina quoque gentis diversa prorsus à gentibus cæteris, usque eo, ut horum argumento genuinum Frisium ab adscriptitio insititiove soleant quondam discernere.

Lingua.

Mores.

Ingenium genti in universum simplex, ingenuum, excelsum: promptumque pro libertate ad arma. Post regium imperium præfectos habuerunt suæ gentis, liberis populi suffragiis electos, ex quibus honoratissimus qui erat, & in omnes reipublicæ partes animum intendebat, accepta ab Italicis civitatibus consuetudine, Potestas proprio vocabulo dicebatur: eratque is magistratus ex populi arbitrio annuus interdum, interdum annorum plurium, nonnunquam etiam perpetuus. Præter istos, Comitem quoque ab Imperatore singulis quadrienniis in Frisiam mitti solitum esse, eo nimirum seculo, cum id, quod de Potestate dixi, in desuetudinem isset, in codice antiqui juris Frisici legitur, coram quo, si quæ majores in populo controversiæ hærebant, disceptabantur. Deinde & nobiles quædam familiæ, honore, opibusque in ea gente eminebant, quarum ambitione factum, ut populus in factiones divisus, bello intestino patriam distraxerit. Feuda & dominos nemo noverat, nisi quod Imperatorem patronum ac supremum

Imperium.


MARIS GERMANICI PARS
FRISIA
OCCIDENTALIS
Adriano Metio et Gerardo Freitag
Auctoribus.
Amstelodami Guiljelm. Blaeuw excudit
NOTARVM EXPLICATIO.
Pagi
Monasteria
Nobilium ædes
GRON: NIN: GÆ PARS.
DRENTIÆ PARS.
AMELANDT
SCHELLING
VLIELANT
Westvriesche Wadt
Den Abdt
Harlingen
Hindelopen
Staveren
Worcum
Dockum

Principem agnoſcebant. Nunc libera ſuique juris, una cum cæteris Belgii Provinciis fœdere juncta, ab Ordinibus ſuis regitur in hunc modum:

Regimen hodiernum.

Summa Reipub. hodie eſt penes delectos trium Ordinum in Comitiis congregatos; in quibus populum univerſum ii repræſentant, ejuſque poteſtatem gerunt. Tres Ordines dico, Nobilitatem, Plebejos in agro prædiorum ruſticorum ſuorum dominos, & Oppidanos: Deputatorum Collegium, de quo infra, quotannis per litteras omnibus præfecturis per totum agrum, & civitatibus denunciant, ut in tempore delectos deſignent, qui comitia obeunt. Præfecti in agro literis acceptis vicatim hujus rei cauſâ conventus indicunt: conveniuntque ſeparatim ſingulæ præfecturarum parœciæ, conventuumque illorum participes ſunt omnes, plebe infimâ & mercenaria opificumque turba tantum excluſa. Ita in ſingulis parœciis eliguntur duo. Atque hi electi poſtridie, aut tempore præfixo omnes in vicum totius præfecturæ præcipuum coëunt, & præſidi præfecto, ex omni numero eorum, qui in Præfectura eâ, prædiorum domini ſunt, per ſuffragia duos deſignant ad comitia ituros, quos *Volmachten*, id eſt Plenipotentiarios appellant. In civitatibus vero Senatus eodem illo tempore ex ſe edit unum, & collegium Iuratum tribunitiâ poteſtate præditum adjicit alterum, qui ad comitia civitatis nomine mittuntur. Hac ratione 80 viri, 58 nimirum ex agrariis, 22 ex oppidanis Comitia conſtituunt, totiuſque Reipub. jus in manibus habent: illud vero notandum eſt, unius Civitatis, in ordine ſuo, & unius quoque præfecturæ in claſſe ſua, unum eſſe ſuffragium, ſive id ab uno, duobus, vel pluribus delectis feratur. Comitiorum ſedes ordinaria Leovardia eſt, & aguntur quoties res aliqua poſtulat: ſed anniverſaria & ſtata quotannis ſemel menſe Februario aut Martio; & ea plerumque ob negotiorum multitudinem diuturniora. Gubernator Friſiæ, qui nunc eſt illuſtriſſimus Princeps Guilielmus Naſſavius, &c. maxima in Provincia pollet authoritate.

Comitia vulgò Landtdagh.

Collegium Deputatorum.

Collegium vero Deputatorum conſtitutum, lege in comitiis lata anno 1576, ſed formam juſtam anno 1583 conſequutum eſt. Conſtat autem id è Deputatis Ooſtergoiorum binis, Weſtergoiorum binis, Sylveſtrium binis, & oppidorum ternis. Hiſce annuum eſt munus, ſed pro arbitrio eorum à quibus conſtituuntur, prorogari poteſt. Electio autem & prorogatio fit in Comitiis Provinciæ ordinariis: quæ quotannis, ut ſupra dixi, Leovardiæ habentur. in hiſce Ooſtergoi deſignant è ſuis virum nobilem unum, alterum plebejum ex eo genere, qui fundi aut prædii ruſtici vere domini ſint, quos velint in annum proximum in Collegio ſedere, & Rempublicam adminiſtrare: Idem Weſtergoi, idem Sylveſtres faciunt; Oppidani vero ex ordine ſuo tres edunt viros graves, rerum uſu & autoritate valentes. Hi renunciati voce publica, à comitiorum delectis in ſedem Collegii deducti, apud eoſdem illos jurejurando in ineuntem annum Reipub. ſe obſtringunt, pollicenturque ſecundum mandati formulam munus ſe adminiſtraturos: penes hos Reipub. eſt adminiſtratio: ſi vero aliqua res ſe offerat, quæ gravior ſit, quam ut audeant ſine conſilio, & conſenſu plurium in ea agere, ex ſingulis territoriis aut civitatibus delectos cum poteſtate ſingulos, aut binos evocant, nec ante evocatos dimittunt, quam de cauſa illa eadem certi aliquid ſit conſtitutum. Collegium autem hoc à Secretis habet virum gravem & eruditum, & autoritate non parum valentem, ob munus quod gerit perpetuum, Scribarum reliquorum magiſtrum, actorum & chartarum collegii cuſtodem, cujus opera in concipiendis ſcriptis, & ſignandis aut ſubſcribendis decretis Collegium utitur, quique verba Collegii nomine ſæpe apud alios extra Collegium facit. Præterea Collegio additi ſunt quæſtores duo, duobus ærariis præfecti: quorum alter tractet omnem pecuniam Provinciæ ex vario tributorum genere, ex vectigalibus, ex Provinciæ totius cenſibus provenientem; eandemque juſſu Collegii, aut Ordinum exponit in varios belli & pacis uſus, ejus acceptæ, expenſæque rationes apud Rationum Cameram & delectos Collegii Ordinumque reddit: alter ærario ſacro cenſuum eccleſiaſticorum præeſt, pecuniam iſtuc pertinentem colligit, & juſſu Collegii expendit, ut plurimum in uſum eccleſiarum, Academiæ, Scholarum, egenorum, &c. Præter Collegium hoc Deputatorum eſt etiam hic Camera rationum: conſtat IV viris, qui in ſingulos annos ſuffragiis Ordinum delecti, velut cenſores ſunt aſſignationum pecuniæ, quas quiſque à Collegio Deputatorum impetravit, eas examine & calculo ſuo probant & reprobant. huic Cameræ Scriba à Secretis eſt. Senatus vulgo *den Provincialen Raedt*, quique in Friſia eſt poteſtate ampliſſima, in civilibus & criminalibus cauſis Iuris dicundi præditus, quique Senatum in oppidis Friſiæ, Leovardiæ & Franequerâ, quæ Magiſtratum ipſæ conſtituendi jus habent exceptis, conſtituit. Senatum hunc conſtituunt duodecim viri ſuffragiis Ordinum in Comitiis lecti. habet Senatus hic ſummum Scribam Cancellarii inſtar, actorum, chartarumque publicarum cuſtodem, & alterum prioris vicem plerumque gerentem, quem Secretarium vocant; utrumque ab Ordinibus populi in Comitiis deſignatum.

Quæſtores.

Rationum Camera.

Senatus Provincialis.

GRO-

TRANSISALANIA, vulgo OVER-YSSEL.

Nomen.



Rans-Isalania (nostrate vocabulo *Over-Yssel*) ob situm Isalæ sic dicta est, quia trans illum sita, quamvis pars illius aliqua fluminis eluvione jam ripam mutaverit. Ad Meridiem Gelriam aspicit & Ducatum Zutphaniensem: ad Septentrionem Frisiam Occidentalem, & Dominium Groningense: ad Orientem Benthem Comitatus, & Monasteriensis Episcopatus sunt; ad Occidentem Velavia, Gelriæ pars; fretum Australe, sive sinus ille amplissimus, quem vulgo *de Zuyder-zee* vocant, in quem se exonerat Isala, paulum infra Campos, necnon Vidrus infra Geelmudam.

Termini.

Cœli solique ratio. Solum hujus regionis maximâ parte planum & humile, ager feracissimus cum aliarum frugum, tum frumenti imprimis & optimi tritici: nec minus pascuis fœcundus. Nonnulla tamen illius pars & uligine profunda squallet, & ericetis infertilibus obsita est, præsertim iu Twentana regione. Drentiæ autem ager omnis arenosus aut palustris, frumento, nisi qua uligines aut ericeta tenent, felix; ideoque horrei vicem vicinis, præsertim Groninganis, præbens; pascuis non æque commodus: præter Isalam Vechta fluvio; amnibusque vulgo de Schipbeeke Reeste, Aa, Dinckel & Regge irrigatur, qui quamvis majorum navigiorum sint impatientes, deferendis tamen lignis, lapidibus, cespitibus, minoribus navigiis inserviunt.

Divisio provinciæ. Dividitur hæc regio in tres partes seu potius Dynastias, vulgo *Drostampten* vocant; quorum illa quæ Isalæ fluvio vicina est, patrio sermone *Salland*, Latino Salandia appellatur: quæ simul Australi adjacet *Vollenhoviana*, ab urbe Vollenhovia; quæ autem Westphaliæ proxima, *Twente* sive *Twentia*.

Oppida & municipia. Oppida sunt octo mœnibus cincta: *Daventria*, *Campi*, *Swolla*, *Vollenhovia*, *Steenwicum*, *Hasseletum*, *Otmarsia*, *Oldensalia*. Sunt præterea municipia plura amplissimis privilegiis dotata, licet quædam mœnibus destituantur: ea sunt, *Meppela*, *Geelmuda*, *Covordia*, bellis Belgicis celeberrima, *Aardenberga*, *Omma*, *Almeloa*, *Gora*, *Diepenheymium*, *Delda*, *Enscheda*, *Ryssena*, *Wilsen* & *Grafhorst*.

Regimen. Trans-Isalana provincia multis seculis Episcopis Vltrajectinis subdita fuit. Idque libero quodam modo: nam provincia hæc semper administrata fuit à suis Ordinibus, Nobilitate nimirum & tribus urbibus primariis, Daventria, Campis, Swolla: quibus Ordinibus Episcopus tantum præsedit, & post comitia absoluta, secundum eorum decretum, executor extitit eorum de quibus convenerat: neque quicquam præterea juris sibi vindicavit in hasce tres urbes, ne quidem in clericos in eis commorantes. Verum quum sub Episcopis provincia hæc diu miserum in modum fuisset jactata, partim infestissimis dissidiis, partim potentissimorum vicinorum ambitiosis conatibus, quibus propulsandis Præsules fere impares fuerant; tandem ut se hisce miseriis eximeret, ad potentiorem atque opulentiorem Principem respicere cœpit. quumque sese ultro offerret Carolus V, reliquarum pene provinciarum hæres, & Romanorum Imperator, qui vicinos omnes longe opibus & potentia superabat; Trans-Isalaniæ Ordines, non invito Henrico Bavaro, Præsule Trajectino, anno 1528, atque adeo illius hortatu, cum eodem Imperatore convenerunt; seseque ipsi & successoribus illius Brabantiæ Ducibus & Hollandiæ Comitibus submiserunt hisce fere conditionibus: Trans-Isalaniæ Ordinibus privilegia & immunitates universæ & singulæ sartæ tectæ manento. Iudiciis consuetis utuntor, nec illius rei causa inviti extra provinciam evocantor. Bellum Transisalanis à quocunque illatum, Cæsar ejusque successores suis sumtibus propulsanto. Ditionis fines antiquos vindicanto. Pecuniarias exactiones novas, bello urgente, habita civitatum ratione, modicas suo jure exigunto. Transisalanos extra provinciam suam, in aliis Cæsari subditis ditionibus, ob æs alienum, quod Principes, aut provincia, homove privatus publico nomine debet, in jus vocari, trahi aut retineri ne permittunto; ob privata vero singulorum debita, fas licitumque esto. Cæsar Duci Gelriæ suo ære bellum inferto, donec provinciæ ablata restituerit. Ordinibus Transisalaniæ, authoritate Cæsaris, pecuniarias exactiones provincialibus imperare liceat, ut æs alienum belli tempore contractum absolvant. Multam pecuniariam, quam Antistes ac Swollani Gelriæ Duci datis tabulis promiserunt, Cæsar vi aut gratia reddi curato. Si quæ forte dissidia inter Transisalanos orta fuerint, aut post illa oriantur, Cæsar ejusque hæredes & successores, ut bonos Principes decet, non augeri, sed quantocius tolli procurato, illosque ut cæteros subditos suos ab omni violentia atque injuria defendunto. Bituminosos cespites, certa tantum quantitate & modo, extra provinciam evehi permittunto; atque intra triennium provinciæ statum in commodiorem ordinem restituunto. Annuam pensionem pecuniariam quam Antistitibus solvere consueverunt, posthac Cæsari, donec aliter de ea



TRANSISALANIA
PROVINCIA;
Vulgo
OVER-YSSEL.
Auct. N. Ten-Have. Sch. Zwol. Conrect.
Septentrio
Meridies
ZUYDER
ZEE.
FRISIÆ PARS
VOLLEN HOVE
SALLANT
TWENTHE
DUCATUS GELDRIÆ PARS.
COMITATUS BENTHEMIENSIS PARS.
EPISCOPATUS MONASTERIENSIS PARS.
COMITATUS ZUTPHANIENSIS PARS.
Coverden
Hardenberch
Campen
Swartelluys
Hasselt
Deventer
Almelo
Oldenzaal
Ootmersum
Enschede
Ochtrup
Benthem
Zutphen
Camper Sande
Veenen
Echter grooten
Ellers velt
Schoonerbeek
Dalerveen
Vleechuis
Hoochsouren
Duo Milliaria communia, quorum 15 uni gradui latitudinis respondent.
Horæ itineris.
1000
2000
3000
Virgæ Rhenolandicæ
Notarum Explicatio.
Pagi
Cœnobia
Nobilium ædes
Nob. ædes dirutæ
Viciniæ

59

de ea re constituatur, persolvunto. De publica moneta cum Cæsarianis monetariis transigunto. Contributiones annuas Antistitis, ad bellum sustinendum dari suetas, tribuunto.

Quibus transactis, Georgius Schenkius Baro à Tautenbergh, Frisiæ Gubernator, provinciæ præfecturam adiit, & in omnibus locis nomine Cæsaris fuit inauguratus. Sub Carolo ergo ejusque filio Philippo eadem pene hujus provinciæ quæ cæterarum fortuna fuit, donec cum cæteris se in libertatem vindicaret: ab eo tempore, uti & cæteræ, à suis Ordinibus regi cœpit, penes quos summa hodie est authoritas.

Provinciæ Ordines.

Porro Ordines hujus provinciæ hodie constant duobus membris: Nobilibus, sive equestri ordine, atque Commmunitatibus oppidorum. Nobilitatis ordinem repræsentant quinque præfecti agrarii, quos vulgo *Drosten* vocant. quorum tres majoris sunt dignationis; Salandicus, Twentanus & Vollenhovianus: duo minoris; Haexbergensis, & Isselmundanus: qui licet singuli suas habeant jurisdictiones separatas, tamen prior non incommode sub Twentano, posterior sub Salandico comprehendi possunt. Hisce adduntur reliqui equestris ordinis viri, qui ex antiqua aut nupera consuetudine suffragandi in comitiis obtinent authoritatem. Oppidorum nomine tantum tres civitates censentur, Daventria, Campi & Swolla; quarum magistratus ad comitia Communitatum nomine vocantur. Atque in hisce solis comitia annua Ordinum totius provinciæ habentur successive. Atque horum Ordinum eadem est potestas, quæ in cæteris provinciis, nimirum in suâ summa; atque eadem omnia deliberant, decernuntque, nulli alteri provinciæ obnoxii.

Ad cæterarum quoque provinciarum normam, Ordines hi suos habent Deputatos, qui in illa civitate, quæ anno Comitiorum publicorum habendorum jus habent, sedem atque domicilium habent. Deputati hi sex sunt numero, è tribus majoribus præfecturis, & tribus illis civitatibus singuli, quibus munus plerumque in triennium prorogatur.

De publico judicio.

In tribus majoribus civitatibus, uti supra diximus, causæ omnes & civiles & criminales judicantur per arrestum, ut vocant; neque fas est cuiquam ab hoc judicio provocare, aut appellare. A cæteris tribunalibus, quæ in minoribus oppidis & vicis hujus provinciæ constituta sunt, appellatur ad publicum quoddam totius provinciæ tribunal, sive conventum juridicum, quem peculiari voce provinciales vocant *Claronge*; qui non singulis annis, sed singulis octenniis, aut etiam decenniis, vel prout Ordinibus in publicis comitiis visum fuerit, celebratur. Locus, antiquâ, uti videtur, consuetudine est Daventria: Iudices, Præfectus provinciæ sive Quæstor Salandicus, specialiter ad id à Præfecto (si ipse interesse nequeat) deputatus, Præsidis nomine; tum equestris ordinis viri; atque ex Daventriensi civitate Scabini quatuor; ex Campensi bini; & ex Swollensi totidem. Ad hos causæ omnes per appellationem ex agro & minoribus oppidis referuntur, & ab his finali judicio terminantur.



GRO-

GRONINGA DOMINIVM.

Termini.



Roninganus ager ab Occidente Lavica flumine, à Septentrione mari Germanico, ab Ortu Amasis æstuariis & Dullarto sinu, à Meridie Drentiæ limitibus clauditur. Ejus populos in duas velut classes, sed impares, fluviolus distinguit, qui collectis ad urbem Groningam per diversos ex Drentia & Fredevaldiis venientes rivos aquis palustribus, plurimisque emissariis auctus, & mire flexibus sinuosus, in Lavicæ æstuarium satis profundo alveo se ejicit, *Rivum* vulgo vocant, ab arundinibus cognomine imposito. *Nomen.* Regionem hanc minoris Frisiæ nomine affectam reperio; simul usus invaluit, ab urbe Groningâ Groningana dicta est, nunc ex decreto in actis publicis non nisi Ommelandia, id est regio περίχωρος dicitur. *Fluvii.* Eandem hanc regionem vel agrum duo amnes præcipui olim percurrerunt, & percurrunt quoque hodie, quanquam nominibus jam aliis noti, nec eodem ubique retento meatu. *Hunesus.* Alter *Hunesus* quondam dictus, in Drentia exoriens, collectis primum aquis palustribus tenuis, deinde lacum Laræum magnum profundumque ingressus ac permensus, ejusque copia auctus, justi jam fluminis instar latus atque altus, Gronenbergiam arcem, olim haud incelebrem, allapsus, imo pene ircumlapsus, relicta ad 4 circiter stadia Groningia, quæ ei ad occidentem & meridiem erat, in Circium deferebatur: mox milliari uno magno infra Groningam flexo cursu recta occasum versus se incitabat per Hunesgonios, qui ex eo nomen habuerunt, donec in æstuarium Lavicæ, ut nunc quoque facit, exiret, & communi cum eo ostio se exoneraret inter insulas in Oceanum. Nunc oppidanorum studio oppositis aggeribus, obstructo, qua urbem prætervehebatur, vetere alveo, relicto ad dextram Cronenbergio solo, ad urbem multos ante annos derivatus magno urbis commodo, auctusque illic amnis Ahæ aquis è Drentia similiter venientibus, perque longum spatium infra urbem ejusdem Ahæ alveo vectus Vnderwerumum usque, atque ibi veteri alveo redditus, aggeribus ab urbe ad exitum utrimque compressus, toto hoc infra urbem spatio ab arundinum copia voce Germanica *Reitdiep* vulgo jam nuncupatur, veteri nomine illo Hunesi prorsus obliterato, & accolis etiam omnibus ignoto ac pene inaudito. Quæ vero pars ejus est supra urbem, per Drentiam & Præfecturam suburbanam means, hodie à navium certa specie, quarum in ea usus est frequens comportandis ad urbem cespitibus, id est, glebis palustribus in usum ignis, vocatur *Schutendiep*, habetque utrimque agros humiles & uliginosos, per quos decurrit, & præterquam, qua aggeribus constricta est, eosdem sæpe inundat. *Fivela.* At alter amnis è duobus, quos dixi hunc agrum olim secuisse, nomen *Fivelæ* habuit, jam prorsus etiam ignotum, & è Duerswoldiis finitimis Præfecturæ veteri, aut ex ipsa Præfectura vetere se proferens primum, locumque, ubi nunc cœnobium Werumanum est, antiquitus, deinde mutato cursu modico à cœnobio intervallo humilia camporum perluens, longo ac tortuoso meatu illam agri partem permensus fuit, quæ Amaso propinquat, cuique nomen ex se tribuit *Fivelingiæ*, vel *Fivelgoniæ*: (utraque enim forma hodie quoque vulgo dicitur) ac demum apud Sondios (id vico tum nomen) sese effudit. Verum is exitus ejus ante annos plus minus 400 objecto aggere transverso oppilatus, & alveus ipse magnam partem una cum nomine paulatim extinctus est. Collegit ille ex omni fere Fivelgonia aquas eas, & exoneravit, quas jam rivus Dammonensis, hoc nomine hodie notus, eodem ex agro collectas (nam per eundem hunc agrum defluit, & multis locis eundem quoque alveum servat) per canales Delfsilanos in Amasum egerit. Et hunc quoque oppidani quamplurimos ante annos depressa per passuum millia perampla fossa ab eo loco, qui ab aggeris flexu nomen fert, ad mœnia usque sua derivarunt, meabilem auctuariis navibus majusculis, quantæ scilicet per canales Delfsilanos traduci possunt. Quin etiam studio Casparis Roblesii gubernatoris regii non ita multos ante annos claustra ad urbem hujusmodi constituta sunt, ut quoties oppidani velint, amnes hos duos Fivelam & Hunesum ad urbem dudum deductos confundere, rursum per eadem claustra disjungere queant. Ac Fivela quidem, qui nunc Dammonensis rivus est, (Dammonam quippe duobus milliaribus Germanicis magnis ad ortum solstitialem ab urbe Groninga perluit) non jam liber, ut Hunesus, in Amasum effunditur, sed exitum ejus quatuor ingentes canales coërcent, tres ad castellum Delfsilanum continuis lateribus, quartus prope Farmsumum vicum loco proximo, paucis modo passibus Delfsila disjuncto. His porro amnibus, qui hanc Frisiæ partem perluerunt olim, addiderit quis tertium haud minorem prioribus, cui *Eæ* nomen. *Ea.* Is in Monasteriensium finibus ortus, & à meridie in septentrionem se incitans, omnemque agrum Westerwoldicum primum, deinde planiciem illam camporum per quam Dullartus sinus ingens jam se fundit, & lato & profundo alveo permensus, haud procul exitu in occasum, & rursus in boream flexo cursu inter duas Reidas, vicos olim haud incelebres, per septem canales in aggere defossos in Amasum se exoneravit, & agrum hunc quem jam describimus, ab eo qui Frisiæ Orientalis nomine nunc censetur, & Comitatus titulum



MARIS GERMANICI PARS
GRONINGA DOMINIVM.
Auctore
Bartholdo Wicheringe.
AMSTELODAMI
Guiljelmus Blaeuw
excudit.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
NOTARVM EXPLICATIO.
Pagi
Monasteria
Nobilium ædes
Anno 1277 Maris inundatione
triginta tres pagi hoc
in loco periere.
Gronninger Watt
Watt
FRISIÆ
TRANSAMASA:
NÆ PARS
GRONINGEN
EMDEN
NORDEN
Borcum
Bosch
WESTERWOLDIÆ PARS

lum fert, secrevit. Nunc post Bellenwoldios, qui in ora austrina sinus sunt, Dullartinis fluctibus tectus, quanquam alveum sub fluctibus servet, nusquam tamen apparet, ut & cætera omnia, villæ, vici, fana, quæ in eo spatio fuerunt. In hos autem, qui supersunt, amnes, ut & in æstuaria vicina, rivi complures scaphis & lintribus meabiles se effundunt: quorum alii orti ex se, aquis viam sibimet facientibus, alii humana industria excavati, hic illic regionem secant, & vicos plerosque celebriores alluunt, duplici regionis bono. Nam & humiles atque udos agros aquis levant, & commeandi vectandique facultatem incolis commodissimam præstant. Sed qui Hunesum augent, aut in æstuaria aut Dullartum effunduntur, claustris in exitu coërcentur: cæteri libero lapsu Fivelæ se miscent. Duo etiam ad urbem ipsam Groningam longis brachiis se porrigunt, Honæus in occidente, Botteranus à borea.

Populi.

Populorum nomina, situs, ratio ita se habent: Ad Occidentem fluminis, *Langovaldii* Ostergois finitimi, complexi vicos fanis insignes 13. *Fredewoldii* Silvestribus ac Drentiæ propinqui, vicis 10 comprehensi, tenui in solo utrique. *Hummerzii* in latere æstuarii Lavicani ad effluxum fluminis jam dicti, eluvionibus ad 3 tantum vicos redacti, sed agri felicis. *Medachii* ad ejusdem fluminis ripam introrsum magis pertinentes, in vicos 9 in solo omnium uberrimo sparsi. Ad Orientem amnis sunt *Hunesgonii*, latis simul & omni ex parte tum natura, tum hominum opere bene cultis finibus. *Fivelingii* Hunesgonios ad Ortum sequentes in Amasis ora, in duas divisi sunt partes, quarum prior 31 vicos complexa insignes, nulli superiorum felicitate cedit, tum ob terræ bonitatem, tum ob commoda fluminis vicini: altera vicis rarior, quos 9 tantum habet, palustri solo sitos, Dursvaldia proprio nomine vocatur. Ad Dullarti finem *Westervaldii* sunt, Reideriorum quondam pars inter sinum & Amasim incolentium: in quos imperium legitimum habuit aliquot seculis Addingia familia nobilis, nunc ad Arenbergios omnia translata. Postremo est suburbanum territorium regionis totius limitem ad Austrum longo tractu, contra Drentiam tuens, vicos ambitu suo continens 12, cœnobia duo. Atque hujus in solo, ubi arenis gleba pinguior jungitur, sedem habet *Groninga*, quam dixi, non maxima solum inter urbes, quas Frisia amplectitur, sed nomine etiam, & potentia, & rebus gestis, & specie quoque ipsa antecellens.

GRONINGA.

Forma Reipublicæ.

Forma reipublicæ in urbe est Aristocratica, Democratiæ mixta. Magistratus, quive alii partem aliquam Reipublicæ tractant, per suffragia lecti omnes, alii bienne, alii annuum munus habent, pauci perpetuum. In his Senatus 16 virûm, è quibus Consules quatuor, cæteri Senatores, toti Reip. præsident. Quatuor-viri Iudices, cum Legato regio, prætoriam potestatem habentes in omnem agrum vicinum, ex ordine fere consularium Consilium delectorum juratum 24 viris constans, & in his trium-viri Consilio præfecti, ejusdemque Oratores: omnes media sui parte collegiis suis decedentes quotannis, totidemque aliis surrogatis locum dantes, quos sorte ducti è concilio jurato, viri quinque in senatorio ac suo ordine legunt, Senatus vero in ordine judicum, & hos fere consulatu tum abeuntes. Deinde Ædiles tribunitiæ potestatis duo, velut plebis patroni, imprimis intercessionis jure pollentes, à collegiorum plebejorum præfectis designati quotannis, aut continuati: tum ipse collegiorum horum præfecti, terni in collegiis singulis, à quibus ipsi similiter quoque quotannis eduntur, numero omnes 54, quorum 18 Seniores, qui auctoritate præstant, singuli nimirum singulis in collegiis; cæteri capita collegiorum vulgo sunt dicti: præterea Octoviri duplices, hi mercantium & vendentium, itemque naviculariorum controversiis cognoscendis præpositi olim; ac in his Senior, quem sic vocant, actor in collegio præcipuus, jurisque civium in mercando Advocatus ac assertor.

Mores populi.

Populus oppidanus moribus comis, blandus, solers, industrius, à litterarum cultu & captu non abhorrens, neque abjecte de se sentiens, ideoque in veste ac victu sumtuosus, imperii cumprimis avidus, ac ejusce gratia quidlibet suscipiens & perferens: pertinacissimus verò in tuendo jure suo, & libertate contra oppressores, & cuncta potius, quam servitutem perpetiens. Pauci nunc in populo Frisii, plures è convenis orti, multo plurimi vero aut Westphali, aut Drentini: inde velut soboles perpetua civitati sufficitur. Olim tamen ita observatum, ut ad Consulatum aut ordinem Senatorium nulli facile, nisi antiquis, partem etiam nobilibus familiis, quæ complures ex agro in civitatem concesserant, nati, aut alioqui insignibus commendati dotibus admitterentur. Quæ ratio quam diu valuit, & pax cum vicinis, quos idem sanguis miscebat, immota, & fortuna civitatis prospera fuit. Ea projecta, cuncta reliqua etiam in contrarium iêre. Vrbs ipsa fossa, valloque terreo maximæ molis, & propugnaculis munitissima, ac prope inexpugnabilis: vici ejus recti, lati, amœni, & quidem ad fora, quæ duo sunt, magna ex parte pertinentes: è quibus sex etiam singulis à portis linea recta ducuntur: ædificia splendida, & supellectile nitentia: fora spaciosissima, imprimis id quod latum vocant, Curiam cum Oenopolio ambiens: fana in universum duodecim, sed parochica tantum tria, quorum antiquissimum formæ rotundæ, ac arcis in modum validis parietibus structum, Walburgi Virgini sacrum, cum puteo, perennis, & ad summi labri altitudinem perpetuo scaturientis aquæ: alterum ab amne dictum, in extrema fori piscarii area situm: tertium Martinianum, longe splendidissimum foro præcipuo accubans, cui turris diminet firmissimi operis, ac ob altitudinem raram etiam nunc, quamvis fastigio excelso, mutilata vi ignis, latè spectabilis. Ex cæteris, quæ monasticis familiis dicata sunt, duo quoque peregregia & splendida, Franciscanum in oppidi fere medio, & Dominicanum Iacobæi ordinis: reliqua ejus generis, & quæ ptochodochiis cohærent, minora. Verum vix quicquam urbe tota jucundius, quam frequentium hortorum & frugiferarum arborum insignis amœnitas in ipsius urbis sinu, passim ædificiis interjecta, & se proferens, aspectu pariter & usu delectabilis. Annonæ forum in urbe omnis generis

generis copiosissimum quotidie, atque ex eo precii pene vilitas. Quod sane ex jure illo per fœdera olim acquisito, & per longissima temporum spatia usurpato hactenus, non minima ex parte exsistit. Adjuvat etiam plurimum fluminum aut rivorum oportunitas, omni ab regione agri ad oppidi hujus mœnia humana opera coëuntium, atque hinc in diversa supra infraque porrectorum. E quibus is, quem supra descripsimus, (*Reit* vocant) onerarias etiam è majorum genere ferens, alter ab oppido contra æstivum fere ortum defluens, & ipse non lenunculis solum & scalmis, sed auctuariis quoque mediocribus navigabilis, assiduisque remigantium aut velificantium commeatibus perstrepens, spacio duorum milliarium Germanicorum ac dimidii confecto per Fivelingios in Amasum exiens, à loco cui *Delfziela* nomen à canalibus, per quos exit, datum: quo loco portum efficit, toto eo latere commodissimum, ac pene unicum.

Dammona. Porro ad hunc rivum alterum regionis oppidum est *Dammona*, cognomen rivo tribuens, ad duo pass. M. ab Amasis ripa loco felice situm in Fivelingiis, à rivo ipso divisum, amœnum, & ædificiis præclaris, sed nullo mœnium honore, id quod Groningensium livori se debere queritur; quorum contentione factum sane, ut bis terve jam centum proximos intra annos excitatum in ambitu ejus vallum, in nihilum semper reciderit.

Vici. Reliqua per agrum vici tenent singulis cum fanis, plus minus 160, quorum non pauci ea magnitudine & cultu sunt, ut oppidula videri possint. Ex his *Warfumum*, *Bedumum*, *Winsumum*, *Vthusa* in Henesgoniis: *Northorna*, *Visfleta* in Longovaldiis; *Winschota*, & quondam florentissima *Midwolda*. At nunc Dullarti furoribus pene desolata. In præfectura veteri, *Loppershemum*, *Borumum*, *Farmsumum*, & quæ nominata jam ante est cum portu suo *Delfziela* in Fivelingiis. Et hæc quidem multo impendio & labore, decreto Ordinum Belgicorum, ante plures annos nuper vallo & fossa circumductis, spatioque ampliato in oppidi pene justi modum redigi cœpta, ad premendos atque in ordinem cogendos Groningenses. Distat hic locus ab urbe Emdana, quæ in adversa Amasis ripa est, ad passuum millia 9. Egregia porro ædificiis ac opulentia. Monachorum & sacrarum virginum cœnobia in agro olim fuerunt numero 25: ante cætera vero *Adoardea* in Medachiis, quinque pagis imperans, famosisque opibus inclyta, & superbo imprimis fano visenda: ab eo Vetus ad Dammonam, & alterum in Marnensibus, deinde Warfumum, Rottumum, Thesinga, Siloverdia, Grisomonachum, Wittowerumum, Hilligerlea, Schiltwolda, postremo Iesseum, non procul pomœrio urbis Groningæ positum in præfectura suburbana. Nec ad hæc, quod mireris, regum aut principum liberalitas quicquam contulit, sed rusticæ plebis studia, paucorumque nobilium ista sane pro re ac agri modo majora congessere. Atque his omnibus si quis addat Nobilitatis domicilia toto agro sparsa, inveniet nihil ad ejus pulchritudinem ac fortunam pene adjici posse.

Iurisdictio per omnem agrum (excepta Præfectura Vetere, quæ ad civitatem, & Westerwoldiis, quæ ad Addingios, & ab his ad Arembergios certis legibus devoluta fuit, & territorio suburbano, cujus etiam peculiaris ratio cum prædiis antiquitus liberis ac immunibus connexa est, ut qui prædia illa ut sua tenet, jurisdictionem cum imperio quoque teneat. Iuris dicundi autem causa agri totius partes illæ jam expositæ, in territoria quædam minora sunt subdivisæ. Et horum alia vicos singulos, alia binos, alia ternos quaternosve complectuntur; quædam etiam singulos vicos disjungunt. Estque in unoquoque territorio certus tribunalis locus. Ac quoniam in territoriis singulis prædia hujusmodi complura sunt, accidit fere, ut per vices & successiones annuas prædiorum domini jurisdictionem cum imperio habeant, idque secundum modum aut numerum prædiorum, quæ possident. Nam qui prædium hujusmodi unum tantum tenet, unius tantum anni jurisdictionem in eodem territorio habet; qui duo, duobus; qui plura, pluribus: & si quis omnia, perpetuam quoque juris dicundi potestatem eo in tribunali obtinet: idemque valet in iis, qui jus illud prædiis cohærens, à prædiorum dominis prædia ipsa retinentibus, quamquam id veteri instituto plane contrarium sit, pecunia, pactione, dono, cessione, denique quoquo modo sibi acquisiverunt. Qua ratione Dammonense tribunal, quod olim multorum fuit, nunc ad solos Ripperdæos & Houverdæos, aut eos, qui his successere; Farmsumanum vero vicorumque aliquot vicinorum ad unos etiam ac solos Ripperdæos devolutum videmus. Nec desunt hujus generis exempla quoque alia, sed & pauca, & fere recentiora. Porro prædiorum domini aut ipsi jus dicunt, aut aliis hominibus idoneis id delegant, prout cuique commodum, aut gratum est. Est enim hoc arbitrii ipsorum. Ius dicens sive jure suo, sive delegato patria lingua *Redgerus*, nonnusquam etiam in locis ad occidentem *Grietmannus*, more Transflavicano, vocatur: quæ voces judicem significant. Is unum aliquem, ut nunc lege cautum est (nam plures fuere ante, si territorium vico uno majus esset) è territorio virum honestum dari sibi ab iis, qui territorio comprehenduntur, curat, cui *Wedmanno* nomen est, qui non solum assidet jus dicenti, sed judicii quoque minister est, & quædam momenti minoris sine judice per se expedit. Qui in juris dicundi munere est, merum & mixtum imperium habet, mandandi, prehendendi, mulctandi, coërcendi, capite puniendi potestate præditus est: mulctas & cætera judicii commoda percipit ipse, aut cum Wedmanno pro rato communicat. Ab his tribunalibus omnibus appellatio est ad conventus juridicos, aut Cameram Hovetmannorum Groningensium; Olim autem non Hovetmanni solum, sed etiam Consules Senatusque Groninganus plærisque in causis appellati sunt, interponendique edicta ac mandata tum suo, tum Ordinum agrariorum nomine, potestatem habuerunt, causasque ipsas una cum cæteris in conventibus juridicis recognovere & definivere, ut ex iis, quæ infra de jure civitatis dicentur, fiet manifestum. Sed & aliud quondam tribunal in agro fuit, & adhuc est, ad crimina graviora,

viora, quæ capitalia putantur, controverſiaſque de juriſdictionibus cognoſcendas & judicandas pertinens, quod vocant communiter *dat Overrecht*: quod vicos complures ejuſdem viciniæ colligit, è quibus ii, qui eo jure præditi ſunt, (id ſimiliter ut prius prædiis certis cohæret) vertente anno coëunt certo loco, ubi antiquitus tribunal hoc locatum fuit, & in leges ac incorruptam juſtitiæ adminiſtrationem juramento obſtringunt ſeſe, ad quos vices illæ annuæ rediere: iidemque, quoties res poſcit, vocati conveniunt eodem, cauſaſque cognoſcunt, & ſententias ferunt: tum domum in diverſa recedunt. Et ſunt tribunalia hujuſmodi cis Huneſum per Huneſgonios & Fivelingios complura, ſed alibi eo, quo dixi, vocabulo, alibi *die Langkrechte* Teutonice nuncupata, nomine, non re, diverſa. Atqui jus hoc, quod dixi prædiis connexum, in hac ratione nonnuſquam vico quoque integro uni aut alteri, id eſt, toti plebi vicanæ, non prædiis in vico ſingulis, alicui & uni familiæ nobili pro toto vico cohæret: eique vico aut familiæ nobili poteſtas hæc eſt perpetua. Qui poteſtatem hanc tenet jure loci ejus, ubi ſedes judicii eſt, is ſtato die cæteros omnes iſtuc coëuntes ſacramenti religione obligat, eoſdem, cum opus eſt, convocat, id quod iis placet, pro ſententia pronunciat. Et accidit non raro, ut qui in hoc judicatu eſt, reliquam quoque juriſdictionem eodem tempore teneat.

Regimen.

Præter hæc curationes quoque ſunt in hac regione binæ, honeſtiſſimæ conditionis, nec minus neceſſariæ Reip. quam utiles: Quarum altera ad aquarum clauſtra, & quæ cum his copulata ſunt, altera ad aggeres pertinet: illa deducendis è regione aquis pluviis & paluſtribus, aut rupto aggere infuſis; hæc excludendis marinis, aut fluvialibus eſt inſtituta: utraque cum poteſtate, & quadam imperii ſpecie; imprimis prior. In ea qui ſunt, non ſolum clauſtris ipſis, quorum maximus uſus, maxima impendia, præſunt, ſed aquarum quoque ductus, ac derivationes, & pontes amnibus & rivis impoſitos curant. Diviſi in claſſes aut collegia plura, ſecundum regiones & clauſtra diverſa: & claſſes ſingulæ in gradus diſtinctæ. In his inferiores *die Sijlrichters*, ſuperiores *die Scheppers*, ſummi *die vpperſte Scheppers* vocitantur. Et inferiores quidem ſingulis in claſſibus, quas *Sijlveſten* appellant, complures numero ſunt, pro multitudine pagorum, qui qualibet claſſe comprehenduntur. Quilibet enim vicus ex ſui medio edit unum duoſve per eos, qui hoc jus habent, viros idoneos ac muneris capaces: qui omnes jurati in leges ad hanc rem pertinentes, viciſſim ex ſeſe edunt duos aut plures ſuperiores velut προεστῶτας, præditos poteſtate majore & fere ex Nobilitate, aut, ut ante hæc tempora res habuit, ex ordine antiſtitum cœnobiis præfectorum. Atque his, in claſſibus tribus, quæ totidem clauſtra Delfenſia curant, additus olim Abbas Werumanus, velut præſes aut rector ſummus, penes quem ſuprema autoritas: in claſſe Winſumana, quæ duplex quoque eſt, præfectus villæ, quam in Huneſgoniis Adoardii habebant: in Adoardiana Cellarius, uti vocant, Adoardius. Reliquæ claſſes hoc præſide carent. Et in univerſum, ut perplexa admodum atque impedita aquæductuum ratio in hac regione eſt, dum ſibi quiſque viciniæque ſuæ conſulit ac ſtudet, ita varia, inter ſe diſcrepantia, intricata plurima ſunt in toto hoc inſtituto, aliudque aliis in claſſibus ac locis valet. Qui in Delficis claſſibus ſunt, trienne munus habent; qui in Winſumana, & Adoardiana, bienne: alibi aliter. Poteſtas omnibus mandandi, vocandi, cognoſcendi, mulctandi ſecundum leges. Conveniunt quotannis ter in claſſibus ſuis, deliberandi & ſtatuendi cauſa, ſtato tempore & loco. Et ut pleraque alia communia habent, ſic hos quoque conventus claſſes Delficæ, propter clauſtrorum ſuorum conjunctionem: habent & Winſumanæ duæ curantes clauſtra totidem. In his conventibus, ſi res requirere videatur, decernitur tributum; id colligitur per inferiores: collectum traditur ſuperioribus: ab his apud præſidem ſummum, ubi præſes hujuſmodi eſt, deponitur: is ex decreto communi impendit, quo poſcit uſus. In controverſiis mos fuit in claſſibus Delficis, (puto etiam in Winſumana utraque & Adoardiana) ſi quis læſum ſe ſententia aut mandato inferiorum arbitraretur, appellare ſuperiores, poſt hos ad cognitionem vocare etiam cæteros ejuſdem ordinis in claſſibus iiſdem cum ſummo præſide, ab iſtis quod decretum eſſet, id ratum habere, nec tendere longius: Poſt ex conventione ſic inſtitutum inter Delfenſes, Winſumanos, Adoardios, ut ab unis ad proximos, à proximis ad tertios eſſet provocatio: in tertiorum ſententia eſſet litium finis. Atque hoc nunc quoque apud eos in uſu manet.

Leges.

In cæteris claſſibus omnibus, quæ Præfecturæ veteris non ſunt, Hovetmannorum Groningenſium ſummum judicium eſt. Aggerum præfecti, & ipſi ſecundum regiones ac loca inter ſe diſtinguuntur, poteſtatemque amplam habent, parem pene cum prioribus, ſed decreta omnium extra eandem Præfecturam veterem, Hovetmannis ſubjecta ſunt. In Præfectura veteri, ut illi, ſic hi quoque Senatum urbis ſummum judicem agnoſcunt. Operam dant, ut aggeres fluctuum violentiæ objecti, ſarti tecti ſerventur, disjecti reficiantur, interdum augeantur, proferantur, contrahantur, ex uſu patriæ. De quibus dicere plura non libet, ne fiam prolixior.

Denique Præpoſiti, quos dixi, ſinguli ſuis in finibus olim deſcriptis eutaxiæ Eccleſiaſticæ præſidebant ante hæc tempora, & ſacris de rebus jus dicebant; aſſidentibus ſacerdotibus ſacerdotum cauſas cognoſcebant, delicta omnia contra matrimonii leges caſtigabant, ædium ac rerum ſacratarum curam gerebant, rationes æditimorum examinabant, fœneratores comprimebant, pœnas ab iis poſcebant. Præter hos Officialis quoque & Commiſſarius, uti vocabant, in curatione rerum talium pro Epiſcopo erant: ſed in populo libero tantum non poterant, quantum fere aliis in regionibus ſolent. Quæ omnia durarunt, quandiu imperium Hiſpanicum hic ſtetit: eo verò finito, hæc quoque interiere.

Sacerdotes in agro numerati olim ſupra 220, quantulo in ſpatio? præter tot monachos & monachas, quot capi tam multis, & quidem peramplis ac opulentis cœnobiis potuere: quorum numerus fide multo major fuit.

Popu-

Regimen.

Populus universus cum reliquis Frisiis à temporibus Caroli Magni ad Saxonum arma per annos fere 700 liber fuit, suique juris, Domini nescius: summi Principis Cæsaris solummodo majestatem comiter agnovit, nec tributis pressus, nec angariis obnoxius, omnisque adeo servitutis ignarus. Quæ si quis cuncta consideret, intelliget sane, haud facile populum alium rus colentem posse reperiri in his orbis regionibus, qui libertate ac felicitate hunc antecesserit. Sed ipsa luxurians, ac pene nimia libertas, sæpe magno ei malo fuit, veramque & genuinam libertatem prope evertit. Nam ambitiosa ingenia factiones peperere, pestem liberis populis propriam, sibique potentiam struxerunt: inde ad tumultus & bella civilia ventum, regioque graviter afflicta. Ad hæc singulæ regionis partes separatim sibi consulere, suisque commodis studere, quid in commune omnibus, & toti regioni expediret, non expendere, nec istuc consilia referre: hinc rursus simultates, odia, injuriæ: ex injuriis eadem armata vis, & furor intestinus. Nec judicia sine vitiis ingentibus fuere, gratia, pecunia, odio, inimicitia corrupta: & licentia peccatum frequenter: ea occasione pax turbata. Quibus malis remedium societate Groningensium pluries quæsitum, eaque ancora fluctuans, & vix se sustinens libertas, periculis erepta firmataque, eo medio judiciorum integritas reparata, & per aliquot sæcula conservata, ac denique licentia repressa fuit.

Leges.

In legibus suis populus ista habet memoratu digna: *Pacta dotalia rite inita, ut mos aut jus regionis poscit, rata sunto. Testamenta nisi de bonis acquisitis, non sunto. Res soli ex hæreditatibus profectæ, ædificia, & quicquid in bonis immobilibus, à defuncto relicta, ad proximos sanguine devolvuntor, nisi aliter pactis dotalibus sit cautum. Mobilia omnia, quæ conjuges matrimonium ineuntes possident, & in usum matrimonii conferunt, quæve stante matrimonio ex hæreditatibus accrescunt, omnia item industriâ conjugum acquisita, etiam sine pactis dotalibus conjugum, sunto pari jure, alteroque defuncto semissis hæredum ejus esto, reliquum superstiti maneto. Donationes inter vivos robur habento, si bonorum cessio à donatore vivente fiat. Quæ propter nuptias fiunt in pactis dotalibus, ut ratæ sint, in pacta dotalia hæredes proximi, imprimis parentes, avi, aviæ, fratres, sorores consentiunto. Minores 25 annis nuptias inire, & pacta dotalia scribere si volent, sub curatoribus aut tutoribus agentes, eos scribendo adhibento. Cædes, quæ prius pecunia luebantur, nunc ex lege capitis pœnam habent.* Cæteris maleficiis omnibus graves quoque pœnæ sunt in legibus descriptæ.

PRÆFECTVRA VETVS,
vulgo OLDE AMPT.

A Fivelingiis *Præfectura vetus* sequitur, ab Amaso flumine initium sumens, & ad Dullartum sinum toto ejus occiduo ac sinuoso latere, ut hodie res habet, stratæ, vimque ab eo quondam & jacturam passa maximam, agris & vicis fluctu obrutis, ut è magno horum numero vix 17 hodie, ac plerique semilaceri mutilique supersint: cujus pars borealis Amaso vicina soli pinguis ac argillosi, reliqua fere exilioris, minusque læti, partim palustris ingenii, partim arenosi, nemoribus frequens; qua meridionalis maxime, Reideriæ quondam accensa, Tiamma rivulo è paludibus defluente à proximis dirempta, nomine hoc ne nunc quidem istic obliterato, capite ejus Winscota. Tota vero hæc ab Amaso ad austrinum limitem civitati Groningæ ab annis prope 200 bonis conditionibus paret.

WESTERWOLDIÆ
DOMINIVM.

Veteris præfecturæ, sive Olde Ampt, austrino limiti ad Dullarti finem Westerwoldii connectuntur, & ipsi Reideriorum quondam pars, hinc porro in latere ortivo Dullarti ejusdem secundum Amasium longo tractu duobus magnis milliaribus, & dimidio, haud breviore, pertinentium: hi vicis censentur quinque, agrumque colunt, nisi quantum Dullarto sinui proximum est, haud felicem, ac paludosæ fere naturæ: in quos imperium legitimum habuit aliquot sæculis Addingia familia nobilis, Weddæ arcis vetustæ eodem in agro domina, Westerwoldico cognomine posteris quam gentili notior: nunc ad Arenbergios omnia translata: postremo suburbanum territorium regionis totius limitem ad austrum longo tractu contra Drentiam tuens, vicos ambitu suo continens 12, cœnobia duo, ambiguo inter Drentiam ac Frisiam nunc expositam jure, quibus se debere hinc atque inde decerptis quibusdam partibus coagmentatisque videtur: lingua tamen, legibus, institutis per multa nunc sæcula illam magis, quam hanc referens. Antiquissimi ejus rectores Gronenbergii feruntur; ab his ad Selwerdios: à Selwerdiis vicissim ad Vltrajectinos, Geldros, Burgundos ordine pervenit: Burgundi postremo Senatui populoque Groningano, nihil imminuto veteri vicanorum jure ac libertate, attribuerunt. Atque hujus in solo, ubi arenis gleba pinguior jungitur, editiore in dorso inter camporum humilia linguæ instar se porrigente, sedem habet GRONINGA, non maxima solum inter urbes, quas Frisia amplectitur, sed nomine etiam & potentia, & rebus gestis, & specie quoque ipsa antecellens: de qua in illius agro jamjam latius egimus.

DREN-

DRENTIA.



Fines. Rentia Friſiam occiduam ab oriente hyberno excipit, Groninganos à Meridie; regio occiduæ Friſiæ magnitudine pene par, ſed opibus & cultu multo inferior. Ab auſtro Zallandiæ partem & reliquæ Tranſiſalaniæ cum Twentia habet. Ab ortu brumali Benthemenſi provincia, ab æquinoctiali diœceſi Monaſterienſi clauditur.

Qualitas. Ager autem Drentiæ omnis arenoſus aut paluſtris, frumento, niſi qua uligines aut ericeta, felix, ideoque horrei vicem vicinis, præſertim Groninganis, præbens; paſcuis non æque commodus. Ericeta vero *Smilder-veenen*, & *Echterveenen*, vulgo dicta, (quorum illud Groningam inter & Steen-vicum, hoc autem inter Coevardiam & Meppelam,) tantam ceſpitum uſtibilium ſuppeditant copiam, ut eos incolæ, non ſine magno ipſorum emolumento, in Hollandiam & vicinos diſtrictus maxima transvehant abundantia.

Covardia. Ad auſtralem limitem, haud procul Vidro flumine, oppidulum habet Covordiam, caput provinciæ. Municipium uti opere munitiſſimum, ita ſitu eſt opportuniſſimo; diſtat Groninga milliaribus ſeptem, Steenwico ſex, Swolla quinque, Daventria novem, Oldenſalia quinque, & Lingen totidem. Arx illi eſt validiſſima. Maximi autem eſt momenti, quum hoſtilem aditum in Friſiam utramque veluti occludat: habet enim ad aquilonem paludoſos & alta uligine impervios campos Weddam uſque; ad occaſum vero ſtagnum, quod ultra Haſſeletum pertingit; ad ſeptentrionem pagum Daelhem & ericetum Groningam petens; ad ortum, Lingenſem Comitatum; ad meridiem Benthemenſem; ad auſtrum denique Hardenbergam oppidum ad eundem Vidrum ſitum; unde per paludes univerſam pene regionem obſidentes, niſi qua Groninga aditur, anguſtæ viæ ſunt, traducendis exercitibus incommodæ: quare & commerciis admittendis valde opportunum eſt, & bello arcendo ab interioribus provinciis peridoneum.

Propugnacula. Fortalitium *Valter-Schans* vulgo dictum, non procul à Weſterwoldiæ dominio, adeo probe munitum eſt, ut quamlibet vim arcere poſſit; inter quod & Coevordiam, ſed propius ad hanc, aliud eſt, ſed minus, propugnaculum, vulgo *Schans ten Hole* nuncupatum.

Vici. Reliqua vici occupant, quorum quidam nec parvi ſunt, nec inelegantes: qualis eſt *Meppela*, in auſtrino limite in occaſum vergente, oppido quam vico ſimilior; *Runa* in ditione Nobilium Munſterorum, dignitatis titulo ſupra communis nobilitatis gradum illuſtris. *Eelda* etiam Groningæ vicina, aliquot olim nobilium ſedes. Et ante Eeldam, Rolda, Devera, Andloa. Cœnobia monaſtica Aſſena, Diclinga, Schoonebeeck, & alia.


Domini qui olim. Paruit multis ſæculis Epiſcopo Vltrajectino, Imperatoris donatione, aut vi armorum nixo, à quo præfectum ſolet accipere. Nec vero à repub. tantum Friſiorum communi, parendo Epiſcopis, ſed & à lingua, habitu, moribus ac pleriſque inſtitutis jamdudum tota receſſit, nomenque gentis pene cum rebus amiſit.

Populi indoles. Quanquam veſtigia adhuc ſuperſunt haud obſcura originis ac cognationis priſtinæ; ut ſunt libertas major plebis ruſticæ in hac, quam in regionibus aliis, onerumque ſumma immunitas; judiciorum quoque ratio Friſicum morem redolens; *Venatio.* venationum & aucupiorum, quibus tota ſcatet, jus integrum & liberum cuilibet, qui modo res ſoli illic poſſidet; aliaque ſimilia.

Memorandum. Commemoratione dignum videtur, notatum quoque ab aliis, quod in regione hac ingentis molis ſaxa complura, quæ nulla vectatione, nulla vi hominum illuc deportari potuiſſe, ob magnitudinem credas, congeſta inveniantur: quorum ea diſpoſitio eſt, ut aras referre videantur. Nam jacentibus nonnullis alia iis impoſita ſunt plana, relictumque foramen anguſtum, per quod reptare homo poſſit. Fabula fert, paganos, quondam humanis hoſtiis litare ſolitos, ea per foramina mactandos homines tranſire coëgiſſe, & ſtercore, aliiſque immunditiis conjectu vulgi fœdatos in tranſitu, conſtitutoſque ad aras immolaſſe: eum ritum ad Bonifacii Epiſcopi Vltrajectini tempora duraſſe. Quam ob cauſam etiam nunc turpe nomen foraminibus illis apud incolas reſtare putatur.

Divisio & Regimen. In Drentinis vero res etiam nunc ſic habet: Dividitur provincia tota in partes ſeu præfecturas ſex: *Dingſpil Suydevelt* nimirum, *Beyler Dingſpil*, *Diverder Dingſpil*, *Rolder Dingſpil*, *Dingſpil Nordevelt*, & *Dingſpil Oſtermoer*. Earum partium unaquæque quaternos habet judices promiſcue ex Nobilitate & plebe ruſtica ſuffragiis lectos quotannis, quos ſua lingua *Ettas* dicunt. Quorum officium eſt non ſolum ſuis in partibus per ſingulas ſeptimanas jus reddere, & controverſias litigantium finire, ſed etiam ter quotannis ſimul omnes convenire, ad cognoſcendas cauſas graviores, aut eas, de quibus ad ſupremum tribunal eſt provocatum. Moribus vero receptum eſt, ut Roldæ conveniant octavo poſt Paſcha die, & rurſum eodem poſt Pentecoſten intervallo: poſtremo Andloæ ad 14 Calend. Septemb. Vltra id tribunal, quod aperto loco habetur circumſtante multitudine, præſide vero totius provinciæ præfecto, tendere litigantibus non licet. Præter hos autem ſingulis in vicis judex unus eſt, quem Sculteſium vocant, & in his, qui autoritate antecedit in ſua præfectura, eum præcipuo quoque titulo Barmerſculteſium nuncupant. Omnes ſuis in vicis operam plebi dant minoribus controverſiis dijudicandis, & ad pignora quoque auferenda progrediuntur. Iuriſdictio in univerſum talis, ut compendio lites finiat, haud parvo commodo populi. Sed exemptæ huic foro ſunt, Coverdia, & Runa. hæc nobilibus parens; illa præfectum provinciæ totius, cui arx oppidana domicilium præbet, judicem ſuperiorem agnoſcens.


DRENTIA
COMITATVS.
Auctore Cornelio Pynacker I.C:
DOMINIJ GRONINGÆ
Gronningen
Dollaert.
OLDE AMPTEN PARS.
Winschooten
WESTER WOLDT.
Bourtange
een groote MONASTERIENSIS moerasʃige heyde.
EPISCOPATVS PARS.
FRISJÆ
SEVEN WOLDEN PARS.
SMILDER VEENEN
Veen ofte Heyde
Hycker veenen
Nyen Oorter veen
Vyfde Dingſpil
Nordevelt
Seſde Dingſpil
Vierde Dingſpil
Rolder Dingſpil
Twee de Dingſpil
Beyler Dingſpil
Derde Dingſpil
Diverder Dingſpil
Eerſte Dingſpil
Suydevelt
Muſsel Brouck
Ooſter moer
Aſſen
Steenwyck
Meppel
Coevorden
Echter groote veenen
Moeras
Bourtangh, desertum, ob paludes et aquas in accessum.
ZAL LAN DIÆ PARS.
Zuyder Zee.
Vollenhove
Geelmuyden
Swarte Sluys
Hardenberg
Gramsberge
BENTHEIMENSIS COMITATVS PARS.
Milliaria Germanica.



Brabantiæ pars quarta,

cujus caput

SYLVA-DVCIS.

Nomen.



Vatuor primariis Brabantiæ civitatibus annumeratur *Sylva-Ducis*, vulgo *Buscum-Ducis*, Gallis *Bois-le-Duc*; aut contractis vocibus *Bolduc* dicitur. Originem suam repetit ab anno 1184; quo à Godefrido Lotharingiæ Duce, ejus nominis tertio (ut volunt) circa aggerem Ortidunium, vallum duci cœptum; quod anno 1196 ab Henrico Godefridi filio una cum fossis perfectum; unde quidam hunc Henricum urbis autorem faciunt, & natales urbis ad hunc annum referunt. Forma urbis primum rotunda fuit, tribusque portis, à tribus præcipuis Brabantiæ urbibus, Lovanio, Bruxellâ, Antverpiâ, ornata. Quæ post pomœrium productum aliis usibus sunt dicatæ, manente hodie nominum levi memoria. Murorum quoque reliquiæ visuntur juxta forum piscarium, inter pontem telonii, forum, & antiquam curiam retro. Pomœrium urbis primum productum anno 1318, à porta S. Crucis, quæ quondam Bruxellensis audiebat, ad finem plateæ Vuchtiæ, ad usque Ortdunum, indeque ad portam Pineam, conclusaque hoc ambitu via Hinthamica & Vuchtia: licet etiam ante suburbia vallo variis locis septa fuerint, & multis annis pòst muri adjecti. Ad extremum producti fines anno 1453, & variæ partes adjectæ: licet anno demum 1514 Hinthamensis, & biennio post Vuchtensis fines legantur muro lateritio circumdati, hinc versus Antverpiam, inter meridiem & occidentem, illinc versus Graviam, inter Aquilonem & Orientem; ita ut nunc longe aliam formam à primitiva induerit, utpote triquetra, tribus in longum spatiis excurrens, tanto gyro, ut vix sesquihoræ spatio ab expedito pedite ambiri possit. Muros habet firmissimos, cum septem vastis propugnaculis; fossas altitudine & latitudine eximias, Dommelæ & Aadæ amnium allapsu. Portas habuit septem: quarum duæ superioribus annis clausæ: quinque hodieque patent. Eæ sunt *Vuchtensis*, ante *Picardorum* dicta, quæ versus Antverpiam ducit; operis elegantis, fossa & duobus pontibus sublicíis à vallo murorum discreta: *Ortensis*, à qua Bommeliam tenditur: *Hinthamensis*, è qua Graviam: duobus item pontibus à muro sejuncta: *Vaccina*, aut S. Ioannis, è qua Heusdinum: denique *S. Antonii*, vulgo *de Dijckpoort*, Helmonda Endoviaque venientibus opportuna. Plures canales urbem permeant; quidam etiam navium feraces: super quos strati pontes lapidei publici 51, lignei 38, privati pene totidem. Forum habet pulcherrimo ædificiorum ordine circumdatum, in quod decem plateæ totius urbis latissimæ desinunt. Ad duo millia pulcherrimarum ædium hic numerantur, præter casas & secundi ordinis habitacula. Munitissima est à natura & opere: nam tota humilibus agris pascuis incincta est, qui maximam anni partem rigui, hyeme autem alto cœno & vasta uligine pene impervii sunt, præterquam ad Vuchtensem plagam, quæ Africum adspicit, ubi ager paulo editior est. Ideoque hic duo castella superioribus annis ab Hispano adjecta: quorum illud, quod urbi propius, S.Antonii dicitur, ad Dommelæ ripam situm, circiter CLXXX perticis Rhenolandicis ab extimo oppidi propugnaculo juxta portam Vuchtensem; quatuor prominentibus propugnaculis & latissima fossa, aliisque vallis & operibus permunitum. Alterum, quod Isabellæ nomen præfert, ad cornu ericeti Vuchtensis, quinque validissimis propugnaculis, duplici fossa, aliisque vallis & operibus, quæ hodierni belli necessitas invenit, ita munitum, ut oppidi invicti instar haberi possit; distans à minori castello tantum perticas Rhenolandicas 70. Ad ortum autem ab oppido circiter perticas 235, situm est & tertium castellum, quod *Petteler-schans* dicitur, quinquangulare, totidem validis propugnaculis, lata fossa, & extra illam alto vallo & fossa incinctum. Atque hæc quidem oppidi securitati extra pomœrium adjecta. Ipsum oppidum lata fossa & profunda cingitur, cujus aquæ duobus locis ingenti mole objecta concluduntur: duo valida propugnacula adjecta vallo, ubi Diesa ex oppido elabitur: totidemque ad Vuchtensem portam; plura autem juxta & ad Hintemensem, & ubi Aa fluviolus urbem subintrat. Denique nihil pene factum reliquum, quod ad urbem permuniendam nuperus belli usus adinvenit. Aut si quid ab Hispano aut ignorantia, aut negligentia peccatum, id nunc a Belgis abunde correctum.

Origo urbis.

Augmenta.

Arces.

Forma.

Forma oppidi, prout nunc se habet, fere triangularis est, & ob varios munitionum mæandros ab expedito pedite vix sesqui horæ spatio ambiri potest: complectitur enim ambitus illius, cum septem propugnaculis majoribus, septem millia passuum & 660.

De urbis regimine politico & civili.

Regimen hujus urbis est primo penes duos Prætores, eosque fere claris natalibus ortos; quorum unus de civilibus, alter de criminalibus caussis cognoscit; licet interdum utriusque munus uni mandetur. De utrisque caussis jus dicunt Scabini, primæ in hac urbe dignationis. Qui primum quidem tantum septem fuerunt, & ad annum 1336, anno exacto, festo S. Remigii novos sibi sub-


QVARTA PARS
BRABANTIÆ
cujus caput
SYLVADVCIS.
Willebordus vandër Burght descrip.
Insignia Civitatum sub ditione
SILVÆDVCIS.
HELMONDT.
EYNDHOVEN.
MEGEN.
RAVESTEYN.
GRAVE.
BOMMELER WAERT.
Hollandiæ pars.
MAES LANDT.
't Landt van Ravesteyn.
OOSTERWYCK.
KEMPELANDT.
PEELLANDT.
't Landt van Luyck.
't Landt van Hoorn
Bommel
Heusden
't Hertogenbosch
Batenborch
Raves teyn
Graeff
Eyndhoven
Helmōdt
Weerdt
Abdye van Postel
Seven Moeren
Bornbergen.
Lommell
Luycx Gestell
Apud Guiljelmum Blaeu.
1
2
Scala milliarium Germanicorum quorum 15 uni gradui respondent.
200 400 600 800 1000 1200 1400 1600 1800 2000 2200 2400
Scala virgarum quarum singulæ viginti pedes continent.

62

ſubſtituerunt. poſt, ipſis haud invitis & ultro cedentibus, Princeps provinciæ quotannis Scabinos creavit. Carolus V Imper. binos adjecit anno 1525. His indulto Principis permiſſum anno 1335, accedente Prætoris aſſenſu, multas pecuniarias, quæ delinquentibus infliguntur, augere, minuere, mutare, vectigal potorium & annonarium, pro re nata, uſque ad 46 ſolid. vel augere vel minuere. Carolus V anno 1531 vetuit ulla immobilia bona in diſtrictu Sylvæducenſi gravari, aut alienari, niſi coram Scabinis, aut Tribunali, & in loco ubi bona cenſuſque ſiti ſunt. Cognoſcunt autem ad requiſitionem partium de perſonis & bonis civium atque incolarum. Ad ſententiam quoque eorum recurritur non tantum à tribunalibus ſubalternis totius territorii, ſed & à Landen, vetuſtiſſimo Brabantiæ oppido; itemque à Dormalen limitaneo Brabantiæ vico & Vicecomitatu, &c. Habet præterea urbs Conſules ſuos & juratos, uti fere in aliis urbibus. Ad Senatoriam autem dignitatem non aſſumuntur niſi indigenæ, & toto anno in urbe habitantes; nec niſi elapſo biennio fere ad eandem reſumuntur. Porro Scabini hi Conſuleſque conſtituunt primum magni Senatus membrum: Senatorii autem & Conſulares ſecundum, tertium Tribuni & jurati opificum. Hi, cum diu incerto numero fuiſſent, à Carolo Imper. anno 1525 definiti fuerunt, ſtatutumque, ut eſſent ferrariorum, ærariorum, & cultrariorum decani 3, jurati 11; molitorum & oleariorum dec. 3, jurati 8; piſtorum dec. 4, jurati 8; acicularioruin dec. 3, jurati 10; frumentariorum dec. 4, jurati 16; lanionum dec. 3, jurati 6; piſcariorum & cetariorum dec. 3, jurati 6; ſutorum & coriariorum decani 4, jurati 12; inſtitorum decani 3, jurati 28; lanificum decani 2, jurati 8; ſartorum & mercatorum laneorum dec. 4, jurati 28; pellionum dec. 2, jurati 6; chirothecariorum & ligulariorum dec. 3, jurati 12; capſariorum, ſcriniariorum, carpentariorum, & vietorum dec. 3, jurati 10; tinctorum dec. 2, & totidem jurati. Anno 1629, operoſa eam obſidione cinxerunt Fœderati Ordines, pluribus exſtructis hic illic arcibus, munimentis, ductiſque per loca paludoſa aggeribus, ſingulari induſtria, ſumptibuſque immenſis: & fruſtra cum potentiſſimo exercitu oberrante hoſte, ac Veluviam vaſtante, intra quintum menſem expugnata, ductu & moderamine Frederici Henrici Auraufiorum Principis.

Subditas ſibi habet quatuor regiones, Campaniam, Pelandiam, Maſlandiam, & diſtrictum Oſtervicanum; & oppidula, Helmondam, Eindoviam, Megam, Raveſtenum & Graviam, una cum multis pagis.

Helmonda. Helmonda tribus Eindovia leucis diſſita alluitur ab Ada fluvio, arce ſat eleganti conſpicua; oppido Beeck pagus aſſidet, Iohannis Goropii Becani viri celeberrimi natalibus illuſtris.

Eindovia. Eindovia, Campaniæ metropolis, ſita eſt in tractu Campaniæ, oppidulum lautum, & ſic ſatis munitum, ad flumen Dommelam, quatuor Sylva-Ducis abjunctum leucis: Dynaſta ejus eſt Princeps Auriacus.

Mega. Mega ſita eſt ad ſiniſtram Moſæ ripam, tribus circiter à Sylva-Ducis leucis, oppidum ſatis lautum, ac dominio, Comitatus titulo, & jurisdictione illuſtre.

Raveſtenum. Graviam & Megam inter, ad eandem Moſæ ripam, Raveſtenum conſpicitur, oppidulum munitum, arce ornatum, Dynaſtiæ nobiliſſimæ ad Principem Auriacum ſpectantis caput. Territorium ſat amplum, pagoſque complures comprehendens.

Gravia. Gravia ad ſiniſtram Moſæ ripam Raveſteinio duabus minoribus, Sylva-Ducis quatuor leucis abjuncta, opere & natura munitiſſima, caput eſt provinciolæ Cuyckanæ, vulgo *het landt van Cuyck*, *Provinciola Kuyckana.* quæ ſuperioribus annis Comitatus fuit, licet ſat anguſtis limitibus incluſa, nam haud ſupra quatuor milliaria in longitudinem patet, nuſquam pene ſupra milliare & dimidium lata. Complectitur præter Graviam ſedecim aut ſeptemdecim pagos, in ſuperiorem & inferiorem partes diviſa. Cæterum cenſetur ſecunda Brabantiæ Baronia; primo ſub Comitibus ſuis fuit, dein Gelrici juris, tandem cum illa ad Burgundos devenit, qui illam Brabantiæ univerunt. Maximilianus denique Egmondanus Buræ Comes à Duce Brabantiæ, Ordinibus illius haud invitis, oppidum cum territorio pignori accepit, quum magnam pecuniæ vim Duci mutuam dediſſet; cujus filiam unicam & heredem cum Guilielmus Princeps Auriacus in uxorem duxiſſet, hujus dominii hæreditatem adiit, in cujus familia hodieque manens, jam dominum agnoſcit ejus pronepotem Guilielmum Henricum Principem Auriacum.

DESCRIPTIO
BERGARVM AD ZOMAM, STEENBERGÆ,
&
novorum ibi operum.

Territorium Bergense.



Erritorii Bergensis ea pars, in qua Berga sita est, nostra lingua (ut habent autographa & apographa agrorum antiquiora) *Zoom* appellatur. Ideo fortassis, quod totius Brabantiæ ad occidentem ora extrema & quasi instita sit. Ab hac ergo territorii parte, quæ montosa & variis collibus distincta est, nomen proculdubio accepit urbs. Errant itaque Geographi, qui aquagium, sive fossam illam, quæ parentum nostrorum memoria ducta est, (ut cespites è Bernardicis fodinis in urbem commode subvehi queant) Zoom fluvium inscribunt, & ab eo civitatem nomen traxisse volunt. Nunquam enim Zoom fluvius exstitit, & civitas idem quod hodie nomen semper obtinuit, etiam cum aquæductus ille nondum esset, quem (qua per urbem labitur) non fluvium, sed Greccum sive cloacam appellant indigenæ; extra urbem vero non aliud, quam aquæductus nomen accipit. Non male igitur Montem Zomii vel Bergopzomium eam quis vocet, eadem ratione, qua Montem Hannoniæ dicimus. Si enim Iulius Cæsar Helvetiorum, Gallorum & Germanorum nomina ita Latine exprimat, ut vestigia linguæ vernaculæ non obscura exstent, qualia sunt Ambiorix, Orgetorix, Caromandus, &c. non video, quid obstet, quo minus idem nobis liceat. Est autem Bergopzomium Brabantiæ Ducatus civitas, Dominii olim titulo contenta, sed postea Marchionatus titulo à Carolo Quinto, Imperatore insignita. Avorum nostrorum memoria Hispanis, Gallis, Anglis, Scotisque mercatoribus frequentatum fuit emporium. Verum dignitati ejus ac splendori postea obfuit Antverpiæ majestas, cujus fulgor lumen omne illi præstrinxit, uti Sol stellarum. Situ media jacet Brabantiam, Flandriam, Hollandiam, Zelandiamque inter, quas undequaque aspectat. Antverpia septem milliaribus distat, Flandriam à meridie habet, Hollandiam à Septentrione, Zelandiam vero ad Occidentem. Vnde facile colligere est, quantum ejus fuerit in bello, quod Hispanum & nos inter gestum est, momentum. Fœderati enim Belgii cum sit partium, non solum securitatem affert Hollandorum, & Zelandorum commerciis, verum etiam militum excursionibus belli tempore Brabantiam longe lateque aperit. Quod si adversarum foret partium eadem commercia, & Hollandorum in Zelandiam, Zelandorum in Hollandiam navigationes quam maxime infestaret, utpote media inter hanc & illam posita. Portum habet commodum satis, terras hinc inde in Australem ac Septentrionalem oram secans, qui cum longiore cervice ab urbe excurrat, ad securitatem navigantium, si forte metuenda sit obsidio, duo accepit munimenta, alterum à parte Australi, Castellum Australe dictum, idque majus, propugnaculis prominentibus, & lorica insuper fossisque validum: alterum ab opposito situ Septentrionale appellatum, idque, si quantitatem, ambitumque spectes, minus. Ipsa urbs testudini non absimilis, quæ maxima sui parte ventricosa est, cetera collum & cervix. Præter propugnacula mœnibus continua, suas quoque ad remorandos hostium impetus loricas habet, opera insuper forficata, cornuum instar prominentia, ut nihil ad ejus defensionem ac tutelam, quod ab ingeniosis castrorum architectis excogitari possit, omissum credi queat. Præter veterem portum, etiam ductus alius ab urbe brevior in ipsum Castellum Australe, ut si forte ab obsidentibus occupari contingat priorem, reliquus adhuc sit aditus in urbem, exitusque per posteriorem. Ædes habet pulcherrimas, plateas foraque amplissima, nundinarium nempe, piscatorium, & frumentarium. Templum insuper fornicato opere ornatissimum. Magnifica quoque ipsa Marchionis aula. Cœnobium Vestalium, cognomento Divitum, in Nosocomium mutatum est. Quod enim extra urbem fuit ægris recipiendis dicatum, belli furor, ut plura alia, vastavit. Belli Belgici initiis ab Hispanorum stetit partibus, quo tempore parum absfuit, quin à Zelandis, qui jam muros ad Australem molam conscenderant, caperetur. Pace vero inter Belgii Ordines Gandavi inita, & mox rupta, dedens sese cum Germanorum præsidio, quod Hispanus imposuerat, in Ordinum Fœderatorum potestatem venit. Post captam Antverpiam, Ordines Elizabetham Angliæ reginam de auxiliis interpellant, quæ omnibus Fœderatis provinciis Dudlæum Leicestriæ Comitem præficit: sub hoc Bergopzomii præfectura, Philippo Sidnæo, Anglo, Equiti, Hiberniæ proregis filio commissa est. Post hunc Gulielmo Druræo, qui anno 1588 obsessam à Duce Parmensi urbem fortiter cum Morgano asseruit, & eundem obsidionem solvere coëgit. Ex eo sæpius ab hoste strategematis tentata, aliquando etiam in summum adducta discrimen, Dei Opt. Max.

Berga.

Obsidiones variæ.


TABVLA
Bergarum ad Zomam
Stenbergæ
et novorum ibi operum.
Ad amussim fecit
Francisc. van Schoten
Math. Professor in
Acad. Leidensi.
Bergen op Zoom
Steenbergen
Gr. Hendricx polder
Polder Triangel
Princen landt
S. Oucommers polder
Graef Hendricx polder
Moras
Verdroncke landt
Halteren
Out Slot
Virgæ Rhijnlandicæ
Rhijnlandsche Roeden
100 200 300 400 500 600 700 800 900
EXPLICATIO VERBORVM
Fort
Schans } Castellum.
Redoute . Receptus.
Schorre . Alluviones.
Haven . Portus.
Wegh . Via.
Moras . Palus.
Kreecke . Alveus.
Doorsnijdinge. Fossa cum lorica inter paludes.
Verdroncke landt. Terra inundata.
Polder. Alluviones siccatæ.
Castra Pinsii
Col. Pinsen en de Major Brederode
Exc. Guiljelmus Blaeuw.

63

Max. beneficio, præfectorum cura, civium magnanimitate invicta perstitit. Finitis induciis Archidux Isabella, exercitus duce Ambrosio Spinola, aliquot ante partis victoriis claro, ejusdem urbis obsidionem aggressa est anno 1622, Iulii 18, captaque primum à Lodovico de Velasco Equitum Magistro Steenberga, castra propius ad urbem admovit. Belgæ Fœderati dum tueri sua satagunt, civitatem ádvocato è castris Mauritianis ac vicinis Zelandiæ locis milite, muniunt, commeatuque omnique apparatu bellico instruunt. Pugnatum acriter. Hispanus dum desperationem in consilium adhibet, munitionesque suburbanas velut furibundus impugnat, frustra est, ac desideratis quamplurimis suorum, ne pedem quidem toto obsidionis tempore promovit, Hollandis quam primum occupaverant stationem, pertinaciter, fortiterque defendentibus. Magna hic enituit virtus Ryhovii Gubernatoris, necnon Famarsii, & Hendersonii, Tribunorum militum, quibus concessæ erant partes tuendi munimenta extra urbem recens exstructa, hostiumque munitionibus contigua. Tandem cum nihil à suis promovere cerneret Spinola, jamque in procinctu cum numeroso exercitu copiisque Mansfeldianis adesse Mauritium, castra movit, quamque potuit celerrime, similis fugienti, Brabantiæ interiora, Antverpiamque repetiit, Octobris die tertio, qui pariter duarum urbium & Leidæ ac Bergarum liberatarum fama gloriaque illustris, apud Fœderatos populos habetur.

Causa munitionis.

Aliquot annis interjectis, cum Antverpiam ac Bergopzomium inter, medio fere itinere, Archidux Isabella Santflitam propugnaculis cinxisset, & in ipsis Scaldis æstuariis munimenta exstruxisset, ac istiusmodi cœptis ad novam Bergopzomii obsidionem callide præludere videretur, Ordines Fœderati anno 1627, post captam Grollam, de impediendo urbis istius obsidio, si forte hostis illud moliretur, acriter consultarunt. Nec quicquam melius succurrit, quam tres paludes, quæ *Steenbergam*, aliud ad Septentrionalem Brabantiæ oram oppidum Fœderatorum juris, interjacent, fossa conjungere: & terna, qua maxime suspecti aditus, ponere castella: septum præterea immunire, quod sub Steenbergæ situm exteriora agri ex Flita (id nomen ad Steenbergam alveo est) immissis aquis stagni in speciem verteret, ne ab isto urbis latere, Boreali nempe, obsidionem metueret Berga ad Zomam, aut hostium invasionibus obnoxius esset ager Tolanus. Nam, quæ Austro obversa est, urbis partem, egregia extra vallum munimenta, necnon castellum satis defendere credebantur.

Castella tria.

Proximo itaque anno, qui vicesimus octavus fuit supra millesimum sexcentesimum, mense Iunio operi se accinxere Ordines, cœptaque exstrui castella tria. Primum eo loco, quem ab arenis *de Sandstraet* vocant, ambitu 180 virgarum Geometricarum. Secundum, ejusdem ambitus, medium fere inter duo alia, in ipsis arenosis collibus. Tertium maximum, ambitu 220 virgarum Geometricarum, cui ad majus robur objectum opus forficatum, huic vero opus lunare. Ne vero operantes turbaret hostis, missus eo cum copiis pluribus Pinsius Gubernator Reesæ, vir militaribus artibus instructissimus, qui castra sua in propinquo locavit, hostiumque conatus, qui jam adventabant ad turbandum operas, castrorum suorum præsentia elusit. Mense Octobri perfecto opere Princeps Auriacus nomina castellis indidit. Primum *Mourmont* dictum, in gratiam Domini de Mourmont, ad hanc ipsam rem à Zelandiæ Ordinibus delegati: alterum, *Pinsen*, in memoriam Pinsii Gubernatoris, ob egregiam inibi ab illo præstitam operam: tertium, *de Rover*, de nomine Consulis Dordraceni Roverii, ab Hollandiæ Ordinibus ad hanc quoque curam missi.

Ipsa quoque Steenberga novo vallo propugnaculisque munita fuit, ut jam diutinam obsidionem ferre possit. Distat hæc à Tola urbe virgis Geometricis 2544, Breda 8421. Adjacet illi ad ripam castellum validum quinque propugnaculis formidabile. Quæ quidem omnia præsens tabula exhibet.

Breda.

Breda, ad fluvium Mercam sita, Hooghstrata quidem tribus, Busco-Ducis autem sex, eisque prægrandibus; Antverpia denique octo ejusdem mensuræ leucis abjuncta. Lautum sane, amœnumque oppidum; sumtuosissimo planeque regio decoratum Palatio; duplici undique fossa, arcis prorsus in modum, circumdato. Conditorem suum agnoscit Henricum, Comitem Nassoviensem, Dynastamque Bredanum. Cæterum gaudet oppidum hoc titulo ac dignitate Baronatus; estque luculenta inprimis & magni momenti ejus ditio; cujus jurisdictionem agnoscunt pagi complures, amplissimi, præter viculos quosdam minores. Annexum ei est oppidum, territoriumque Stenobergense, una cum Rosendalia municipio, & Oosterhoutio, nobili & antiqua Toparchia, veteri arce conspicua. Porro, Breda, sedes seu domicilium in hoc tractu Principum Arausionum est, qui & Comites Nassovienses, ad quos superiori sæculo devolutum est ejus dominium. Munivit idem supradictus Comes Henricus, oppidum Bredam validissimis omni ex parte vallis; quibus deinde anno 1534 adjecit quinque amplissima propugnacula, à lateribus oppidi simul & arcis exstantia. accesserunt his bellorum tempore, novem antemuralia, seu valla antemurana; & ad singulas portas singula propugnacula semilunaria: ita quidem ut inter mediterranea Belgii oppida, Breda omnium censeatur antiquissima. Illustrissimus Princeps Arausionum, Fredericus Henricus, Bonarum litterarum Athenæo Bredam decoravit, anno 1646. Modernus Bredæ Baro est, vigetque illustrissimus Princeps Arausionum, Guilielmus Henricus, Comes Nassaviæ, &c.

INDEX & ORDO TABVLARVM VOLVMINIS QVARTI.

BELGICA REGIA, Lib. IX.



BELGICA FOEDERATA, Lib. X.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS TABVLARVM VOLVMINIS QVARTI.

BELGICA REGIA, Lib. IX.



BELGICA FOEDERATA, Lib. X.

